Periodica de re morali, canonica, liturgica.

Museum Lessianum

ARTHURUS VERMEERSCH, e Soc. Iesu
DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA S. I. PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA
DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

TOMUS DUODECIMUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Editoris Pontificii

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puertaferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1924

10231

v. 12

IMPRIMI POTEST

IOSEPHUS FILOGRASSI, S. I., *Praep. prov. Romanae.*

IMPRIMATUR

Sora 28 Dec. 1923

† ANTONIO M. IANNOTTA
Vescovo di Aquino, Sora e Pontecorvo

ISOLA DEL LIRI — Società Tipografica A. Macioce & Pisani

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

QUAESITA VARIA

I. — QUAESITA DE MISSIONIBUS

1. De Beneplacito Apostolico et clausura in missionibus

I. *Notiones praeviae seu Status quaestionis.* — Ex Codicis c. 487, ad erigendam in locis S. C. de Prop. Fide subiectis quamlibet religiosam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii consensus in scriptis datus. - Ex c. 597, § 1, « in domibus regularium sive virorum sive mulierum *canonice constitutis*, etiam non formatis, servetur clausura papalis. » Ex c. 599, § 1, « si domus regularium virorum annexum habet convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta ». - Ex decreto vero S. C. de *P. F.* 26 aug. 1780 et 5 mart. 1787, in locis missionum, obnoxiae sunt clausurae, et quidem sub canonicis poenis, domus quae ad missiones spectant et in quibus stabiliter commorantur duo vel tres missionarii regulares ritus latini. Intra privata ergo huiu-

smodi domorum curricula, mansiones, recessus, sub nullo praetextu feminae introduci possunt. Licet tamen ipsis recto tramite tendere in interna oratoria, ecclesias et loca, ut intersint sacris functionibus. (*Collectanea de P. Fide* I, 545, et 587).

His positis, **quaeritur**: 1) Quaenam domus erigi nequeant sine beneplacito Apostolico. 2) Num solae domus erectae vel erigendae cum beneplacito Apostolico subiaceant, si ibi commorantur regulares, clausurae papali?

II. *Responsio ad primum quaesitum.* In locis missionum, regulares alias domos occupant ut, sub dependentia vel Vicarii vel Praefecti Apostolici seu etiam Episcopi munera obeant quasi- parochorum vel Vicariorum cooperatorum, dum in aliis munia propria religionis suae tamquam regulares, sub ductu suorum Superiorum sicut in Europa exercent. Priores domus non sunt, saltem principaliter, domus regulares, sed potius quasi paroeciales, pertinentes ad quasi-paroeciam regularibus concreditam. Quare pro istis domibus nullum beneplacitum Apostolicum est exquirendum, etiam si dominium pertineat ad familiam religiosam. (Fit etiam in Europa ut paroecia regularis sit in dominio religionis.) E contrario, cum agitur de stabili constitutione collegii vel domus in qua regulares propria suae religionis munia exercent, beneplacitum Apostolicum exquirendum est.

Quare, non multae residentiae regularium indigent in missionibus beneplacito Apostolico.

III. *Responsio ad alterum Quaesitum.* 1. Si vigent adhuc praefata decreta S. C. de P. F. non solum in domibus proprie regularibus, sed etiam in multo pluribus quasi-paroeciis, clausura papalis, saltem partialis observanda est. 2. Vigentne ista decreta? Solutio pendet ab interpretatione c. 597, § 1: « In domibus regularium, sive virorum sive mulierum, *cano-*

nice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis.» Quid sunt, hoc loco, domus canonice constitutae? Suntne omnes domus *legitime* exsistentes, in quibus quidam regulares habitant: tunc, decreta vel vel responsa S. C. de *P. F.* supra in statu quaestionis relata, sunt mera applicatio cc. 597 et 599, ac proinde plene vigent. Si vero sunt domus erectae cum beneplacto Apostolico et scripto Ordinarii consensu (c. 497), tunc decreta S. C. de *P. F.* clausuram papalem ultra canones Codicis extendunt, ita ut ex c. 6, 6° suppressa sint. Iam vero, c. 597 potius ad sollemnitates istas canonis 497 se referre videtur. Quare magis probabile est decreta praefata hodie iam non vigere, ita ut domus in quibus religiosi sunt ut quasi parochi, non sint clausurae papali subiectae.

2. **De vicario delegato ad normam epistolae 8 dec. 1919, S. C. de P. F.**

I. **Licetne,** sicut Vicario et Praefecto Apostolico, ipsi Pro-Vicario vel Pro-Praefecto, Vicarium delegatum nominare?

Resp. Cum ex c. 310, § 2 omnes ad quos, vacante vel impedita Vicarii aut Praefecti administratione, vicariatus aut prefecturae cura devenerit, iisdem omnibus facultatibus quibus Vicarius vel Praefectus Apostolicus pollebat, uti possint, etiam ista nominandi Vicarium delegatum facultas ipsis addicenda est. Et sic re vera responsum est a S. C. de *Propaganda Fide*, 20 martii, 1920.

II. Nonne possit Vicarius capitularis ipse Vicarium delegatum constituere?

Resp. Cum Vicario capitulari ordinaria iurisdictio competat, nihil ipsum prohibet quin delegationen generalem committat alicui sacerdoti, qui sic eius vicarius delegatus dici poterit. Verum iste delegatus frui

non poterit aequiperatione cum Vicario generali, ita ut omnes facultates a S. Sede profectae etiam ei datae conseantur. Nullo enim iure hoc ipsi tribuitur.

III. Nonne ante epistolam S. C. *de Prop. Fide*, Vicarius et Praefectus Apostolicus Vicarium ad universitatem causarum deputare poterant, qui sic vere esset eorum delegatus ?

Cum ex c. 294 Vicarius et Praefectus Apostolicus iura et facultates episcoporum ipsi habeant, id sane poterant. Verum, ut modo dicebamus, delegatus iste non participasset ipso facto omnes facultates a S. Sede Vicario vel Praefecto Apostolico delegatas. Et si eas per novam delegationem Vicarii aut Praefecti Apostolici obtinuisset, easdem, qua subdelegatus, non potuisset, inconsulta S. Sede, denuo subdelegare : quod nunc ipsi licet. Cf. c. 199 vel *Epitome iuris canonicis* I, n. 228.

IV. Vicarius et Praefectus Apostolici qui Vicarium delegatum nominarunt debentne nihilominus Pro-Vicarium vel Pro-Praefectum nominare qui, deficiente Vicario aut Praefecto Apostolico, aut eorum iurisdictione impedita, totum regimen assumant?

Resp. Si solis iuris principiis staremus, nominatio ista superflua dicenda foret. Contra enim ac Vicarius generalis, Vicarius delegatus, quando est ad univesritatem causarum, iurisdictionem suam, resoluto iure delegantis, minime amittit. Cf. c. 207.

Quare litt. *Ex sublimi*, 26 ian. 1753 et *Quam sublimi*, 8 aug. 1755, (*Coll. P. F.* I. n. 387 et 396). BENEDICTUS XIV iis solis Vicariis et Praefectis Apostolicis qui nullum Vicarium generalem constituerant, nominationem Pro-Vicarii vel Pro-Praefecfi imposuit. Quem modum dicendi, in *Per.*, IX, p. (24), imitati sumus.

Nihilominus, quia Codex c. 309 absolute pronuntiat ut Vicarii et Praefecti, nisi Coadiutor cum

futura successione a S. Sede ipsis datus esset, Pro-Vicarium vel Pro-praefectum idoneum deputarent; nec S. C. de P. F. ius istud suis litteris mutasse censenda sit, practice dicendum est ipsos obligatione nominandi Pro-Vicarium vel Pro-praefectum non solvi propter nominatum Vicarium delegatum.

Ceterum, modus omnem ambiguitatem tollendi is erit, ut quem Vicarium delegatum constituerint, eundem deputent etiam ut Pro-Vicarium vel Pro-praefectum.

V. Quid iuris ergo, deficiente Vicario vel Praefecto Apostolico qui, praeter Vicarium delegatum, etiam Pro-vicarium vel Pro-praefectum nominaverit? Ex principiis iuris ita respondendum censemus. Pro-Vicarius vel Pro-praefectus regimen missionis assumet; ac Vicarium delegatum revocare poterit. Quod ni fecerit, is suam generalem delegationem servabit.

3. De baptizandis barbaris senibus vel aegrotis in missionibus

Vicarius Apostolicus exponit quam difficile sit usus superstitiosos qui diu apud Nigritas invaluerunt destruere, et obtinere ut ommino abstineant adhibendis mediis quibus, ut ipsis persuasum est, animae defunctorum placantur et varia mala a viventibus avertuntur. Quid mirum, si in ipsa Europa superstitio tam altas habuit radices? Immo, nostris diebus, nonne evocatio defunctorum et interrogationes de rebus occultis valde florere cernimus?

His positis, supponamus adultum paganum, maxime senem, qui in proximo mortis periculo versetur. Missionarius eundem breviter de veritatibus necessariis necessitate medii instruit, et generali modo ab ipso petit ut polygamiae et superstitioni renuntiet. Spem habet missionarius fore ut per breve tempus per quod superstes erit, usibus superstitiosis abstineat,

magis tamen ut dictis missionarii obtemperet, quam ex propria persuasione illiceitatis istarum superstitionum. Potestne missionarius baptismum sic aegroto conferre?

Id facere posse ne minime quidem dubitamus. Nulla enim subiectiva indispositio obstat: et nullum erit probabiliter obiectivum scandalum timendum.

Supponamus praeterea hunc alterum casum. Per regionem ethnicam transit missionarius, illuc vel numquam vel non nisi post longum temporis intervallum reversurus. Obvios habet senes qui, ut veri simile est, fortasse post duos vel tres menses, fortasse post duos vel tres annos, antequam redire queat, mortui erunt. Possuntne ab ipso baptizari, si, post summariam instructionem, ipsi actum fidei eliciunt, renuntiant polygamiae et superstitionibus quas a Deo vetitas existiment, et, pro viribus, dolent de peccatis suis?

Id iterum affirmandum arbitramur. Namque, sine probabili scandalo, meliore quo fieri potest modo eorum saluti consulitur.

Atque perinde respondendum est, si ipse missionarius non potest nisi breviter instruere quos postea, ante eorum funus, non iam aditurus praevidetur.

QUAESITA COMMUNIA VEL DE SAECULARIBUS

Nominatio canonicorum

Chrysostomus, episcopus Galliae, consuetudine centenaria nixus, pergit post promulgatum Codicem nominare solus canonicos sui capituli, quamvis c. 403 haec statuat: « Exceptis dignitatibus, ad Episcopum pertinet, audito capitulo, conferre omnia et singula beneficia ac canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus tum collegialibus, reprobata quavis consuetudine et

revocato quolibet contrario privilegio, sed firma contraria fundationis lege et praescripto c. 1435 » (de reservationibus pontificiis).

Quaeritur iam utrum necne valeant istae collationes sic factae non audito capitulo ?

Resp. 1. Contra ac plures existimant, res canone 105 minime dirimitur. Is haec habet : « Si consensus exigatur (aliquarum personarum), Superior contra earundem votum invalide agit ; si consilium tantum, ex. gr. *de consilio consultorum* vel *audito capitulo*, *paroco*, etc. satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat ».

Etenim, quod *satis est*, non necessario requiritur. Et quia casus sunt in quibus consilium ad valorem requiritur, alii vero in quibus consilium mere ad licitum modum pertinet, ideo Codex affirmat quod semper sufficit, nolens, in hoc canone, quaestionem de valore solvere. Si voluisset ipsam necessitatem exprimere, dixisset, sicut in c. 533 « secus requiritur et sufficit ». Haec nostra interpretatio quadrat ad litteralem verborum significationem. Etiam in consueto sermone, quanto magis in usu linguae iuridicae, ea quae certe *sufficiunt* ab iis quae stricte requiruntur distinguimus. Nitimur praeterea intentione Legislatoris in hoc 1. canonis 105. Hoc enim loco, id principaliter agit ut definiat utrum necne, a voto personarum quas interrogare debet Superior recedere possit. Ac respondet Superiorem recedere non posse, si earum consensus requiratur, id vero posse, si solum earum consilium petendum sit ; neque tunc concordem earum sententiam obstare. Qua vero necessitate interrogandi sint, declarare hoc loco nec debebat nec volebat.

Nitimur etiam canone 11, qui nos monet nullas leges habilitantes vel irritantes esse nisi quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

Nitimur denique consectariis diversae interpretationis. Verba quae nullitatem non exprimunt, sed ex quibus, ut summum dicamus, quis aegre nullitatem intellectam esse inferret, tantam efficaciam haberent ut in toto Codice irritantes facerent canones in quibus postulatur ut persona quaedam audiri debeat! Quis non videt enormem istam consequentiam a spiritu praesentis Codicis esse alienissimam? Sic, v. g. canone 476, § 3 episcopus iubetur audire parochum cum vicarium cooperatorem nominat. Dicesne nullam fore nominationem si ab episcopo, non audito parocho, facta sit?

Omnia vero rationabilem vim servant, si canonem intellegas sicut sonat; si cum Codice affirmes, satis esse semper ut personae interrogentur; et cum Codice a quaestione de valore praescindas. Quandam tamen ambiguitatem in illo modo dicendi superesse non diffitemur.

2. In casu autem proposito, si modo abstrahamus a Gallia et Belgio, consultatio Capituli ad valorem requisitus videtur. Etenim, iam ante Codicem ius commune non modicas partes in cooptatione canonicorum capitulo tribuebat, ita ut, per se, collatio canonicatuum in ecclesiis cathedralibus pertineret in solidum ad episcopum et capitulum, vel, ut in pluribus regionibus, per tres menses ad episcopum per tres autem ad capitulum (per sex menses erat tunc collatio Sedi Apostolicae reservata). Quare, quod nunc canonicis a Codice servatur, ad ipsam legitimam seu canonicam nominationis formam pertinere videtur. Ex c. autem 147, « § 1. Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri; § 2 Nomine canonicae provisionis venit concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta ».

3. De Gallia tamen et Belgio, res minus constat. Ibi enim, anno 1802, cum decreto Card. CAPRARA

omnes ecclesiae denuo erigerentur, indultum Apostolicum permisit episcopis, ut saltem « pro prima vice » canonicatus vacantes licite et libere conferre possent. Inde orta est consuetudo ut in Gallia et in Belgio episcopus solus canonicos nominaret. Verum, ut modo addita voce « *saltem* » insinuabamus, usus iste episcoporum etiam fortasse in decreto Card. CAPRARA et conexo indulto innitebatur. Codex quidem reprobat consuetudinem et privilegium contrarium. Sed, ex mente legis, agitur ibi de consuetudine et de privilegio contrario libertati episcoporum.

Quocirca, pro valore nominationis sic factae, respondendum esse censemus, cum, etiam in dubio, actus debeat potius dici validus.

4. Quod in c. 403 additur « firma contraria *fundationis* lege » accipiendum est de condicionibus a fundatore seu testatore pio appositis, minime de meris legibus erectionis capituli.

2. De studiis requisitis ante ordinationem

Quaestio. C. 976, § 2 statuit: « subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni ».

Quaeritur quomodo haec rationabiliter intellegenda sint.

Cursus theologicus est ille complexus studiorum sacrorum qui per quadriennium integrum persequendus est cum a saecularibus tum a religiosis candidatis sacerdotii. Cf. cc. 589, § 1; c. 1365, § 2. Non ideo igitur quia in schola philosophiae theologia naturalis explicatur, iam alumni dici possunt versari in cursu theologico. Sic in reformatione PII X de Seminariis, 10 mai 1907 habebatur annus propaedeuticus qui complectebatur cursus de vera religione, theodicaeam,

et qui tamen nondum in cnrsu theologico computabatur. (Cf. ACTA SANCTAE SEDIS, 40, p. 341). Ut AUGUSTINE, in hunc canonem bene tradit, argumentum principale, a quo ipse cursus appellatur, considerandus est.

Annus *incipit*, non a feriis quae praecedentem annum sequuuntur, sed a praelectionibus quae haberi coeptae sunt. *Exit* annus, ex quo ad finem vergit; i-e. ni fallimur, postquam duae tertiae partes anni transierunt. Suntne ipsa examina in anno computanda? Procul dubio si simul praelectiones fieri pergunt. Si finis impositus est praelectionibus, etiam tunc potius in anno recensenda sunt. Etenim annus censetur novem mensibus constare. Nisi examina intra annum sint, saepe annus non fuerit nisi octo mensium. Est tamen qui benignius dicat et permittat ut tempus examinum, si praelectiones cessaverint, intra annum non computetur. Sic R. P. BLAT, *De Ordine*, in *Commentarium*, L. 3 p. 401. *Medietas* anni habetur, quando dimidia pars anni uno vel altero modo computati absoluta est; vel quando, ut aiunt, alterum semestre tempus advenit.

Ut liquet, haec etiam moraliter sumi possunt, ita ut aliquot dierum spatium neglegi possit.

Si, pro *incepto anno*, diceretur, *ineunte anno*, sensus foret: circa initium anni; quod ampliorem permitteret interpretationem: hoc saltem modo res intellegi posse videtur.

3. De Impeditis ab ordinatione recipienda. — Conciliatio duarum responsionum Commissionis Codici interpretando.

Difficultas. Die 16 oct. 1919, ad 13, Pontificia Commissio Codici interpretando declaraverat impeditis ex c. 987, 1, eum annumerandum esse cuius pater tantum esset catholicus, Mater vero acatholica. (*Per.* X, p. 101).

Recens, die 14 iul. 1922, ad IX, interrogata his verbis: « Utrum nomine filiorum, de quibus in can. 987, n. 1, intellegendi sint tantum descendentes in linea paterna usque ad primum gradum », Commissio respondit: « Affirmative ».

Sumptum prout sonat, responsum istud videtur temperare quod antea severe responderat Pontificia Commissio. Et sic responsum intelleximus in *Per.* t. XI, p. 170, IX. Ignorabamus tunc contextam orationem quae infeliciter est in responsione praetermissa. Novimus nunc hoc solum fuisse quaesitum, utrum, etiam in linea paterna, impedimentum non ultra primum gradum se extenderet. Ac ratio dubitandi proficiscebatur ab opinione eorum qui, ante Codicem, immo post Codicem, impedimentum, in linea paterna, ad nepotes extendebant.

Ut liquet, sic intellectum responsum intactam sinit esse responsionem 16 oct. 1919.

Etsi responsio 14 iul. 1922 sit obscura, circumlocutio « descendentes in linea paterna usque ad primum gradum » suspicionem dare poterat intentionis interrogantis. Si ad quaestionem, iam solutam, de origine materna redire voluisset, simpliciter petiisset utrum filii acatholicorum intellegendi essent tantum filii quorum pater esset acatholicus, neglecta matris religione, necne.

4. Sacramentom Confirmationis ministratum puero latino a sacerdote Graeco.

Species facti. Agapitus puer in Graecia oblatus est baptizandus sacerdoti ritus graeci, qui, more suo, statim post baptisma, puero sacramentum confirmationis contulit. Fuitne valida ista administratio?

Resp. Ut casus serio perpendi possit, supponimus sacerdotem graecum ex iis esse quibus S. Sedes facultatem ministrandi confirmationem non ademit.

C. 782, § 5 haec habet: « Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus ». Verba ista certe nihil continent unde confirmationem invalidam esse colligere possimus. In qua re minime consentire possumus R. P. BLAT O. P. (*Commentarium*, III, De rebus, I pars. p. 79) dicenti: « Pariter § 5 *Nefas est* quod verbum proprie significat prohibitionem iuris divini, quae supponit facultatem ut sint extraordinarii ministri vi § 2 can. 782, necessariam deesse presbyteris ritus orientalis ». Itaque pro eloquio clarissimo quo Codex in § 4 utebatur: « Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit »; cum agitur de presbyteris graecis, via indirecta et obscura usus esset ad idem dicendum! Nihil magis commodum fuisset quam addere: « Perinde dicendum est de presbyteris graecis. » Itaque, ut minimum dicamus, nullitas confirmationis sic indebite collatae non exprimitur. Contra, verba § 5, maxime si opponantur verbis § 4 de presbytero latino, meram prohibitionem sonant. - Si iam monumenta S. Sedis adeamus: a) Instructione sua 1782, S. *Officium* laudat episcopum Scepuzien. quod *vetuerit* ne parochi rutheni latinis infantibus quos forte baptizaverint, confirmationem administrarent (*Coll. de P. F.* I, 552). In decreto de *P. F.* 6 oct. 1863 ad litt. *C*, a) *vetantur* Rutheni ne audeant confirmare (*Coll.* n. 1243) - In resp. 5 iul. 1886 ad 1 S.C. de *P. F.* monet istam administrationem saepius esse vetitam. Interrogata ibidem utrum necne sic confirmati essent denuo postea confirmandi, absolute vel condicionate, remisit ad Decr. S. *Officii*, 14 ian. 1885, quo de confirmatione administrata a schismaticis, sic responsum est: « Non expedire ut confirmati de quibus

in casu, iterum ab episcopo inungantur, nisi ad Tonsuram et Ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi, facta inquisitione circa modum collationis, reperiatur penicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus, Confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub condicione » (*Coll.* n. 1660 et 1630).

Observes responsionem istam hanc naturalem ferre interpretationem, ut duas genere condiciones exigat ad condicionatam confirmationis iterationem ; i. e. 1. Ut vel confirmatus sit ordinandus, vel parentes confirmationem petant ; 2. Ut confirmatio sit cum usu penicilli administrata. Si is est sensus responsionis, (sed nolimus dicere id prorsus constare) validitatem implicite affirmat confirmationis administratae sine penicillo a Graecis schismaticis, qui tamen in deteriore condicione versantur quam Graeci qui communionem cum Sede Apostolica servarunt.

Ergo omnia potius suadent pro valore confirmationis esse respondendum ; ita ut minimum affirmet R. P. PRUMMER, *Manuale*, Q. 284, cum haec scribit : « Utrum talis confirmatio sit quoque invalida, non ita constat. Probabilius tamen haec confirmatio est valida ».

5. Confessarii munus parocho vel canonico paenitentiario vetitum

Species facti. Fretus c. 880, § 2, « At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut paenitentiario confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam », episcopus quidam parocho Caio munus confessarii, donec per novum examen se probaret idoneum, interdixit ob plures errores in ministrando paenitentiae sacramento commissos, praecipue circa officia coniugum. Etenim, cum medicus declarasset cuiusdam uxoris valetudine requiri ut per sex menses ei omnis graviditas vitaretur, parochus usum onanisticum matrimonii coniugibus per istud intervallum permisit.

Quaeritur iam utrum prohibitio ista ipsum valorem absolutionis afficiat, necne?

Resp. Prohibitio ista valorem absolutionum minime afficit. Etenim, etiam si de vera censura suspensionis ageretur, actus absolvendi, ex c. 2284, non foret invalidus, nisi sententia condemnatoria vel declaratoria de suspensione lata esset, aut Superior expresse declarasset ipsam iurisdictionis potestatem ab ipso revocari.

Hic autem agitur non de censura, sed de mera prohibitione facta alicui qui, qua parochus, ab ipso iure ordinariam iurisdictionem in foro sacramentali possidet. Talis autem iurisdictio cessare non potest nisi amisso officio; nec potest quod ad valorem absolutionum suspendi, nisi post sententiam condemnatoriam censurae.

Quadantenus tamen ipsa suspensione est ista prohibitio efficacior. Suspensus enim (ante sententiam) vi c. 2284 et 2261, § 2 *licite* absolvit fideles qui ab ipso absolutionem petunt, dum simpliciter prohibitus, audiendis confessionibus abstinere debet, quatenus id salva fama propria possit. Nec iuvat recursus ad S. Sedem, cum is tantum sit in devolutivo.

6. Clericus officio inamovibili in aliena dioecesi provisus

Species facti. Agatho, obtenta a proprio episcopo facultate migrandi *ad tempus* in alienam dioecesim, ibi nominatur parochus. **Quaerit** iam utrum possit munus istud simpliciter acceptare an nova licentia proprii Antistitis ipsi sit necessaria.

Resp. Agatho officium istud simpliciter acceptare potest. Nec obstat agi de munere inamovibili. Namque iura proprii Antistitis inde minime laeduntur. Etenim integrum manebit proprio Episcopo clericum suum revocare, iusta de causa et naturali aequitate serva-

ta » (c. 144). Is tunc officium resignare debebit; eiusque renuntiatio ab episcopo qui ipsum nominavit acceptanda est. Episcopus qui ipsum nominavit minorem potestatem habet. Etenim, collato beneficio, iam non potest clerico ulteriorem commemorationem in propria dioecesi vetare. Cf. c. 144.

7. De indulgentiis viae crucis.

Diruta per bellum ecclesia in qua via crucis erecta erat, mox iterum, in loco moraliter eodem aedificabitur. **Quaeritur** de necessitate novae erectionis viae crucis.

Resp. Distinguenda hic est erectio viae crucis et benedictio singularum stationum. Indulgentiae enim viae crucis simul loco et crucibus sunt annexae.

Quatenus igitur est annexa ecclesiae, applicandus est c. 924, ex quo indulgentiae locales non cessant si ecclesia funditus eversa, intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo. Quatenus autem est realis, cum cruces, ut supponimus, penitus perierint, nova viae crucis benedictione opus erit. Sed variae licentiae ad erectionem legitimam requisitae, non iam petendae erunt. Pro qualitate personae erigentis, distinctio ista alicuius vel nullius momenti esse potest.

QUAESITA DE RELIGIOSIS

1. De numero suffragiorum in capitulo electionum

Species facti. In Constitutionibus cuiusdam Instituti, duplex suffragium Superioribus Provincialibus tribuitur; permittitur praeterea ut electores impediti, aliquem ex aliis electoribus eligant ut procuratorem, qui tunc etiam duobus suffragiis potietur.

Quaeritur num dispositio ista conciliari queat cum c. 164: « Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi uni cum ferre. »

Resp. Dispositio ista Constitutionum cum. c. 164 optime componitur. Canon enim iste solum casum respicit quo quis ob plures titulos (v. g. propter annos professionis et propter munus quod gerit) ius habeat ferendi *nomine proprio* suffragii; minime autem prohibet ne ipsae Constitutiones quarundam personarum qualitati duplex suffragium directe concedant, vel quia alterum suffragium nomine proprio, alterum ut mandatarius alterius electoris ferat. Supponimus tamen duplex suffragium Superiori non ita obtingere, ut alterum qua professus, alterum qua Superior possideat, sed ambo soli Suporioris titulo esse concessa.

2. De vestitu transeuntis Sororis in noviciatu.

Species facti. Soror quaedam votorum perpetuorum, indulto a S. Sede obtento, transiit ad Institutum dioecesanum in quo, secundum Constitutiones et c. 553, noviciatus a susceptione habitus initium ducit.

Cum in eo esset ut habitum noviciarum susciperet, episcopus id vetuit, ratus a dicta Sorore servandum esse, usque ad novam professionem, habitum religionis unde transierat. Ipsam enim usque ad novam professionem ad antiquum Institutum pertinere, ac proin obligatione teneri servandi habitum factae professionis.

Quid iuris?

Manifesto errore episcopus deceptus est. S. Sedes enim, dum transitum permisit, virtualiter omnem facultatem fecit regulariter inchoandi et peragendi noviciatum. Nec sane istud mirum admisisset ut noviciae Instituti essent diversi externi coloris. Immo, nonne

saepius expediet ut de transitu religiosae noviciae non fiat inter novicias sermo, sed rem potius ipsae ignorent? Praeterea ipse c. 633, § 1, suspendit, durante noviciatu, omnes obligationes particulares quas transiens in religione derelicta habebat. Inter istas obligationes, obligatio ferendi habitum numeratur. Practice tamen, ob vetitum episcopi, qui a c. 533 dispensare nequit, Soror nostra noviciatum inchoare prohibetur.

Non restat igitur nisi ut ad S. Sedem recurratur, quae iussione sua omnem difficultatem auferet.

3. **De perseverantia in Instituto post vota temporaria.**

Species facti. Constantia, soror votorum temporariorum, ad recuperandam valetudinem, obtenta licentia, apud parentes suos divertit. Dum ibi commorabatur, dies votorum advenit. De iisdem renovandis nec ipsa nec Institutum sollicitudinem habuit. Plures sic transiere anni; post quos, Constantia, recuperata valetudine, ad suum Institutum redire voluit. Superiorissa autem eam iam pro sua filia, post tantum tempus non agnovit: elapsis votis solutum fuisse vinculum cum Instituto. Constantia autem obiciebat: numquam dimissa sum; numquam vocationi meae formaliter nuntium dedi. Ergo ius meum intactum mansit. **Quid** iam dicendum est?

Resp. Constantia melius quam Superiorissa ratiocinata est. Ut vinculum professione temporaria inductum solvatur, opus re vera est, ut ad normam c. 657 religiosa Soror a renovandis votis excludatur, vel ad normam c. 647 durantibus votis dimittatur, vel ipsa religionem libere et formaliter deseruerit. Nullo canone sancitur ut extraneus fiat Instituto religiosus qui, elapso tempore, vota simpliciter non renovaverit vel in domo religiosa non sit commoratus.

Immo, nonne decreto *Inter reliquas*, 1 ian. 1911 *(Per.* V, 282 ss), dum votorum renovationem durante militia religiosis interdixit, ipsa S. Sedes eos posuit in condicione religiosorum qui, sine renovatis votis, ad religionem pertinere pergunt?

Soror itaque Constantia, sine noviciatu vel dispensatione recipi in suam religionem potest, et per se debet.

Atque hoc modo ipsa S. Congregatio, non ita pridem, casum solvit. Ipsa tamen provisiones quas adiuncta facile tunc exigunt prudenter sumere non omittet.

4. De Ordinario competente quod ad indultum saecularizationis.

Species facti. Petrus, religiosus Congregationis dioecesanae, laicalis, per plures annos, ad curandum valetudinem in alia ac suae domus dioecesi degere coactus est. Nunc se imparem ferendis vitae religiosae oneribus asserens, ab omni obligatione liberari cupit. **Quaestio** vero oritur, quisnam sit Ordinarius loci, de quo c. 538, competens ad indultum saecularizationis concedendum.

Resp. 1. Si Petrus domui a qua profectus est ascriptus mansit, Ordinarius loci in quo ista domus sita est, procul dubio competens mansit. Est enim Petri Ordinarius proprius ratione domicilii; et, stricto sensu, relate ad ipsum Ordinarius loci dici potest, cum religiosus, mediante domo cui est ascriptus, ad territorium determinatum pertineat.

2. At Petrus in alia dioecesi quasi-domicilium acquisivit, vi commorationis ultra sex menses. (Cf. *Epitome iuris canonici*, I, 166.) Ratione huius quasi-domicilii, Ordinarius huius quoque dioecesis est ipsi sus Ordinarius *proprius*. Dicendusne est eius Ordinarius loci? In quantum haec **qua**estio sensum habeat-

nemo enim Ordinarius loci alicuius personae dicitur Affirmative respondemus, cum religiosus eius sit subditus ratione ipsius territorii, per quasi-domicilium. Itaque et iste Ordinarius competens erit ad concedendum indultum saecularizationis. IOS. CREUSEN S. I.

5. **Absolutio delicti occulti cum censura reservata.**

Abbas monasterii sui iuris sic ratiocinatur. Sum Ordinarius; vi c. 2237, § 2, possum poenas latae sententiae iure communi statutas remittere (exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis) modo casus fuerit occultus. Occultum vero est, vi c. 2197, quod non est publicum, i. e. quod nec divulgatum est nec in talibus versatur adiunctis ut facile divulgandum sit. Praeterea, ut Ordinarius sua potestate uti possit, satis est ut delictum in suo territorio sit occultum. Atque, ex c. 875 et 514, meam iurisdictionem exercere possum etiam erga eos qui ratione hospitii, diu noctuque in monasterio versantur.

Iam vero, mei monachi, perpetuo silentio addicti, ignorant quae extra monasterium accidant. Quare occulti hic sunt casus in quibus versantur laici vel sacerdotes qui in meo monasterio exercitia spiritualia peragunt. Ideo mihi licet, per me vel per deputatos a me confessarios, personas istas a casibus non specialiter reservatis S. Sedi absolvere.

Quid de isto modo ratiocinandi dicendum est?

Resp. 1. Non obstante silentio cui monachi addicti sunt, difficile hodie aderunt circumstantiae ob quas, etiam in solo monasterio, prudenter occultus aestimari possit casus qui in ipso monasterii loco sit publicus. Etenim, ex c. 2197, publicum (cui opponitur occultum) iam est delictum quod in talibus adiunctis versatur ut prudenter iudicari possit facile divulgatum iri. Quae divulgatio etiam per litteras accidere potest.

2. Si tamen circumstantiae sinant ut delictum aestimetur occultum in monasterio, supra dictus modus ratiocinandi cum sufficienti probabilitate admitti posse videtur.

Etenim, satis constat delictum in alio loco publicum ab Ordinario absolvi posse in loco ubi sit occultum. Quod, teste PALMIERI, *Opus theol.* tr. XI, t. 7. n. 152 nota, cum praxi S. Paententiariae congruit. Praeterea canonistae existimant iam haberi populum ubi sint decem personae (Cf. REIFFENSTUEL, *Ius can.* L. V. Tit. 1, n. 249). Et S. ALPHONSUS, L. VII n. 76 haec habet: « Ut delictum dicatur non occultum, oportet ut notum sit saltem maiori parti oppidi, viciniae, parochiae, collegii seu monasterii ».

VARIA LITURGICA

1. Vigentes leges de praefationibus.

Responsa 17 nov. 1922 de praefationibus (1) nobis utilem, ni fallimur, occasionem praebent praesentes de praefationibus regulas exponendi, praesertim cum nonnullae recens mutatae sint.

1. Regula generalis. — Salvis exceptionibus, de quibus infra, in omni missa, etiam votiva dicitur:

1. praefatio propria ipsi missae, si habeatur.

2. secus, praefatio propria commemorationis in missa factae, et si plures occurrant commemorationes praefatione propria gaudentes, praefatio propria primae ex ipsis.

(1) E nota A. A. S. 27 dec. 1922 p. 773, in dubio II « de qua fit officium cum missa et commemoratione Dedicationis », legendum est: « de qua fit commemoratio in officio et missa Dedicationis ».

3. ea deficiente, praefatio de occurenti octava communi;

4. si talis quoque defecerit, praefatio propria de tempore;

5. demum, praefatio communis (*Additiones VIII,1).*

1. **Praefatio propria missae.** Secundum novas rubricas, praefationem propriam habent tum quaedam missae de tempore, tum quaedam missae de festis.

In missis de tempore, ut propria habenda est:

a) praefatio de octava in dominicis infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae et Ascensionis Domini, ita ut haec praefatio in his missis adhibenda sit, etiam si forsan post octavam sit resumenda (*Rubr. spec. in missa de dominica infra octavam Nativitatis Domini et in missa de dom. infra oct. Epiphan.*), item *praefatio de octava* in missa de dominica infra octavam Corporis Christi, dummodo tamen in ea commemoratio fiat octavae;

b) praefatio de tempore in missis de dominica et de feria quae celebrantur tempore quadragesimae, passionis et paschatis usque ad vigiliam Ascensionis, item *praefatio de Nativitate Domini* in missa de vigilia Epipaniae, *praefatio paschalis* in missa de rogationibus (1) et de vigilia Ascensionis, tandem *praefatio de Ascensione* in missa de feria VI post octavam Ascensionis;

c) praefatio de Ss.ma Trinitate in ceteris dominicis, etiam in sabbato anticipatis, non tamen in missis alicuius ex his dominicis infra hebdomadam resumendis.

B) In missis de festis, ut propria habenda est:

a) praefatio de Nativitate Domini, praeter mis-

---

(1) In missa de rogationibus dicitur *In hoc potissimum*, etiam si celebrari debeat infra octavam Paschatis, dummodo tamen commemoratio octavae sit omittenda, secus, si haec commemoratio sit facienda, dicitur *In hac potissimum die.*

sas de Nativitate et de Circumcisione Domini, in missis de Ss.mo Nomine Iesu, de Ss.mo Eucharistiae Sacramento, de Transfiguratione Domini ac de Purificatione beatae Mariae Virginis, item in Missis pro aliquibus locis de sacratissimo Corde (*Egredimini*) toto anni tempore et de Fuga in Aegyptum;

b) *praefatio de Epiphania*, praeter missas de Epiphania eiusque octava, in missis de sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph;

c) *praefatio de cruce* in missis de sancta Cruce, de Passione Domini, de pretiotissimo Sanguine et de sacratissimo Corde (*Miserebitur)*, item in missis pro aliquibus locis de Ss.mo Redemptore, de Oratione, sacra spinea Corona, sacra Lancea et Clavis, de sacratissima Sindone ac de Quinque Vulneribus D. N. I. C;

d) *praefatio de beata Maria Virgine* in omnibus missis de beata Maria Virgine, exceptis tamen missis de Purificatione, ac missis de vigiliis (1);

e) *praefatio de s. Ioseph* in omnibas missis de s. Ioseph (2);

f) *praefatio de apostolis* in omnibus missis, exceptis tamen missis de vigiliis apostolorum et evangelistarum, item in missa Creationis et Coronationis Papae et utriusque anniversarii.

C) In omnibus missis de Requiem dicitur *praefatio defunctorum.*

2. Praefatio de missa commemorata. Antiqui-

---

(1) In hac praefatione dicitur *Et te in Annuntiatione*, vel *Visitatione*, vel *Assumptione*, vel *Praesentatione* secundum denominationem festi, item in missis pro aliquibus locis *in Desponsatione* vel *Exspectatione*, in missis de Conceptione immaculata et de Apparitione b. Mariae Virg. immaculatae dicitur *Et te in Conceptione immaculata*, in missis de septem Doloribus *Et te in Transfixione*, in festo de Monte Carmelo *Et te in Commemoratione*, in omnibus aliis festis, etiam in festo sacratissimi Rosarii, dicitur *Et te in festivitate;* in missis vero de s. Maria in sabbato et in missis votivis, in quibus speciale mysterium non sit exprimendum, *Et te in veneratione.*

(2) In missis votivis de s. Ioseph dicitur in hac praefatione *Et te in Veneratione*, in omnibus aliis *Et te in Festivitate.*

tus, extra missas votivas, nulla occurrebat commemoratio praefatione propria gaudens praeterquam octavae vel temporis (praefatio de Ss.ma Trinitate in dominicis dicenda aequiperabatur praefationi de tempore); quod si in missa votiva quandoque occurrebat commemoratio missae propriam habentis praefationem, haec tamen praefatio in praedicta missa prorsus negligebatur: « In missis votivis dicitur etiam praefatio propria, si propriam habuerit; si vero non habuerint, dicitur praefatio de tempore vel octava, infra quam contigerit huiusmodi missa celebrari » (*Rubr. gen. Missalis XIII, 4*). Nunc autem, cum ob mutatas de translatione festorum regulas, plura iam festa solam obtineant commemorationem, regula admissa est ut de officio vel missa commemorata partes propriae serventur quae commode possunt, nec indoli praevalentis officii vel missae repugnant, quod generatim obtinet pro missis praefationem propriam non habentibus.

Non omnis tamen oratio in missa addita ius retinet in defectu praefationis magis propriae suam imponendi, sed commemoratio tantum proprie dicta, scilicet oratio quae locum tenet missae impeditae, cuiusmodi certo non sunt orationes a rubricis vel decretis praescriptae, uti v. g. orationes de tempore, collectae ab Ordinario imperatae, et a fortiori orationes ad libitum celebrantis superadditae, sed neque oratio pro papa in anniversariis creationis et coronationis dicenda vi rubricae (*Additiones II, 4*); tantum enim abest ut haec oratio indolem habeat commemorationis proprie dictae, seu locum teneat missae impeditae, ut ex ipsa rubrica « Missa votiva quae pro iisdem anniversariis in missali assignatur, modo privato celebrari nequeat » (*Ibid.*). Nisi ergo Ordinarius in praedictis anniversariis hanc missam praescripserit tamquam votivam sollemnem pro re gravi et publica

simul causa, haecque ob praevalens officium sit impedita, ita ut secundum rubricas eius oratio sub prima conclusione cum oratione ipsius missae sit coniungenda, nullum influxum in praefationem dicendam habet (1).

3. **Praefatio de octava**. Secundum antiquas rubricas, in omnibus missis infra quamlibet octavam celebratis, exceptis tantum missis de Requiem, dicenda erat, disiunctim quoque a commemoratione octavae et in ipsa etiam dominica, praefatio propria octavae, quotiens ipsa missa propriam non habebat. Regula nunc restringitur ad solas octavas communes. Et primo quidem diebus infra octavam simplicem, cum de octava nihil prorsus fiat, neque eius praefatio est attendenda; immo in ipsa die octava haec praefatio tunc tantum adhibebitur si de octava saltem fit commemoratio, quo casu praefatio habenda est propria alicuius commemorationis. Sed neque valet pro octavis privilegiatis; de his enim regulariter in omnibus missis fieri debet commemoratio ac proin profecto dicenda erit praefatio octavae tamquam propria alicuius commemorationis, quotiens ipsa missa aut commemoratio prius habita aliam praefationem non exigant. Quod si in missa conventuali vel cantata, propter aliam missam conventualem vel cantatam de octava vel cum eius commemoratione factam omittenda sit commemoratio octavae, pariter neglegetur iam praefatio octavae uti expresse dicitur in rubricis specialibus harum praefationum (2).

4. **Praefatio de tempore**. Ante reformatas rubricas, praefatio de tempore semper dicenda erat in

(1) Si in missis in quibus additur oratio pro papa ob anniversarium creationis vel coronationis dicenda foret praefatio apostolorum, pariter in eis, dummodo non essent ritus simplicis, dicendum foret Credo, utpote conveniens alicui commemorationi in missa factae.

(2) In altera editione typica missalis hae rubricae speciales unice inveniuntur ante singulas praefationes sine cantu, unde fit ut multo clarius indicari possint casus omnes in quibus textus uniuscuiusque praefationis sit adhibendus.

omnibus missis, solis missis de Requiem exceptis, in quibus dicenda non erat praefatio propria vel de octava. In praesenti disciplina dicenda est:

a) *praefatio de Nativitate Domini*, in missis quae dicuntur a die 2 ad 4 ianuarii;

b) *praefatio paschalis*, in missis quae celebrantur tempore paschali usque ad vigiliam Ascensionis inclusive;

c) *praefatio de Ascensione Domini*, in missis quae celebrantur feria VI post octava eiusdem Ascensionis.

De *praefatione quadragesimali* et *temporis passionis* non iam fit mentio, quia infra quadragesimam et tempus passionis regulariter de feria fit commemoratio, ideoque eius praefatio dicenda est tamquam propria alicuius commemorationis; quod si in missa conventuali vel cantata omittenda sit commemoratio feriae propter aliam missam conventualem vel cantatam de feria vel cum eius commemoratione, omittenda quoque erit eius praefatio uti superius diximus de octava privilegiata.

II. Exceptiones a regula superius data. 1. Prima exceptio, quae nova non est, respicit missas infra octavam Nativitatis Domini celebrandas. Antiquitus infra hanc octavam, in omnibus missis quae secus praefationem propriam haberent, uti constat ex rubrica speciali quae in antiquis missalibus legebatur tam in prima missa diei Nativitatis, quam in missa festi s. Ioannis; in missis vero votivis sollemnibus pro re gravi infra eandem octavam celebrandis ex decreto a Ss.mo approbato d. 25 sept. 1706, quodque in initio missalis referebatur, praefatio dicenda erat iuxta rubricas generales tit. XII, n. 4; ideoque tunc tantum adhibenda erat praefatio de Nativitate quando ipsa missa votiva propriam non habebat. In nova editione typica missalis, exceptio extensa est ad

omnes prorsus missas infra praedictam octavam celebrandas, etiam ad missas votivas, cum restrictione tamen « dummodo in his de ipsa octava fiat commemoratio ». Porro, in altera editione typica haec regula paululum mutata exceptioni novam affert restrictionem; sic enim nunc habet: « Excipitur ab hac regula praefatio de Nativitate Domini, quae infra octavam eiusdem Nativitatis dicitur in omnibus missis, etiam in iis quae secus praefationem propriam haberent, dummodo in his et de ipsa octava vel de dominica infra octavam fiat commemoratio, et ipsa missa aut commemoratio prius habita, aliam de divinis mysteriis vel personis non exigant praefationem ». Et in rubricis specialibus expresse dicitur praefationem de Epiphania dici in missis de sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph, quamvis infra octavam Nativitatis Domini celebrandis, praefationem de Cruce adhibendam esse in omnibus missis, quamvis infra octavam Nativitatis Domini celebrandis, de sancta Cruce, de Passione Domini, de pretiosissimo Sanguine et de sacratissimo Corde (*Miserebitur*), praefationem de Spiritu sancto dicendam esse in missis votivis de Spiritu sancto, quamvis infra octavam Nativitatis Domini celebrandis, et praefationem de Ss.ma Trinitate in missis de Ss.ma Trinitate, quamvis infra octavam Nativitatis Domini celebrandis. Unde, in missis quae infra octavam Nativitatis Domini celebrantur cum commemoratione octavae vel dominicae infra eandem octavam solae excluduntur praefationes de beata Maria Virgine, de s. Ioseph et de apostolis, etiam si convenirent ipsi missae celebratae vel alicui commemorationi prius habitae.

2. Ceterae exceptiones per novum ius sunt introductae, et secunda quidem in nonnullis missis quasdam praefationes prohibet utpote indoli harum missarum minus convenientes:

a) Non decet ut in missa de mysterio Domini dicatur praefatio alicuius sancti, ac proin, si talis missa careat praefatione propria, quod verificatur in missa de Dedicatione ecclesiae, haec tamen numquam admittet praefationem de beata Maria Virgine, de s. Ioseph aut de apostolis, etiam si talis conveniret ratione commemorationis factae vel currentis octavae, sed eius loco tunc dicetur praefatio cummunis; similiter tali missae non videtur convenire praefatio quadragesimalis quae nec ipsa est de aliquo mysterio divino, et cuius loco pariter dicetur praefatio communis. Non ideo tamen haec praefatio communis habenda est uti propria harum missarum in ipsis semper dicenda: praefationes enim de mysterio vel persona divina, scilicet de Nativitate Domini, de Epiphania, de cruce, paschalis, de Ascensione, de Spiritu sancto et de Trinitate, si ratione commemorationis, octavae, vel temporis exiguntur, in his missis dicuntur secundum rubricas.

b) Missis de tempore Adventus in quibus exspectatur nasciturus Dominus non convenit praefatio de B. Maria Virgine, in qua celebratur Dominus iam natus, ideoque in his missis haec praefatio numquam est dicenda, sed eius loco sumitur praefatio communis.

Notandum tamen praefationem B. Mariae Virginis nullo modo prohiberi in missis in quibus tantum commemoratio fit de tempore Adventus; itemque praefationes de B. Maria Virgine, de S. Ioseph et de apostolis minime prohiberi in missis in quibus fit tantum commemoratio de Dedicatione ecclesiae vel de aliquo Domini mysterio.

3. Ultima exceptio est extensio principii in rubricis iam admissi quod ad commemorationes. Rubricae generales missalis etenim statuunt ut si plures celebrandae sint missae conventuales, in nulla ex iis fiat commemoratio de aliis (tit. VII, 2). Ex novis rubricis

idem iam servandum est, si plures habeantur missae cantatae, etiam si nulla ex iis fuerit conventualis, vel si, praeter conventualem, habeatur missa in cantu, etiam si conventualis fuerit tantum lecta, immo, in casu, in nulla ex his missis dicuntur praefatio aut aliae partes quae propriae sint alterius missae vel propriae item alicuius commemorationis in altera missa factae vel faciendae. (*Additiones, V, 4*) (1): et haec est ratio cur, uti superius diximus, praefatio de octava privilegiata sicut etiam praefatio de tempore quadragesimali et passionis non adhibetur nisi in missis quae fiunt cum commemoratione octavae vel temporis. Porro, hoc extenditur ad praefationem de octava communi et de tempore, quae pariter in una tantum ex missis conventualibus vel cantatis erit adhibenda, nempe in missa propria, si dicatur, secus in missa de officio diei, et, ea deficiente, in prima ex missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis (*Additiones V. 5*).

III. Cantus prefationum. - Cantus sollemnis adhibetur in omnibus missis de quolibet officio duplici vel semiduplici, et in missis votivis pro re gravi et publica simul causa. Item in missis de Sollemnitate externa, de festo dnplici vel semiduplici impedito ac de festo quod cum magna populi frequentia celebratur. Quibus addi debent missae votivae quae ex privilegio celebrantur ritu duplici. Numquam vero adhiberi potest in missis ritus simplicis nec proin in missis votivis quae pro re gravi et publica causa non

---

(1) In eundem sensum mutata est rubrica de *Communicantes* proprio Secundum antiquas rubricas, *Comunicantes* proprium dicendum erat in omnibus missis quae infra octavam celebrabantur, etiam si in eis de octava nulla facta fuerit commemoratio decr. n. 1333, 8), solis exceptis missis de Requiem; et idem habebat rubrica in priore editione typica: « Et dicitur per totam octavam in omnibus missis, quae non sunt defunctorum ». In altera vero editione rubrica sic est emendata: « Et dicitur per totam octavam in omnibus missis quae de octava vel de dominica infra octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius commemoratione habeantur ».

sint, in quibus adhibendus est cantus ferialis. Neque commemoratio aut octava praefatione propria gaudens, licet iuxta rubricas ius servet ad illam quod ad textum, ius etiam servat quod ad cantum sollemnem, nisi talis cantus ipsi missae quae celebratur conveniat (*Rubr. ante praefationes in cantu sollemni et feriali*). In festis sollemnioribus et missis quae ipsis aequiperantur adhiberi etiam potest cantus sollemnior, etsi ille cantus in nova editione non est additus (*Decr. 19 apr. 1921*) (1). IOS. PAUWELS, S. I.

2. De officio quod clericus in sacris extra dioecesim dicere debeat.

Ad quodnam officium tenetur clericus in maioribus constitutus, qui legitime extra propriam dioecesim versetur ?

1. De iure clericus saecularis officium recitare tenetur iuxta kalendarium illius ecclesiae cui est ascriptus sit, vel si nulli ecclesiae ascriptus sit, dioecesis ad quam pertinet. Sed quid, si legitime extra suam dioecesim versetur ? Nullum negotium res facit si agitur de episcopo, vel canonico, vel beneficiario, qui omnes semper tenentur ad officium propriae ecclesiae (decr. 1599, 19 iul. 1677 ad 2, et 2682, 12 nov. 1831 ad 46), neque de clerico vel sacerdote qui alibi domicilium figit, vel pergit animo domicilium figendi: ille etenim certo certius tenetur ad officium iuxta kalendarium dioecesis ad quam divertit, quippe cuius subditus fiat (decr. 1445, 14 maii 1672) (2).

---

(1) Hoc decretum, quod in A. A. S. non fuit promulgatum, sed apud Ephemerides liturgicas ian. 1922 legitur, declarat adhuc licitum hunc cantum sollemnem praefationum sicut et varias intonationes *Gloria in excelsis* et varios modos cantandi *Ite, missa est*; et editoribus liturgicis facultatem facit illos cantus in appendice addendi.

(2) GAVANTUS, *Commentaria in Rubricas Breviarii* sect. II, c. 1, n. 16. - CAVALIERI, *Commentaria* tom. 2, dec. 361, n. XV. - QUARTI, *Commentaria* p. 1, tit. 14 dub. 2 in fine. DE HERDT, *Sacrae Liturgiae praxis*, tom. 2, n. 228, R. VI, 3. - VAN DER STAPPEN, *Sacra Liturgia*, tom. 1, q. 99, 5.

Reliqui vero clerici qui extra propriam dioecesim versantur, sed cum animo in eandem quam primum redeundi, si brevi tantum tempore abfuturi sint, proprium sequi kalendarium tenentur, sicut etiam illi qui peregrinantur, nullibi diu mansuri. Si vero extra propriam dioecesim ad longum tempus morentur, puta studiorum causa, certe conformari possunt cum officio loci ubi morentur (decr. 2682, 12 nov. 1832 ad 46). Putat tamen CAVALIERI (1) convenientius illos kalendarium sequi propriae dioecesis; contra, GAVANTUS (2) et nonnulli alii eos ad officium loci in quo versantur astringunt, si ibidem maiori anni parte sint commoraturi; et hoc cum principiis magis videtur consentaneum: eo ipso enim quod ibi commorantur cum animo manendi saltem ad maiorem anni partem, vel quod ipsorum commoratio reapse protracta est ad maiorem anni partem, ibidem quasi-domicilium acquirunt (can. 92 § 2) et legibus huius territorii tenentur (can. 13 § 2); quod etiam liturgice rectius videtur: officium enim divinum, etiam si privatim recitatur, non est tamen devotio aliqua privata sed officium publicum, quod nomine communitatis persolvitur; iamvero per commorationem diuturnam clericus huius ecclesiae in qua reapse commoratur quodammodo fit membrum, ac proinde etiam eius officium persolvere tenetur.

IOS. PAUWELS, S. I.

Quid autem si habitent in seminario quod regularibus vel etiam Societati peculiari kalendario utenti sit penitus concreditum?

Resp. Res plerumque S. Sedis indulto dirimitur. Secluso tali indulto, cum etiam monasteria sint in

(1) CAVALIERI, *Commentaria.* Ibid.
(2) GAVANTUS, *Commentaria.* Ibid.
(3) Confer QUARTI. *Commentaria.* Ibid. — DE HERDT, *Sacrae Liturgiae praxis.* Ibid.

territorio, alumni isti quasi-domicilium habent in dioecesi in qua seminarium exsistit. Quare solutio non inde mutanda videtur. Quamquam pro maiore unitate in domo et perfectiore conformitate missae cum officio, indultum quo alumni kalendarium religiosorum vel praefectorum suorum sequi permittantur, omnino optandum videtur.

3. In decr. Romana, De missa votiva pro fidei propagatione 17 nov. 1922.

(A. A. S. 15 dec. 1922, p. 650)

ANNOTATIONES

Hac authentica declaratione S. R. C. mirum in modum confirmatur quod scribebat R. P. VERMEERSCH (1) tam de indole facultativa et non praeceptiva huius missae, quam de facultate, designata die, in singulis ecclesiis plures missas votivas privilegiatas celebrandi.

Episcopi ergo est pro tota diocesi certam determinatamque diem designare in qua indultum locum habeat; nec potest, ut primo aspectu videri potuisset, variis ecclesiis varios designare dies, nec rectoribus ecclesiarum aliquam optionem quod ad hoc relinquere. Potest autem eligere sive diem fixam, sive etiam dominicam vel feriam, iis tantum exceptis diebus qui in indulto enumerantur, ergo etiam diem infra octavam 3 ordinis, feriam maiorem non privilegiatam, non vero diem in qua agenda est commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quae post decr. 28 febr. 1917 (2) festis sollemnioribus primariis ritus duplicis 1 classis et Ecclesiae universalis amodo est aequiperanda. Porro assignata die nullus sacerdos per se tenetur ad praedictam missam votivam privilegiatam celebrandam, nec potest ad hoc ab episcopo cogi. Potest quidem Ordinarius, si condiciones in rubricis (*Additiones*

(1) De re canonica et morali, *Periodica* t. XI, n. 19, p. 53.
(2) Ibid. t. VIII, n. 150, p. 265.

II, 3) verificantur, missam pro fidei propagatione imponere tamquam votivam sollemnem pro re gravi et publica simul causa; sed haec missa tunc nullo modo imponitur vi praesentis indulti, neque regulas sequitur hic traditas, sed illas quae pro missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa in rubricis traduntur. Contra, hac die in omnibus ecclesiis et oratoriis quae intra limites dioecesis continentur, sive ad saeculares pertineant, sive ad regulares, etiam in oratoriis privatis, sacerdotes omnes praedictam missam votivam privilegiatam celebrare possunt, nisi kalendarium ad quod secundum rubricas celebrans se conformare debet, hac die aliquod ex officiis excludentibus habeat, dummodo non teneantur ad missam ex rubricis aut decretis praescriptam. Talis, ex ipso decreto, est missa conventualis diei currentis, missa de rogationibus celebranda post processionem litaniarum, missa votiva de Ss.mo Sacramento vel pro pace praescripta in oratione XL horarum, quibus profecto addenda est missa pro sponsis in benedictione nuptiali. E converso, explicite decretum permittit missam votivam quando urget onus missae parochialis. Antiquitus haec missa semper officio diei conformis esse debebat (decr. 3887, 21 febr. 1896) nec sine indulto apostolico, etiam in sollemnitatibus a Card. Caprara ad dominicem translatis, in eius locum, missa sollemnitatis permittebatur (decr. 4269, 27 maii 1911 ad 8), unde in indultis quibus praeter ordinem officii aliquando missae permittebantur, haec solebat addi restrictio: « praeter missam conventualem *et parochialem*, semper de officio diei dicendas » (decr. 28 oct. 1913 I, 2) (1), vel: In ecclesiis ubi adest onus celebrandi missam conventualem *vel parochialem* cum applicatione pro populo, eiusmodi missa de occurrente officio

(1) *Periodica*, t. VII n. 707, p. 199.

numquam omittenda erit » (Instr. 22 maii 1912, IV) (1). In novis tamen rubricis habetur quidem adhuc prohibitio celebrandi quamlibet missam defunctorum quotiens urget obligatio missae cuiuslibet conventualis *vel parochialis*, cui per alios sacerdotes satisfieri nequeat « (*Additiones III, 12*), sed ubi agitur de missis votivis, dicitur tantum illas, quamvis eas ritus diei currentis alioquin permitteret, prohiberi in ecclesiis ubi cuiuslibet missae conventualis onus urgeat » (*Additiones II, 11*), et S. R. C. decreto 16 iun. 1922 (2), illam rubricam explicans, declarat a parocho pro populo applicari posse missas votivas in novis rubricis comprehensas. Nonne hinc concludere possumus antiquam regulam tacite saltem esse abrogatam, nec pro parochiali iam prohiberi nisi missam de Requiem? Patet ceterum diebus quibus urget onus missae parochialis quaestionem moveri non posse de missa votiva privata.

Missa privilegiata pro fidei propagatione celebranda est, uti rite iam animadvertit R. P. Vermeersch, cum omnibus commemorationibus et orationibus quae duplici conveniunt, et ideo omittendae sunt orationes de tempore, non vero collecta imperata. Pro praefatione et ultimo evangelio standum est rubricis, et si missa celebretur in cantu, cum sit ritus duplicis, adhibendus erit cantus sollemnis. Si aliquando haec missa votiva, sive in tota dioecesi, sive in aliquo particulari ecclesia impediatur, fieri potest eius commemoratio sub unica conclusione cum prima oratione, dein sub distincta conclusione adduntur commemorationes et orationes quas exigit ipsa missa; haec tamen commemoratio prohibetur si occurrat festum duplex 1 classis Domini primarium universalis Ecclesiae, praeter quam

(1) *Periodica*, t. VI, n. 579, p. 222.
(2) *Periodica*, XI, p. 113 et 119.

Feriae II et III Paschae et Pentecostes, in quibus id permittitur (*Additiones V. 3*).

IOS. PAUWELS, S. I.

4. De Missa Dominicae impeditae

Dubium. Quanam die reponenda est missa de dominica impedita infra octavam Epiphaniae, quando, occurrente dominica die 7 ianuarii, sequenti die in officio de octava commemoratio facienda est officii duplicis ?

Resp. Non obstante commemoratione duplicis, haec missa reponenda est feria II die 8. Etenim ex rubrica quae in novis missalibus huic missae de dominica praeponenda est: « Missa huius dominicae infra octavam impedita, si ipsa dominica a die 7 ad 11 ianuarii occurrerit, reponitur in proximiorem sequentem feriam in qua officium agatur de octava. » Rubrica simpliciter assignat primam feriam in qua officium fit de octava, nec excipit casum quo in hac feria commemoratio fieret de aliquo duplici ; sed neque rubrica generalis (*Additiones I, 6*) talem habent exceptionem : excipit quidem casum quo occurreret vigilia, quod accidere potest infra octavam Corporis Christi, sed nihil habet de occurrente duplici, quod tamen infra eandem octavam multo pluries occurret; et ratio huius differentiae patet: ex reposita missa de dominica, missa vigiliae detrimentum acciperet, cum ipsa tunc celebrari non possit conventualis; missa vero de duplici nullum inde accipit detrimentum, cum ipsa solam habeat commemorationem sive missa de dominica in hac die reponatur, sive non.

IOS. PAUWELS, S. I.

5. De usu campanulae in missa.

I. Vi rubricae, in Missa privata campanula bis pulsari debet: primo ad *Sanctus*, et secundo cum elevatur Sacramentum (1); quod quidem servari debet etiam in Oratoriis privatis. Etenim ad quaesitum: « Num rubrica qua praecipitur campanulam a ministro missae lectae pulsari, spectet etiem ad oratoria privata, in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro », respondit S. R. C. « Campanula in missa pulsanda est etiam in privatis oratoriis » (2). A lege tamen quidam excipiuntur casus:

Et 1. quidem nequaquam campanula pulsari potest quamdiu in ecclesia vel oratorio Sanctissimum Sacramentum est publice expositum. Exceptio iam legitur in Instructione Clementina pro Adoratione XL horarum: « In missis privatis, quae durante expositione celebrantur, non pulsetur campanula ad elevatonem, sed tantum in egressu celebrantis e sacristia detur tenue signum cum solita campanula » (3); ad eam tamen minime restringitur, sed pro omni valet expositione, uti patet ex binis S. R. C. responsis ad quae praesens decretum appellat. Interrogata etenim: « An observari possit usus qui viget in Belgii dioecesibus campanulam pulsandi intra missam durante Sanctissimi Sacramenti expositione, saltem in casu quo altare ubi celebratur Missa, ad latera sit altaris maioris, ubi fit expositio, et ita removeatur periculum irreverentiae erga Sanctissimum Sacramentum patenter expositum », respondit: « Negative. » (4). Et iterum: « An possit agitari campanula decursu

(1) Ritus servandus in celebratione Missae, tit. VII, n. 8 et tit. VIII. n. 6.
(2) Decr. 3638, Marianopolitana, 18 iul. 1885 ad 3.
(3) Instructio Clementina, § 16.
(4) Decr. 3157, Mechlinien. 31 augusti 1867, specialiter approbatum a Summo Pontifice Pio IX, 5 septembris eiusdem anni, ad 10.

missarum quae leguntur in eodem altari ubi scilicet Sanctissimum est expositum, saltem diebus dominicis ratione populi pro ea missa congregati » respondit: « Negative, et detur decretum in una Mechlinien. 31 augusti 1867 ad X » (1). Ex iterato hoc responso, in quo etiam reprobatur usus vigens, patet prohibitionem esse generalem. Ratio prohibitionis, a Cavalerio datur: « Ex Rubricarum praescripto minister intra missam bis campanulam pulsat: primo nempe ad *Sanctus,* ad excitandos adstantium animos ad proxima mysteria, et secundo ad elevationem sanctissimi Sacramenti, ut fideles commonefiat ad illud adorandum. Quotiens Sacramentum est in altari patenter expositum, eiusmodi signa ad elevationem (a fortiori utique etiam ad *Sanctus*, etsi huius Instructio minime meminerit) dari interdicuntur. Cum enim tunc in actuali Sacramenti veneratione et profunda Mysteriorum meditatione maxime supponatur commorari, haud indiget per pulsationem campanulae excitari ad venerationem Sacramenti, quod in Missa elevatur, quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adorat expositum. *Nelle Messe private* habet sanctio; et de his specialis ulterius militat ratio, quia cum extra altare expositionis supponantur haberi, cogerentur alias fideles hic inde ad diversa sese convertere altaria cum maximo utique incommodo, praesertim ubi plurimae celebrantur missae » (2).

2. Altera exceptio missas spectat quae leguntur dum in ecclesia alia celebratur functio liturgica. Ad quaesitum: « Quomodo se gerere debeant canonici vel alii qui horas canonicas in Choro persolvunt, dum, vel in ipso altari chorali, vel in alio posito e conspectu chori, missa privata dicitur, fitque elevatio

(1) Decr. 3448, Societatis Iesu, 11 maii 1876 ad 2.
(2) CAVALIERI, *Opera omnia liturgica.* Tom. IV, cap. VIII, § 16, I.

santissimi Sacramenti » respondit S. R. C. « 1. Abusus missae privatae celebrandae in altari chorali, dum horae canonicae persolvuntur, omnino eliminetur. 2. Si autem missa ad aliquod altare celebretur, e conspectu chori positum, campanula, uti ad *Sanctus*, ita ad elevationem Sacramenti, nequaquam pulsetur. 3. Quod si campanula, non obstante vetito, quandoque pulsetur et elevatio Sacramenti advertatur, chorales omnes caput tunc temporis detegant, et horas persequantur » (1). Item, ad quaesitum : « Num canonici aliique clerici publicam supplicationem per ecclesiam agetes, si fiat elevatio sanctissimi Sacramenti in aliquo altari, genuflectere debeant », Congregatio respondit : « In omnibus missis privatis, quae tempore piae supplicationis celebrentur, usus campanulae est omnino prohibitus. Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante altare transeuntes, ubi fit elevatio sanctissimi Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant ; et piam supplicationem prosequantur » (2). Porro, nullo modo ad solos casus in his responsis allegatos restringenda est exceptio ; ratio enim cur campanula pulsari prohibeatur est quia inconveniens est ut functio liturgica interrumpatur vel turbetur; et ex alia parte minime decet ut si fideles ad adorandum Dominum invitantur, clerus et fideles ad hoc signum minime attendant ; sed saepius idem obtinebit, ut si, verbi gratia, habeatur functio aliqua pontificalis, aut celebretur missa sollemnis, aut fiat absolutio ad tumulum, aut denique habeatur contio, in quibus omnibus casibus, ex principio allato, abstinendum erit a sonitu campanulae intra missam lectam ; immo, secundum quosdam auctores item abstinendum est dum distribuitur sacra Communio, quod ultimum tamen non nisi cum aliqua restrictione videtur admittendum ;

(1) Decr. 3814, Dublorum, 21 nov. 1893 ad 1.
(2) Ibid. ad 2.

bene enim a sonitu campanulae abstinebitur, si distributio fit cum aliqua sollemnitate, uti si fit communio generalis vel totius cuiusdam communitatis; secus vero non apparet ratio sufficiens abstinendi ab hoc sonitu. Vitet potius sacerdos ad distribuendam communionem accedere paulo ante consecrationem missae; et si est occupatus quando Sacramentum elevatur, a distributione cesset, et stans versus altare in quo elevatur Sacramentum exspectet donec celebrans calicem super altare reposuerit.

II. Neque in Rubricis Missalis, neque in Caeremoniali Episcoporom explicite sermo fit de pulsanda campanula in missa sollemni vel in missa pontificali; ne tamen statim inde deducas sonitum campanulae in his missis esse prohibitum; illae etenim rubricae plerumque explicite non dant nisi quae missae sollemnis vel pontificalis sunt propria. Fuit quidem opinio GARDELLINI et aliorum nonnullorum sonitum tamen in missa sollemni esse omittendum utpote inutilem: « Non erat cur Instructio etiam missas solemnes commemoraret, pro quibus rubrica non iubet, ut in privatis, eandem pulsari ad finem praefationis ed ad elevationem Sacramenti. Romae, saltem in maioribus ecclesiis, obtinet mos eam non pulsandi, praeterquam in missis sollemnibus pro defunctis; gravis organum sonitus supplet vices tintinnabuli, et populi adstantis excitat attentionem. Si alius sit apud regulares aliquis usus, hunc non miror, quia diversorum Ordinum Instituta suos habent peculiares ritus, quin tamen omittant vel immutent quod essentiale est. Quod si aliqua in saecularium ecclesia consuetudo sit pulsandi campanulam, non ideo pulsatur ut populi excitetur attentio, ad quem finem cuncta ordinantur quae in missa sollemniter cantata fiunt » (1). Verum ple-

(1) GARDELLINI. *Commentaria in Instructionem Clementinam*, § 16, n.5.

rique auctores, ducibus Gavanto, Merati, et Cavalieri, autumant etiam in missa sollemni campanulam esse pulsandam. GAVANTUS: « Ad *Sanctus* campanas maiores pulsare convenit, sicut in missa privata campaula parva: *quam pulsant aliqui etiam in missa sollemni*; *et placet* per alterum ex acolythis, ut moneantur ii qui maiores pulsare debent campanas, et tempus ignorant eas pulsandi quia longius absunt. » (1) Et haec certe nunc est praxis communis, nec dici potest nunc campanulae sonitum, praesertim dum Sacramentum elevatur, utilitate carere in missa sollemni, cum maxime deceat ut adstantes omnes de momento commonefiant quo divina Victima Patri offertur, ut sacerdoti offerenti se coniungant, fidem in veram ac realem Iesu Christi praesentiam in Eucharistia profiteantur, eumque adorent. Et ideo Sacra Rituum Congregatio, authentice rubricam interpretans, declarat campanulam pulsandam esse non tantum in missis privatis, sed etiam in sollemnibus et pontificalibus; immo vult ut ubi contrarius hucusque viguerit usus, illa ecclesia amodo se conformet communi praxi et enuntiatae rubricarum interpretationi.

III. Etsi praeter duplicem hunc campanae sonitum nullus alius vi rubricae praescribitur, de facto tamen fere ubique insuper pulsatur campanula paulo ante consecrationem; quod profecto utilitate non vacat, cum tot inveniantur fideles qui de longinquo vel propinquo sistunt sine attentione ac reverentia ad divina mysteria, quosque proinde magnopere expedit attentos facere ad praecipuas saltem horum mysteriorum actiones, ut in momento saltem consecrationis attendant et, quantum fieri potest, sese cum sacerdote celebrante coniungant. Quare, secundum mentem Congregationis, « maxime expedit ut paulo ante consecrationem aliquod campanulae detur signum ».

1) GAVANTUS. *Thesaurus sacrorum Rituum*. Commentaria in Rubricas Missalis Pars II, tit. VIII, n. 11. litt. h.

IV. Usus aeque generalis est ut pulsetur campanula ad *Domine non sum dignus*. Profert quidem celebrans haec verba non nomine fidelium, sed nomine proprio, uti patet ex eo quod si sacram communionem infra missam distribuere debet, eadem verba postea nomine communicantium alta voce repetet, ideoque directe non habetur ratio ad illa verba pulsandi; nihilominus haec quoque pulsatio spiritui rubricarum congruit, cum sic fideles attenti reddantur ad aliam praecipuam missae partem, communionem. Eodem etiam modo dicendum est de usu pulsandi ad egressum e sacristia vel initio sacri, quod etiam ab Instructione Clementina permittitur: « tantum in egressu celebrantis e sacristia tenue signum detur cum solita campanula ». (1)

V. Quibusdam in regionibus, uti verbi gratia, in Belgio, exsistit praeterea mos campanulam pulsandi paulo ante *Pater noster*, in fine canonis; quod, teste BENEDICTO XIV, vestigium est antiquioris usus tunc tantum in missa elevandi et populi adorationi proponendi species consecratas, postea vero quam coeptum est immediate post consecrationem Corpus et Sanguinem fidelium venerationi ostendere, haec elevatio ante *Pater noster* paulatim facta est remissior et plerumque sine campanulae sono (2). Etsi ergo nulla iam apparet ratio hoc momento pulsandi, ubi tamen mos exsistit, nihil prohibet quominus servetur, sed campanula in casu pulsetur ad ipsam illam parvam hostiae et calicis elevationem, nullo modo vero, ut aliquando perperam fit, ad praecedentes cruci signationes. (3)

IOS. PAUWELS, S. I.

---

(1) Instructio Clementis, § 16.

(2) BENEDICTUS XIV. *Commentarius de sacrosancto Missae Sacrificio*. Sectio prima, Lib. II, cap. XVIII, n. 16.

(3) VAN DER STAPPEN. *Sacra Liturgia*. tom. V. Ser. I. cap. VIII. q. 16 n. 13.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De forma absolutionis ex ritualibus antiquis impressis.

Longum esset, sed non inutile opus, e manuscriptis ritualibus, aliisque id genus documentis historiam formae absolutionis in sacramento poenitentiae dandae retexere.

Attamen pleraeque distinctiones quas moralistae induxerunt inter partes quae sunt in illa forma minus necessariae et illas quae sunt sub gravi dicendae iam sufficienter explicari possunt ex ritualibus saeculis XVI et XVII impressis (1) et ex ipsis ritualis Benedicti XIV editionibus.

Omnibus notum est rituale hodiernum (2) (De Sacramento Poenitentiae, tit. III, cc. 2-5) quattuor continere absolutionis ordines: primus est absolutionis *ordinariae* in sacramento poenitentiae post confessionem dandae (c. 2); alter est absolutionis *ab excommunicatione in foro externo* (c. 3); tertius absolutionis *excommunicato iam mortuo* impertiendae (c. 4); quartus denique absolutionis *a suspensione* vel *ab interdicto* extra sive intra sacramentalem confessionem; quacum connexa est dispensatio super *irregularitatem*.

(1) De illis antiquis ritualibus vide ZACCARIA, *Bibliotheca ritualis*, I, pp. 141-147.

(2) *Rituale romanum* PAULI V *Pontificis Maximi iussu editum a* BENEDICTO XIV *et a* PIO X *castigatum et auctum*, Romae, Typis Vaticanis, 1913.

De primo ordine tantum in praesentia dicere intendimus. Hic autem ordo rursus tribus partibus constat : absolutione generali a peccatis modo deprecativo expressa (*Misereatur. Indulgentiam*) ; absolutione excommunicationis, suspensionis et interdicti ; absolutione indicativa a peccatis. Has absolutiones sequitur oratio *Passio Domini nostri Jesu Christi.*

Praedicta forma adhibenda est ad absolvendum intra sacramentalem confessionem a qualibet excommunicatione, suspensione vel interdicto, etsi licet uti, etiam intra confessionem sacramentalem, forma absolutionis ab interdicto et suspensione quae capite 5 ritualis proponitur. Haec videtur tamen casibus specialibus reservata.

Quibus dictis, perquirendum nobis est qua ratione ordo noster in antiquis romanis ritualibus, saeculis XVI et XVII impressis, proponatur.

Inter ritualia ista vetustissimum sane est rituale quod nomen habet *Liber Sacerdotalis*, vel in posterioribus editionibus, *Sacerdotale.* Illud a P. CASTELLANO O. P. (1) redactum (2) et a Leone X approba-

(1) « F. ALBERTUS CASTELLANUS, Italus patriaque Venetus, a nostris et ab extraneis saepe memoratus, editis in lucem propriis, aliorumve recensitis operibus, aliquod sibi nomen apud posteros fecit... Floruit circa finem XV et sub initio sequentis XVI saeculi, ut probant libri ab eo typis commissi... Quem paulo post Loredanum LXXIV Venetorum ducem, qui rem publicam administravit a MDI ad MDXXI... obiisse constat » QUÉTIF-ECHARD, *Scriptores Ordinis Praedicatorum,* Lutetiae Paris., 1721, I, 48-49. In epistola qua Summo Pontifici Adriano VI suum librum submittit, quaeque ergo anno 1522 vel 1523 scripta esse constat, P. Castellanus memorat se illo tempore iam plus 50 annos in ordine Praedicatorum vixisse. Eum igitur ante annum 1472 vel 1473 religionem ingressum esse dicemus, natum vero anno circiter 1450. E brevi autem nuncupationis formula qua *Liber Sacerdotalis* clauditur (*in vestris missis et orationibus rogo memores estote)* conicimus scriptorem nostrum non ante annum 1523 exeuntem vita functum esse.

Operum P. Castellani seriem vide ibidem p. 48-49 ; inter illa maxime nobis notatu dignum est *Poniificale secundum ritum Romanae Ecclesiae... cum multis additionibus ex recognitione* F. ALBERTI CASTELLANI... Venetiis, 1520. Quod opus Leoni X nuncupatum est.

(2) De authenticitate *Libri Sacerdotalis* HURTER, *Nomenclator Literarius,* II, p. 1285, n. 2, multum dubitat. « Eius forte est *Liber Sacerdotalis nuperrime ex libris S. R. Ecclesiae et quarundam aliarum Ecclesiarum collectus,* Venetiis, 1537 ». Ita ille. QUÉTIF-ECHARD autem, o. c., p. 48, *Pontificale*

tum (1), Adriano VI oblatum est. Exemplar unum reperimus ceteris omnibus quae apud ZACCARIA referuntur antiquius, cum sit anno 1523 impressum. (2) Immo illud omnium exemplarium primum esse manifestum est. (3)

Inscriptio operis haec est: *Liber Sacerdotalis nuperrime ex libris sancte romane ecclesie et quarumdam aliarum ecclesiarum et ex antiquis codicibus apostolice bibliothece et ex iurium sanctionibus et ex doctorum ecclesiasticorum scriptis ad Reverendorum patrum sacerdotum parrochialium et animarum curam habentium commodum collectus atque compositus ac auctoritate Sanctissimi D. Domini nostri Leonis decimi approbatus. In quo continentur et officia omnium sacrorum et re-*

---

secundum ritum R. Ecclesiae et *Librum Sacerdotalem* pro uno eodemque opere habent: « Hoc opus, inquiunt, a Miraeo Bibl. parte altera p. 3 dicitur, *Sacerdotale Romanae Ecclesiae* ». Attamen *Pontificale* et *Librum Sacerdotalem*. duo distincta esse opera, P. vero Castellanum utrumque brevi temporis intervallo composuisse luce clarius apparet tum ex brevi approbationis Leonis X, de quo dicturi sumus, tum ex facultate imprimendi a Venetiarum patriarcha et inquisitore concessa, tum ex verbis nuncupatoriis ad sacerdotes, tum maxime ex epistola ad Adrianum VI. Quae omnia documenta habes in capite vel ad calcem nostri exemplaris. Editio altera aucta et emendata, Venetiis, 1579, quam QUÈTIF-ECHARD putant esse *Pontificalis*, revera *Libri Sacerdotalis* est, vel verius *Sacerdotalis* FRANCISCI SAMARINI. V. inferius, p. (47). Multo rectius ergo quoad *Librum Sacerdotalem*, MIRAEUS noster in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, t. II, p. 3 (in *Bibliotheca Ecclesiast.* FABRICII, Hamburgi, 1718, p. 116) scribit. « Praeter *Chronicon*, scripsit *Sacerdotale Romanae Ecclesiae*; quod emendatum et auctum iuxta Concilii Tridentini sanctiones, Venetiis 1579, prodiit. »

(1) In brevi *Exponi nobis nuper fecit*, die 2 nov. 1520 dato. In eo Summus Pontifex non solum *Librum Sacerdotalem* approbat sed mandat « omnibus personis ecclesiasticis in virtute sanctae obedientiae ut eundem librum postquam ille impressus fuerit sequi et ecclesiastica sacramenta iuxta formam in eo traditam ministrare et exercere teneantur ».

(2) Vide ad calcem voluminis: « Impressus fuit hic Liber Sacerdotalis Venetiis per Melchiorem Sessam et Petrum de Ravanis. Anno domini M CCCCC XXIII. XIII cal. Augusti. Presidente ecclesie sancte dei Sanctissimo patre et domino D. Adriano VI pontifice maximo (a d. 9 ian. 1522 ad d. 14 sept. 1523) et Illustrissimo Domino Andrea Grito Venetiarum Serenissimo duce (Andrea Gritti, a d. 20 1523 ad d. 28 dec. 1538)

(3) Hoc liquet ex variis documentis quae superius attulimus (v. p. (42), n. 2). Approbatus in manuscripto a Leone X, liber imprimi coeptus est exeunte anno 1520, annos 1521-1523 sub prelo fuit, anno 1523 Adriano VI oblatus est, eiusdem denique anni mense iulio perfectus.

solutiones omnium dubiorum ad ea pertinentium. Et omnia alia quae a sacerdotibus fieri possunt: quae quam sunt pulchra et utilia ex indice collige.

Inter diversas autem partes quae habet *Liber Sacerdotalis* in tractatu tertio primae partis de sacramento poenitentiae agente (f. 42), hae leguntur absolutionis formae : prima est forma absolvendi ab excommunicatione maiore (1) et a ceteris censuris praeter excommunicationem minorem ab eoque tantum adhibenda confessario qui specialem habebat facultatem a tali excommunicatione absolvendi : respondet absolutioni ab excommunicatione in foro externo hodierni ritualis (c. 3) eique valde similis est (2). Hoc tamen discrimen est quod in *Libro Sacerdotali* eadem forma continet etiam absolutionem a suspensione et interdicto illamque excipit absolutio a peccatis ; haec rursus sequentibus precibus constat :

« Misereatur tui omnipotens deus et donet tibi veniam et indulgentiam et remissionem omnium peccatorum liberet te ab omni malo salvet et confirmet in omni opere bono et perducat te christus filius dei vivi in vitam eternam. Amen. »

« Per istam veram et puram confessionem quam modo mihi quamvis peccatori sacerdoti fecisti absolvat te omnipotens deus ab omnibus iuditiis quae tibi pro peccatis tuis debentur

---

(1) Excommunicatio maior illa erat quam hodie excommunicationem simpliciter dicimus.

(2) Ipsa absolutionis formula haec est: « Dominus noster Iesus christus qui beato petro apostolo collatis clavibus regni celestis dedit potestatem ligandi atque solvendi ipse per suam piissimam misericordiam te absolvat : Et auctoritate ipsius et beatorum petri et pauli apostolorum eius: et Sanctissimi domini nostri domini N. divina providentia pape N. *si sit casus vel censura papalis vel* Reverendissimi domini domini N. episcopi N. *si sit casus vel censura episcopalis*, tibi concessa et mihi commissa in quantum possum debeo et valeo. Ego absolvo te a vinculo excommunicationis suspensionis et interdicti quod incurristi propter *talem casum* N. *et si sint plures* propter *tales casus* N. et N. *illum vel illos nominando*, totiens quotiens illud vel illa incurristi et restituo te sanctis sacrificiis ecclesie: communioni et unitati fidelium. In nomine pa † tris et fi † lii et spiritus † sancti. Amen ». Verba *in quantum possum* etc. aliaque similia, quae saepius in formis absolutionis a censuris adsunt, etiam si adhibentur a sacerdote facultate certa utente, explicantur pio metu fines iurisdictionis praetergrediendi, quia talis transgressio et ipsa censurae obnoxia erat.

secundum magnam misericordiam suam et parcat ac remittat et deleat omnia peccata tua : et perducat te in vitam eternam. Amen. »

Filius dei per suam piissimam misericordiam te absolvat et auctoritate eius qua fungor ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis mihi modo confessis et ab omnibus aliis quorum memoriam non habes ut sis absolutus hic et ante tribunal eiusdem dei et domini nostri iesu christi habeasque vitam eternam et vivas in saecula saeculorum. Amen. »

« In nomine patris † et filii † et spiritus † sancti. Amen. »

« Passio eiusdem dei et domini nostri Iesu christi et merita beatae marie semper virginis et beatorum apostolorum petri et pauli et omnium sanctorum et sanctarum dei: et quidquid boni feceris et intendis facere et mala que pateris et patienter sustinebis sint tibi in remissionem peccatorum tuorum in augmentum gratie et in premium vite eterne. In nomine pa†tris et fi†lii et spiritus sancti. Amen. Vade et amplius noli peccare. »

Altera est forma absolutionis ab excommunicatione minore (1) « saltem ad cautelam » a quolibet confessore dandae, et ita sonat:

« Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, vel participationis a quo possim te absolvere, ego absolvo te et restituo te sanctis sacramentis ecclesie, communioni et unitati fidelium. In nomine patris † et filii † et spiritus † sancti. Amen. ». (2)

Hanc absolutionem iterum subsequitur absolutio a peccatis hoc modo :

« Misereatur tui omnipotens deus et dimissis omnibus peccatis tuis perducat te cum sanctis suis in vitam eternam. Amen. »

---

(1) Excommunicatio minor non excludebat a participatione divinorum (v. g. a. missae auditione) sed a sola participatione sacrorum (qualis ipsa matrimonii celebratio) et incurrebatur praesertim propter illegitimum commercium cum excommunicato excommunicatione maiore. Ab illa quilibet sacerdos absolvere poterat confessiones audiendi facultatem habens. Cfr. *Liber Sacerdotalis*, f. 50 et CAIETANUS *Summula*, Venetiis, 1521, p. 14.

(2) Absolutio ab excommunicatione minore semper condicionalis fuisse apparet tum ex rubrica tum ex textu formae. Neque mirum est ; cum ab illa enim excommunicatione omnes confessores absolvere potuerint, non curandum erat utrum illam poenitens incurrisset necne. Fatendum est insuper ex solis formae verbis non significari eam reservatam esse absolutioni solius excommunicationis minoris ; res tamen est certa ex *Libri Sacerdotalis* rubricis (f. 62)

« Filius dei per suam piissimam misericordiam te absolvat *etc.* »
« Passio domini nostri Iesu Christi *etc. ut supra in superiori capitulo* ».

Libri Sacerdotalis editiones duas recentiores (3) cum prima contulimus, in iis autem nullum notatu dignum discrimen invenimus a descripto ordine nisi quod post orationem *Passio domini nostri Iesu Christi*, ubi haec integra, i. e. primo loco, refertur, addunt : « *Hec etiam absolutio* (ed. 1597: *absolutior*) *forma est*: (4)

« Dominus noster Iesus Christus per suam piissimam misericordiam te absolvat et ego authoritate ipsius absolvo te ab omnibus peccatis tuis, que mihi modo confessus es et quorum memoriam non habes, ut sis absolutus hic, et ante tribunal domini nostri Iesu Christi, et habeas vitam eternam, et vivas in secula seculorum. Amen. »

Ordo *Libri Sacerdotalis* satis igitur distat a praesenti. Orationes *Misereatur*, *Per istam veram* et *Passio Domini nostri Iesu Christi* evidenter hodiernis orationibus *Misereatur*, *Indulgentiam* et *Passio Domini nostri I. C.* respondent. Forma autem *Filius Dei per suam piissimam misericordiam*, respondet formae nostrae duplicis absolutionis, i. e. a censuris et a peccatis, (1.) *Dominus noster I. C. te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis....* (2.) *Deinde, ego te absolvo a peccatis tuis....* Sed hoc

---

(3) *Sacerdotale ad consuetudinem sacrosancte romane ecclesie aliarumque ecclesiarum ex apostolice bibliothece et sanctorum Patrum iurium sanctionibus et ecclesiasticorum doctorum scriptis, ad optatum commodum quorumcumque sacerdotum collectum : atque romanorum pontificum authoritate multoties approbatum omni nuper diligentia emendatum et auctum....* Venetiis M D LXVIII in officina Petri Liechtenstein Agrippinensis.

Sacerdotale romanum ad consuetudinem S. R. Ecclesiae... multoties approbatum : summa nuper cura iuxta S. Tridentini Concilii sanctiones emendatum et auctum.... Venetiis, M D XCVII Apud Io. Baptistam et Io. Bernardum Sessam.

Prior editio illa est de qua dubitatur utrum necne fuerit a Pio IV (1559-1565) approbata. V. ZACCARIA o. c. p. 144. Verba *romanorum pontificum authoritate multoties approbatum* sunt per hyperbolen dicta. Alias approbationes non novimus quam approbationem Leonis X et alteram valde dubiam Pii IV.

(4) Textum formae ex antiquiore editione, i. e. anni 1567, desumpsimus.

est discrimen quod antiquae formae solam absolutionem a peccatis habent. Ibi enim absolutio a censuris omnes orationes semper antecedit, ita ut multo magis quam hodie ab absolutione a peccatis distincta sit.

Attentione dignum est conclusionem *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* esse manifestissime ab oratione praecedenti divisam, immo verbo *Amen* ab ea interclusam. Huc etiam pertinet quod post alteram formam absolutionis, quam in recentioribus editionibus adiectam repperimus, verba praedicta prorsus desunt. Signum crucis quod verba *In nomine Patris* etc. comitabatur ter repetendum erat.

Aetate secundum inter ritualia est opus compositum annoque 1579 primo editum a FRANCISCO SAMARINO Beneficiato Lateranensi cuique nomen inditum est: *Sacerdotale sive sacerdotum Thesaurus*. Samarini *Sacerdotale* auctum et emendatum R. P. M. ANGELUS ROCCHA, anno 1583, denuo edidit. Huius novae editionis aliquod exemplar invenimus. (1) Opus Samarini multum a ratione veri ritualis recedit et potius monitorium aliquod dicendum est quo sacerdotes, episcopi aliique praelati in sacro ministerio obeundo docentur et diriguntur.

Forma absolutionis in confessione dandae hac ratione ibi proponitur (f. 96^{v}-97^{r}):

« Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen. » « Indulgen-

(1) *Sacerdotale sive Sacerdotum Thesaurus iuxta Consuetudinem S. Romanae Ecclesiae sacrique Concilii Tridentini sanctiones quibuscunque Sacerdotibus, Episcopis et Praelatis, necnon cunctis Christi fidelibus pernecessarius, ex diversis voluminibus compendiose collectus et in quattuor partes divisus. Auctore* R. D. FRANCISCO SAMARINO *Beneficiato Lateranensi. Industria vero* R. P. M. ANGELI ROCCH. (sic) A CAMERINO *expurgatus, multisque rebus auctus, et nuperrime reformatus; cui novissime adiectum est Calendarium Gregorianum cum indice copiosissimo. Cum privilegiis, Venetiis, apud Franciscum Zilettum, M D LXXXIII.*

tiam absolutionem et remissionem omnium peccatorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. »

Sequitur forma absolvendi a minore excommunicatione :

« Absolvo te a vinculo excommunicationis huius, quam confessus es, et ab alia si teneris, inquantum possum, et debeo, et restituo te ecclesiasticis sacramentis, In nomine † Patris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. Amen. » (1)

Alia deinde forma absolutionis ab excommunicatione minore (2) proponitur « quam debent facere quando audiunt confessionem » :

« Dominus noster Iesus Christus per suam misericordiam te absolvat : et ego absolvo te a vinculo excommunicationis, si teneris : quantum auctoritas mea se extendit : et restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiae, et unitati fidelium : In nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † sancti. Amen. »

Ultima denique proponitur forma quae absolutio est a peccatis (3) :

« Absolvo te ab omnibus peccatis tuis quae mihi modo confessus es: et ab omnibus aliis quorum memoriam non habes: et omnia bona quae fecisti, et facturus es, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum : In nomine Pa†tris et Fi†lii, et Spiritus † santi. Amen. »

Totus ordo absolutionis concludendus est his verbis :

« Vade in pace, et noli amplius peccare ».

Forma absolutionis ab excommunicatione maiore habetur in *Sacerdotali*, f. 166^{v} ; simillima est formae hodiernae absolutionis ab excommunicatione in foro externo et absolutionis mortuo conferendae.

Samarini et Rocchae *Sacerdotale* iam propius ad

---

(1) Ex conclusione patet origine sua hanc formam esse formam absolutionis ab excommunicatione extra confessionem conferendae. Hic tamen certe proponitur pro forma in confessione adhibenda.

(2) Hoc explicito modo non dicitur in rubrica sed liquet ex toto contextu.

(3) Mirum sane est quod in *Sacerdotali* haec forma, quae sola est proposita absolutionis a peccatis forma, introducitur hac rubrica : *vel sic*, tamquam sit alia forma quae loco praecedentis dici possit.

hodiernum rituale accessisse manifestum est. Etenim praeter orationes *Misereatur* et *Indulgentiam* nostris satis similes, forma aliqua proponitur absolutionis ab excommunicatione minore eodem loco dicenda ubi nos formam absolutionis a censuris dicimus (*Dominus noster I. C. te absolvat et ego etc.*) ita ut inter *Sacerdotalis* ordinem et nostrum hoc tantum intersit (praeter diversitatem verborum) 1.) quod in illo solius excommunicationis minoris absolutio conceditur, in hoc autem forma proponitur absolutionis a qualibet censura intra confessionem concedendae ; (1) 2.) quod in *Sacerdotali* magis quam in rituali nostro forma absolutionis a censuris divisa est a forma absolutionis a peccatis.

Tertio loco occurrit celebre rituale Cardinalis IULII ANTONII SANCTORII archiepiscopi Sanctae Severinae. Hoc numquam approbationem nactum, immo a Paulo V (1605-1621) iussu suppressum est antequam totum impressum erat. Attamen « longo studio multaque industria » compositum, tantam obtinuit auctoritatem ut eo maxime usi sint redactores ritualis romani iussu Pauli V brevi post editi. (2)

Hic autem statim post praemonitiones de recta sacramenti poenitentiae administratione et antiquorum

(1) Inde hoc discrimen quod prior illa ordinario modo, i. e. in omni confessione et a quolibet sacerdote, valide et licite adhiberi poterat, dum nostra tantummodo pro speciali iurisdictione absolventis vim habet, nisi agatur de censura nemini reservata.

2) Opera Card. I. A. Sanctorii, regnante Gregorio XIII (1572-1585), redigi coeptum esse videtur moxque imprimi. Tempore Pauli V (1605-1621 impressio absoluta est sed opus in lucem dari non potuit ; paucissima tantum exemplaria eaque mutila in bibliothecas privatas pervenerunt. Cuius rei ratio, teste B. Card. Bellarmino, haec erat, quod haeres cardinalis librum sub nomine ritualis *romani* edere volebat, id autem ei concedere visum non est. Saeculo XVIII, regnante Benedicto XIII, (1724-1730), soluta folia in angulo bibliothecae Vaticanae reperta, cognito operis merito, collecta et edita sunt, volumini autem praefixa est fictitia inscriptio : *Rituale Sacramentorum romanum* GREGORII XIII *pontificis maximi iussu editum*, Romae, M D LXXXIIII. Saeculo enim XVIII rituale Pauli V satis iam late receptum erat ut editio ritualis Card. Sanctorii, etiam cum nomine ritualis romani, illi nocere non posset. Meritum eius ipse Paulus V in brevi *Apostolicae Sedis* celebravit.

canonum poenitentialium seriem sequitur caput. « De formis absolutionum » Prima est (p. 288) « forma communis seu ordinaria absolutionis a peccatis, i. e. in singulis confessionibus a quolibet sacerdote dicenda; sequentes vero orationes et rubricas continet:

« Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam ℟. (1) Amen. » « Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen. » « Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis (*si poenitens est laicus, omittitur verbum suspensionis*) et interdicti in quantum possum, et tu indiges, et restituo te unitati, et communioni fidelium, et sanctis sacramentis Ecclesiae. *Deinde producens signum cru is super poenitentem subiungat:* Iterum ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine † Patris et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen. « Passio Domini nostri Iesu Christi, et merita beatae Mariae semper virginis, et omnium sanctorum, et quicquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiae, et proemium vitae aeternae. Amen. » « *Si periculum sit in mora, Presbyter debet, reliquis omissis, dicere tantum verba absolutionis necessaria, videlicet:* Ego te absolvo ab omni excomunicatione, et a peccatis tuis. *Vel etiam brevissime* Absolvo te, *habens intentionem* etc. »

Qui descriptum ordinem cum hodierno contulerit, statim videbit nullam esse inter utrumque, si verba quaedam excipias, discrepantiam iureque affirmabit nostrum ordinem esse ex rituali Cardinalis S. Severinae desumptum. Praesertim observandum est in singulis confessionibus absolutionem concedi ab omnibus censuris non exclusa excommunicatione maiore. Absolutio a peccatis verbo *iterum* clare ab alia distinguitur; vox autem *deinde* ante eandem absolutionem in rubrica posita est, non in textu. Conclusio *In nomine Patris et Filii* etc. praecedenti formae annexa est, eamque comitatur unum crucis signum.

(1) Hic et inferius littera R est rubro colore impressa.

Absolutionis formam communem sequuntur (p. 288 ss.) diversi modi absolvendi, sive intra sive extra confessionem, ab excommunicatione maiore vel minore aliisque poenis ecclesiasticis, in casibus specialibus adhibendi.

Anno tandem 1614 PAULI V iussu et auctoritate prodiit Romae primum authenticum *Rituale Romanum*. (1) In hoc rituali ordo absolutionum iam prorsus idem est, tum rebus tum verbis, atque in rituali hodierno. Attamen in ordine absolutionis primo seu ordinario, quem solum contemplamus, forma absolutionis a peccatis et forma absolutionis a censuris manifestissima ratione divisae sunt verbumque *deinde* rubro colore impressum est.

Rituale Pauli V BENEDICTUS XIV anno 1752 emendavit et auxit. Innumeras, diversissimis temporibus et locis, editiones nactum est. Nomine tamen Pauli V decorari non desiit hac circiter ratione: *Rituale romanum* PAULI QUINTI *Pont. Max. iussu editum nunc vero a sanctissimo Domino nostro* BENEDICTO XIV *auctum et castigatum* (2) vel brevius *Rituale romanum* PAULI V *Pontificis Maximi iussu editum et a* BENEDICTO XIV *auctum et castigatum*. (3) Excipienda est sola prima editio romana, (4) anno 1752 (5) impressa, quae hanc singularem inscriptionem praebet: *Rituale romanum, Caerimoniale episcoporum ac Pontificale romanum Domini nostri* BENEDICTI *papae* XIV *iussu edita* (note-

(1) Huius ritualis unum exemplar invenire potuimus. Sed cum ei desit prima pagina et inscriptio, neque annum neque locum editionis determinare licuit. Attamen editum esse constat post annum 1655. Alterum exemplar contulimus multo recentius Venetiis anno MDCCLIV (id est duobus annis post editionem Benedicti XIV) editum ex typographia Balleoniana. Cf. ZACCARIA, o. c., p. 147.

(2) Sic in editione Venetiana anni MDCCLXVII ex typographia Balleoniana.

(3) Ita in editione romana S. C. de Propaganda Fide, anni 1847.

(4) Saltem in exemplari quod solum prae manibus habuimus.

(5) Qui est ipse publicationis annus. Vide breve *Cum sicut dilectus* in capite ritualis.

tur verbum) (1) *et aucta*, Romae, MDCCLII, excudebat Generosus Salomoni. In hoc titulo igitur Pauli V nulla mentio fit.

Pauli V rituali Benedicti XIV opera emendato et aucto adhuc utimur adeoque nullus comparationis faciendae locus est inter illud rituale et nostrum hodiernum. Una tamen res est quam iuvat parumper considerare, quaenam scilicet sit natura vocis *deinde* quod in principio formae absolutionis a peccatis stat, utrum rubricae an ipsius formae pars sit. In nova typica editione, ut diximus, verbum in textu insertum est, totaque forma, a verbis *Dominus noster I. C.* usque ad verbum *Amen*, uno tractu scripta est. Inde liquet sacerdotem verbum *deinde* debere pronuntiare sicut cetera formae verba. In ritualibus autem Benedicti XIV ante annum 1913 editis aliquam fuisse dubitationem de vi praedicti verbi negari non potest. Sane in prima editione romana (1752), p. 39, duplicis absolutionis forma uno tractu scripta est voxque *deinde* in textu inserta. (2) Eadem ratione res dispositae sunt in plerisque editionibus et in omnibus aliarum ecclesiarum ritualibus rituali Benedicti XIV adaptatis (v. g. in ritualibus Brugensi, 1838, Tornacensi, 1858, Zagrabiensi, 1896). Non pauca tamen exemplaria dispositionem ritualis Pauli V conservaverunt. Ita factum est v. g. in editione Venetiana anni M DCCC XXI apud Haeredes Balleonianos (3); in editione romana S. C. de Propaganda Fide, anni M DCCC XLVII (4); in editione romana e typis Soc. Ioannis Evang., Desclée, Lefebvre et Soc. (5) Alia certe inveniri possint.

---

(1) Talem esse veram inscriptionem ritualis confirmatur ex praedicto brevi. Notandum est praeterea volumen solum rituale continere.

(2) Attamen litteram maiuscolam habet.

(3) p. 52.

(4) p. 72.

(5) p. 62.

*
* *

Conclusio. Ex praedictis documentis haec statuere licet de origine (de proxima dicimus) singularum orationum et formarum quibus constat ordo absolutionis in confessione sacramentali. Oratio *Misereatur* fere ad verbum in primis impressis ritualibus integra reperitur, ibique proponitur tamquam absolutio generalis post generalem confessionem (Confiteor) concessae.

Oratio vero *Indulgentiam* primum in rituali cardinalis Sanctorii occurrit. Eius loco antea dicebatur alia oratio, verbis non re ei dissimilis. Ceterum a praecedenti oratione (*Misereatur*) quod ad argumentum parum vel nihil differt.

Duplex, et a censuris et a peccatis, absolutionis forma, si verba eius consideramus, origine una forma dicenda est. Etenim certe ex antiqua oratione *Filius Dei per suam piissimam misericordiam* (1) vel alia *Dominus noster I. C. per suam piissimam misericordiam* (2) orta est; forma enim absolutionis a censuris ut est in *Libro Sacerdotali* propter loci differentiam excludenda est. (3) Sin autem in rem seu argumentum mentem figimus, tunc e contrario duplicem esse constat absolutionis formam, quoniam comprehendit tum antiquam absolutionem ab excommunicatione et aliis censuris tum absolutionem a peccatis.

Itaque forma, de se una, per introductionem absolutionis a censuris in duas partes divisa est verbaque *Dominus noster I. C. te absolvat,* quae primum etiam in peccatorum absolutione dicebantur, hodie ad solam absolutionem a censuris valent.

Vox autem *deinde,* ubi illa in ipso formae textu

(1) V. p. (45).

(2) V. p. (46). Hae formae, ut dictum est, ad solam absolutionem a peccatis pertinebant.

(3) V. p. (44) n. 2.

stat, huc ex rubrica certe paulatim introductam esse putandum est. Nam sane priusquam forma *Dominus noster I. C.* in duas partes, ut diximus, scissa est, nullus ei verbo locus erat, duae autem absolutionis formae satis clare divisae erant. Post introductam vero formam absolutionis a peccatis et huius divisionem aliquod verbum necessarium videri potuit quo altera absolutio signaretur. Rituale Cardinalis Sanctorii verbum *iterum* addidit; magis pronum tamen erat vocem *deinde* adhibere quod iam in rubrica stabat. Introductio vero praedicti verbi in textum videtur redactoribus ritualis Benedicti XIV tribuenda. Si tandem rem sub aspectu typographico et litterali consideramus, verbum *deinde* formae additum esse negari non potest. Si originem formae eiusque sensum contemplamur, additionem non sine ratione factam esse fatebimur. Forma absolutionis a censuris ordinaria seu communis i. e. in singulis confessionibus et a quolibet sacerdote saltem ad cautelam dicenda, quoad eius verba, ex antiquis formis absolutionis a censuris orta est; quoad autem usum eius, originem habet in praxi tribuendi eodem modo absolutionem ab excommunicatione minore (1).

Verba autem *In nomine Patris et Filii etc.* initio saeculi XVI cum triplici crucis signo dicebantur et ab ipsa absolutionis forma divisa erant; adeoque iure merito negant moralistae ea esse inter partes essentiales formae ponenda.

Denique tandem dimissionis formula *Vade in pace*, etc. quae hodie ne refertur quidem in rituali, olim aliquatenus praecepta fuisse videtur. Aptissima certe erat conclusio, multis aliis quae nunc adhibentur praeferenda. IOANNES M. HANSSENS, S. I.

(1) Cum hac formae evolutione et incremento manifeste connexa est mutatio quaedam in praxi reservationis censurarum quam nostrum non est hic describere.

QUAESITA VARIA DE RELIGIOSIS

1. De ingressu ex metu

Species facti. Titius noviciatum ingressus est gravi metu inferni inductus, quem ei iniecerat praedicator aut confessarius. An ingressus est validus?

Resp. Primo aspectu, videretur esse invalidus, cum c. 542, 1. sine ulla distinctione dicat: « Invalide ad noviciatum admittuntur: ... Qui religionem ingrediuntur... metu gravi... inducti... »

Censemus tamen admissionem validam fuisse. Etenim, ex c. 6, expressio « metus gravis » debet intelligi « ex iure antiquo..., ex receptis apud probatos auctores interpretationibus », et « in dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a vetere iure non est recedendum. » Porro « metus gravis », apud scriptores Codice anteriores, immo in processibus de nullitate ordinationis, professionis aut saepius matrimonii, est semper metus mali temporalis, v. g. mortis, exsilii, derelictionis, verberum, contumeliarum, exhaeredationis, longae indignationis paternae, etc., numquam autem (saltem quantum scire possumus) timor divinae vindictae.

Profundius fortasse diceretur exigi (ut animadvertunt commentatores quidam Codicis, vetere iure nixi) metum « ab extrinseco », i. e. ab alia persona incussum, hoc vero non haberi si praedicator aut confessarius nullum novum malum minitatus est sed solum attentionem animi juvenis attraxit in metum ab ipso Deo incussum: non proprie iniceretur metus, sed solum revocatus in memoriam timor Dei, redderetur magis conscius.

Casus foret magis dubius, si praedicator aut confessarius periculum damnationis multum exaggeravisset, et si unice ob talem exaggerationem iuvenis ingressus esset.

Extra talem casum, manifeste intentio legislatoris non est ut multi dubitent de validitate sui novitiatus et ipsius professionis, quod fieret si metus inferni, conceptus ob verba alicuius sacerdotis, invalidaret ingressum cuius, saltem partim, causa fuisset.

Ergo, etiam si, mere grammaticaliter res consideranti, talis interpretatio sustineri posset, dicendum esset : « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem » (Ultima Regula iuris in VI).

E. JOMBART, S. I.

2. De dispositione bonorum noviciae apud moniales.

Quaeritur num c. 569 novicias Monialium regat.

Resp. Canon. 569 §§ 1 et 2, procul dubio ad omnes religiosos referuntur, cum omnes, etiam Regulares, paucissimis exceptis, professioni perpetuae, sive sollemni sive simplici, vota simplicia et temporaria praemittant.

Paragraphus tertia ad novicias Monialium non extenditur ; quod planum est si agitur de monialibus quae professionem sollemnem emittant; non minus autem certum est, etiamsi ex praescripto S. Sedis vota tantum simplicia pronuntient. Istae enim noviciae non sunt « in *Congregatione* religiosa », sed in *Ordine* religioso stricte dicto. Quare quod testamentum attinet, suis tantum constitutionibus reguntur. Minus quoque apud istas Moniales incommodum erit si constitutiones praecipiant ut se ante professionem perpetuam proprietate bonorum suorum spolient, modo ad normam c. 547, ss. congrua dos exigatur et tutissime collocetur.

I. CREUSEN, S. I.

3. De professione temporaria.

Quaestio. 1. Iuxta constitutiones Congregationis cuiusdam religiosae, professio perpetua ante vigesimum quintum aetatis annum emitti nequit. **Quaetur** num sodales ad primam professionem ante aetatem 19 annorum admitti queant.

Resp. Ad normam c. 574, § 1 prima professio, quae temporaria esse debet, emittenda est ad triennium nisi constitutiones exigant annuales professiones. Cum § 2 vetet Superiorem illud tempus « ultra aliud triennium » prorogare, censeat aliquis tempus professionis temporariae ultra sexennium numquam prorogari posse. Si tamen § 1 attente consideraveris, videbis licitam esse, immo praeceptam professionem ad tempus ultra triennium, si, transacto illo tempore, religiosus aetatem ad professionem perpetuam emittendam nondum attigerit. Iamvero c. 573, etsi vigesimum primum aetatis annum requirit, non prohibet quin constitutiones provectiorem aetatem definiant. Quare censemus in huius modi Congregationem, novicium ab anno aetatis decimo sexto ad professionem admitti posse, quae tunc ad novennium pronuntiari potest.

Ita respondemus secundum Codicis litteram, severiorem S. Congregationis interpretationem reservantes.

Vix tamen veri simile est fore ut tam iuniores novicii admittantur in religionem quae ad perpetuam professionem aetatem tam provectam requirat.

I. CREUSEN, S. J.

4. De prorogatione professionis temporariae.

Temporariam professionem ultra sexennium professo qui aetatem ad professionem perpetuam adeptus sit prorogare c. 574, § 2 vetat. Fac autem religiosum

impediri quominus die statuta professionem, saltem iuxta ritum consuetum, emittere possit, v. g. quia aegrotat, vel ad paucos dies ob urgentem et gravissimam causam domum repetere coactus est, etc. **Quaeritur** num Superior professionem temporariam ad parvum saltem tempus prorogare possit.

Resp. Huius difficultatis duplex solutio certa praesto est.

1. Si morbus id permittat, religiosus aegrotus professionem perpetuam coram legitimo Superiore sine ullo ritu emittat: ritus enim iste non est ad valorem requisitus.

2. Religiosus ad diem convalescentiae maneat sine votis, aut privata tantum vota emittat, ne spirituali suae consecrationis Deo factae fructu privetur.

I. CREUSEN, S. I.

5. De dimissione ex mutuo consensu

An Abbas monasterii sui iuris professum votorum temporariorum consentientem dimittere posset, sine ullo scandalo vel notabili defectu, sed unice quia eum, ex carentia vocationis internae, professione sollemni indignum iudicat?

Resp. Expleto temporariorum votorum tempore, nulla esset difficultas, cum professus, qui in casu consentiens dicitur, tunc possit libere religionem deserere (c. 637).

Ante expletum hoc tempus, videtur neganda Abbati haec potestas.

Plura enim ostendunt decretum dimissionis ferri non posse nisi propter causas externas, aliquatenus publicas, aut saltem quae a testibus aliquibus animadverti potuerunt, non ob causam ab uno Superiore cognitam. Nam, etsi non necesse sit formale iudicium, dimissio religiosi est tamen res fori externi, in qua viget adagium: « De internis non curat prae-

tor ». Ad dimittendum professum, Abbas debet habere *consensum* sui Consilii per secreta suffragia manifestatum (c. 647 § 1). Consiliarii autem nequeunt hoc suffragium ferre nisi iuxta cognitionem personalem quam habent huius professi, sive ex rebus quas propriis oculis viderunt, sive ex iis quae ex testibus fide dignis audierunt. Non tenentur, immo (saltem per se et generatim) non possunt contenti esse sola Superioris affirmatione quam nullum indicium externum corroboraret. Secus fieret inutilis cautio quam Codex professis concedere voluit, exigendo consensum Consilii ad dimissionem, ne exponerentur, in re tanti momenti, potestati arbitrariae unius viri et eius fortasse aversioni personali, plus minus inconsciae, qua talem vel talem nimis severe iudicaret.

Quotics sunt plures iudices, iudicium non est de re mere interna.

Hoc confirmatur toto contextu. Indicatur ut causa sufficiens dimissionis « defectus spiritus religiosi », res de se valde interna, sed solum si externe manifestatur, nam additur: « qui aliis scandalo sit, etc. » (c. 647, § 2, 2.°) Causae religioso manifestari debent, ut respondere possit; contra dimissionis decretum habetur recursus suspensivus ad Sedem Apostolicam (c. 647, § 2, 4.°): quae omnia supponunt de causis externis agi.

Quapropter Codicis commentatores, v. g. *Epitome iuris canonici* (I, n. 654) et auctores ibi allati, exempla afferentes causarum ad dimissionem sufficientium, solas causas externas indicant.

Conclusio non mutatur ex eo quod professus dimitti consentit. Huc venit responsio 19 nov. 1886, S. C. *Ep. et Reg.* negantis pro dimissione per se sufficere declarationem religiosi se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam. Etenim, si ita facile dimitti possent, quasi ex mutuo

consensu, quotquot putarent se vocationem internam non habuisse aut amisisse, esset tentatio contra quorundam perseverantiam, qui, ob quamlibet difficultatem aut animi deiectionen, statim arbitrarentur se ad hoc genus vitae aptos non esse.

Sic itaque concludendum. Vel exspectetur saltem finis votorum temporariorum, vel si esset seria ratio non exspectandi, ad Sanctam Sedem recurratur.

E. JOMBART, S. I.

6. De condicionali novae domus erigendae licentia

An Ordinarius loci posset permittere religioni clericali constitutionem novae domus cum condicione non aperiendi ecclesiam nec oratorium publicum?

Resp. Ante Codicem hoc admittebat P. VERMEERSCH, scribens (*De Religiosis*, I, n. 107, 2): « Condicione sapponere veniae datae, modum aliquem, ne v. gr. aperiant oratorium publicum, iustam ob causam praefinire, videtur in potestate esse Episcopi. Qui potest plus potest minus ».

Opinamur id verum remanere etiam post Codicem, non obstante c. 497 § 2: « Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum... » Tales breves Codicis sententiae, in quibus compendium invenimus doctrinae apud scriptores anteriores longius evolutae, iuxta hos scriptores intelligendae sunt.

Hanc praecedentem doctrinam sic referebat laudatus auctor (*op. cit.*, n. 511, I, 1) « Obtenta erectione monasterii seu conventus, permittuntur Regulares, *nisi Episcopus ob iustam causam in concedenda erectione id exceperit*, aedificare coniunctam ecclesiam ».

Censemus ita intelligendum esse « secumfert » in c. 497 § 2 cum tali restrictione: « nisi Ordinarius loci ob justam causam id expresse exceperit ». Ratio

allata ante Codicem « Qui potest plus potest minus » valet etiam nunc; etiam nunc Ordinarius potest iustam causam habere sive recusandi veniam constituendae domus, sive, concessa erectione domus, recusandi oratorium publicum. Exempli causa, generatim Episcopus nullam habebit iustam causam impediendi erectionem domus noviciatus cum suo sacello domestico, dum possent esse causae non permittendi publicum oratorium quod magnas dissensiones suscitaret inter fideles et quosdam viros de clero, sine seria populi utilitate, vel quod fortasse provocaret odium Gubernii aut municipii male dispositi.

Adde, si talis restrictio iam ab Ordinario loci numquam apponi posset, hoc simul nocere Episcopis, quorum libertas minueretur contra omnem verisimilitudinem (quia in multis Codex non minuit sed auget eorum ordinarias potestates) et religiosis, quibus, in talibus adjunctis, nunc interdiceretur ipsius domus erectio. Legislatorem talia noluisse nimis patet.

E. JOMBART, S. J.

7. De titulo quo missae defunctis sodalibus instituti applicandae sint.

Quaestionis occasio. — In *Commentarium pro religiosis*, 1922, p. 223, R. P. S. GOYENECHE haec scribit: « Ni contrarium expresse constet, suffragia quae in Constitutionibus praescribuntur deberi dicenda sunt ex iustitia, ut pote quae in ipso iure innixa. Hoc est luce clarius. Etenim quod nobis ius concedit, nobis ex iustitia debetur, nam iustitiae proprium est praeceptum « ius suum cuique tribuendi » Sed Constitutiones sunt ius proprium cuiusque Religionis. Ergo. »

Resp. Pace dixerim auctoris quocum saepe consentimus, in hac re, studio veritatis, ab ipso disce-

dere cogimur. Etenim, ut rem breviter expediamus, affirmatio ista debiti iustitiae destituitur auctoritate. LACROIX, *Theol. mor.* L. 6 p. 2 n. 169, haec habet: « Missae pro defunctis eiusdem Ordinis, sive inducantur per generales Constitutiones Ordinis, sive ex particularibus regulis, sive ex Superiorum praescripto, non obligant sub mortali, quia ista tantum habent rationem simplicis mandati, nisi accedat praeceptum oboedientiae: *et hoc esse omnium iudicium et usum* dicunt PELLIZARI, T. I, c. 9, n. 12; HAUTIN, n. 617 ».

Iam antea SUAREZ, *De religione*, Tr. 10, L. 8, c. 2 n. 5 dixerat missas istas eadem obligatione deberi qua ipsae Constitutiones obligant: hae vero plerumque non obligant sub peccato; ac multo minus obligationem iustitiae pariunt. Sic etiam BUCCERONI *Institutiones theologiae moralis*, III, 634.

Quocirca etiam, quamvis vetent ne fructus missae, quando missa ex iustitia debetur, inter plures dividantur, auctores permittunt ut in missa ex statuto Ordinis debita, haec applicatio ad plures fines fiat, Cfr. v. g. BUCCERONI, *Inst.* III, n. 621.

Unica ratione nititur R. P. GOYENECHE: « Quod nobis ius concedit, nobis ex iustitia debetur... Sed Constitutiones sunt ius proprium cuiusque religionis ». Sed nonne, in isto ratiocinio, ius seu lex confunditur cum iure iustitiae commutativae? Et quis non videt mira consectaria allegati principii? Quidquid lege conceditur iam deberetur ex iustitia? Ex iustitia ergo deberentur religiosis recreationes, ambulationes, horae sommi Constitutionibus concessae; ex iustitia parendum esset Superioribus, cum ius praecipiendi sit ipsis concessum!

Fortasse magis speciosum argumentum colligi possit ex c. 567, § 1, ubi novicii dicuntur ad eadem suffragia ius habere quae pro professis praescripta sunt. Verum etiam si vox *ius* stricte sumatur, obiec-

tum iuris non sunt singulae missae quae celebrabuntur, sed indictio a Superiore et a Constitutionibus, ita ut sensus sit: « Ius habent ut Constitutiones et Superiores eadem pro illis ac pro professis suffragia statuant ».

Sed, non minus quam in familia naturali, in familia religiosa mutuae relationes non ipsa iustitia sed caritate et pietate plerumque reguntur. Religiosi ius habent ad suffragia, fere sicut filii ad alimenta. Parentes autem neglegentes, non iustitiam sed pietatem violant.

Restat igitur ut, saltem respectu confratrum celebrantium, sodales nullo iustitiae titulo, missas exigere possint.

8. De Dimissione Monialis votis temporariis astrictae.

Canone 647, Ordinarius loci dimittit monialem professam votorum temporariorum, quae non est Superiori regulari obnoxia, post quam monasterii antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit.

Quaeritur utrum, fide ista habita, possit Ordinarius, sine alia rerum cognitione, dimissionem istam decernere, an contra debeat personalem de gravibus exstantibus causis scientiam sibi procurare.

Resp. In scripta fide quae postulatur et post quam religiosa dicitur ab Ordinario dimitti posse, magnam vim auctoritatis ad persuadendum inesse, negari non potest. Antistita, cum suo Consilio, praesumenda est prudenter et sine animi passione fidem talem dedisse. Nullatenus tamen Ordinarius a proprio examine prudenter faciendo dispensatur. Etenim:

a) Si ad Codicem attendamus, § 2 c. 647 conscientiam graviter onerat eorum qui dimittunt, ac proin Ordinarii, ut serventur condiciones, quarum prima est, ut sint graves causae, tertia vero ut Supe-

riori dimittenti certo innotescant. Praeterea rationes manifestari debent personae dimittendae eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiciendae sunt.

b) Ex rei natura, cuius est pronuntiare, eiusdem est iudicare. In praesenti autem casu, tum de exsistentia, tum de gravitate causarum indicium ferendum est. Exsistentia causarum generatim satis ipsa fide scripta demonstrabitur. Prudentia nihilominus requirit ut investigetur si forte mulieres praeiudicio aversi animi in fide danda cesserint. De gravitate autem causae iudicare ad Ordinarium spectat. Immo nonne necessitas istius iudicii ferendi, causa principalis est cur dimissio ipsi sit concredita ?

DE GRADU MAGISTRI AGGREGATI

Quaestio. — Fit interdum ut quaedam Studia generalia selectis alumnis conferant *Magistri aggregati* gradum, quem distinctum et sublimiorem esse aestimant quam *Lauream Doctoralem*.

Sic, die 23 iunii 1922, S. Congr. *Seminariis et studiorum Universitatibus* praeposita, ex mandato Sanctissimi, potestatem *Pontificiae Universitati Gregorianae* fecit *Magistros aggregatos* facultatibus Philosophiae et Theologiae renuntiandi auditores qui, doctoris lauream iam adepti, per biennium integrum in praefata Universitate Magisterii scholam frequentassent atque aptis experimentis se idoneos demonstrassent. Cfr. *Periodica* XI, p. 123.

De propria discriminis ratione **quaeritur** quaenam sit.

Responsum. Si nativam vocabulorum significationem consideremus (quod solum in animo habemus), *Magister theologiae* (ut apud Fratres Praedicatores)

idem est quod *Doctor theologiae*. Verum non omnis Doctor ad Corpus Facultatis superioris est aggregatus. Ita collegiales Doctores antiquarum Universitatum, quamvis non essent in numero professorum cuiuspiam Universitatis vel Collegii, satis tamen professoribus consociabantur ut omnes simul *doctorale* istius Universitatis *collegium* efficerent. Collegium istud de maioribus Universitatis rebus, maxime de rebus doctrinalibus, suam sententiam pronuntiabat. Exempla a celebri Parisiensis Universitatis Collegio Sorbonae, a facultate Theologica veteris Universitatis Andegavensis mutuari licet. Huiusmodi Institutum aliqualiter conferri potest cum coetu illorum qui in Anglia vocantur *Fellows* alicuius collegii Universitarii, ut puta Oxoniensis vel Cantabrigiensis. Ac nescio an simile Collegium doctorale etiam hodie in statutis quarundam Universitatum catholicarum memoratur.

His igitur perpensis, concludes maiorem quam in voce substantiva *Magistri*, in adiectiva *aggregati* vim faciendam esse, ut peculiarem tituli *Magistri aggregati* significationem assequamur.

QUAESTIONES DE MATRIMONIO SECUNDUM CODICEM

Quaestionum opportunitas. — Etsi multa iam scripta sint de dispensationibus matrimonialibus, fit tamen, in re tam practica, ut in operibus eruditis responsum ad non nulla quaesita quae ultro occurrunt, non ita facile inveniatur. Distincte itaque duabus quaestionibus hoc loco respondere nobis in animo est.

I. — **Quisnam inter Ordinarios vel parochos competens est ad elargiendas dispensationes.**

Resp. Vel agitur de dispensatione quae ex iure vel indulto generali ab Ordinario, vel parocho conce-

di potest, vel de dispensatione quae a S. Sede Ordinario vel alii exsequenda committitur.

In posteriore casu, nullum dubium de competentia moveri potest: competens est quem S. Sedes designavit. Si res committitur *Ordinario oratorum*, quisnam intellegi possit habemus ex c. 1055. In hoc enim canone, directe prorogatur competentia Ordinario qui litteras testimoniales (de exsistentibus causis) dedit vel preces transmisit. Manet enim competens etiamsi partes nec domicilium nec quasi-domicilium in eius dioecesi servaverint, et ex ipsa dioecesi discesserint, in alio loco matrimonium celebraturi. Inde indirecte habemus quinam litteras testimoniales dare vel preces transmittere possint. Est Ordinarius domicilii, quasi-domicilii, vel actualis commorationis. Qui autem preces transmiserit vel testimoniales dederit, praefertur alii Ordinario domicilii vel quasi-domicilii.

Generalis autem potestas iure vel indulto generali concessa, exerceri potest erga omnes qui actu degunt in territorio dispensantis; et erga subditos (ratione domicilii vel quasi domicilii) ubique commorantes. Id colligimus ex cc. 1043 et 1045. Simili modo facultas dispensandi in temporibus sacris, Ordinariis et parochis c. 1245 conceditur. Competentia ergo, quae, pro assistentia ad matrimonium, est mere territorialis, pro dispensatione est non solum territorialis sed etiam personalis. Quatenus autem erga omnes in territorio exerceri potest, potestas dispensandi paulo latius intellegitur quam potestas iurisdictionis, quae, ex c. 201, in solos subditos directe exerceri potest.

II. **Debetne dispensatio utrumque sponsum formaliter attingere, an satis est ut alteruter dispensetur?**

Distinctione opus est. Aliud enim impedimentum in uno subiecto exsistit (votum, crimen coniugicidii

sine machinatione); aliud est utrique commune: consanguinitas, affinitas, etc.

Is in quo solo impedimentum exsistit, ab Ordinario qui pro ipso, ratione praedicta, est competens, dispensationem impetrare potest et debet. Si impedimentum est utrique commune, competens est Ordinarius utriusque catholicae partis, ita tamen ut praeferatur (sed non ad validitatem) Ordinarius sponsae. Concessa ab uno Ordinario dispensatio, valet pro utroque; ac generatim, quando ambae partes sunt catholicae, nomine utrisque petitur. Cum haereticis non conversis Ecclesia formaliter non dispensat. Nec proin inferiores S. Pontifici impedimenta in ipsis exclusive exsistentia relaxare possunt. Pars igitur catholica debebit ipsa petere dispensationem ab impedimento quod in sola parte haeretica exsistit. Id a competente potestate petere debebit, i. e. sine peculiari facultate, a sola S. Sede.

III. — **De matrimonio per procuratorem.**

Ex c. 1088, § 1 contrahentes per se ipsi vel per procuratorem praesentes esse possunt. C. vero 1089 exigit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et, vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. Nec admittitur subdelegatio. Namque, c. 1089 § 4 subiungit: « Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi ». Verum nihil in Codice de aetate vel qualitatibus mandatarii subiungitur.

Quaenam itaque qualitates in ipso sunt necessariae? Ex iure superiore responsum quaerendum est, ac nobis his verbis a WERNZ, *Ius Decr.* IV, n. 45, suppeditatur: « Ut procurator vice mandantis *valide* matrimonium contrahat, nequaquam praeditus sit ne-

cesse est *specialibus* qualitatibus, v. g. certae aetatis, eiusdem sexus, sed sufficit quod naturaliter capax sit ad exsequendum mandatum. »

QUAESTIO DE IGNORANTIA RESERVATIONIS IN CONFESSARIO

In c. 2247, § 3, absolutio a censura et a peccato quem dederit confessarius qui ignoraverit reservationem, valere dicitur, nisi sit censura ab homine vel specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.

Quaeritur utrum necne idem dici possit de peccato quod *sine censura*, ac proin ratione sui sit reservatum.

Prima specie affirmative responderis, utendo argumento a fortiori. Plus enim videtur esse ut a censura et peccato quam ut a solo peccato absolvas. Sed minor est necessitas istius dispositionis, quando nulla censura est tollenda. Indebite, ob ignorantiam confessarii, a peccato absolutus, generatim indirecte remissionem obtinebit, manente solum onere repetendae accusationis ; dum, nisi tollatur censura, paenitens variis privationibus et incommodis obnoxius manet. Quare, deficiente rationis paritate, neganda videtur efficacia absolutionis quae nullo textu Codicis conceditur.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Facultatum quae, post Codicem, Legatis Apostolicis concedi consueverunt breve Commentarium.

Post promulgatum Codicem, novus prodiit « Index facultatum quas, pro locis missionis suae, Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis penes civitates seu Nationes post Codicis Iuris Canonici publicationem tribuere SS.mus Dominus Nostrer decrevit, ceteris abrogatis ».

Hactenus, nostra sententia, scriptores Theologiae moralis (1) aut iuris canonici non satis operam dederunt ut facultatum istarum notitia et utilitas in vulgus diffunderetur, dum, tamen, extra Italiam, expeditam solutionem praebent non paucis casibus de quibus S. Sedes per se adeunda foret.

Formulae quidem facultatum non sunt perpetuae, nec stabilitatem legum habere solent. Varietates tamen timendae non sunt nisi partiales et accidentales, praesertim cum formulae nunc accurate recognitae sint. Occurrente ceterum casu, frustra facta petitio apud Legatum Apostolicum multis vel gravibus incommodis obnoxia non videtur.

Quocirca pluribus lectoribus utile fore existimavimus ut Legatorum facultates, adiectis brevibus com-

(1) Elenchus tamen prodiit in Summario Theologiae moralis ARREGUI, S. I. ed. 5, 1920.

mentariis, hoc loco referremus. Cum enim communes sint Nuntiorum, Internuntiorum et Delegatorum Apostolicorum, et recens complures Delegationes Apostolicae creatae sint, aeque missionariorum exterorum et sacerdotum nostrarum regionum novisse interest quid a Legato Apostolico, in ministeriis sacris, obtinere queant. Brevitatis causa, nomine Legatorum Apostolicorum designabimus Nuntios, Internuntios et Delegatos Apostolicos.

CAPUT I. FACULTATES ORDINIS GENERALIS.

1. — *1. Facultas visitandi sive per se sive per ecclesiasticum virum probitate, prudentia ac doctrina praestantem, personas, loca et res, de quibus in can. 344, 512, 1382 Codicis, in casibus tamen particularibus et non per modum generalis visitationis; dummodo visitatio ipsa necessaria et urgens videatur, Ordinarius impeditus sit vel neglegens, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.*

Visitatio canonica est auctoritativa inspectio, quam, vario iure, modo et extensione, ad tutamen et augmentum fidei, morum et disciplinae, Praelati hierarchici facere iubentur.

Distingui potest, pro Ordinariis locorum, ordinaria seu communis dioecesis seu quasidioecesis visitatio et specialis quarundam personarum vel rerum. Canon 344 ordinariam dioecesis visitationem imperat; c. 512 specialem de monasteriis et Congregationibus religiosis; canon 1382 specialem de scholis, oratoriis, recreatoriis, patronatibus, etc. visitationem ordinat.

Pro his igitur visitationibus, Legati Apostolici, charactere episcopali insigniti, Ordinarium loci, ad quem per se spectant, supplere possunt, his tamen observatis condicionbus: *a*) ne indicetur generalis visitatio dioecesis, vel domorum religiosarum, sed limi-

tetur ad casum particularem regionis, personarum, locorum piorum, conventuum, quae visitatione indigeant; *b*) visitatio simul necessaria et urgens videatur; *c*) Ordinarius sit impeditus vel neglegens; *d*) tempus recurrendi ad S. Sedem non suppetat.

Legatus autem visitationem sive per se sive per idoneum virum ecclesiasticum perficere potest.

Solus tamen Legatus qui charactere episcopali sit ornatus iure isto potitur (Cfr. in fine, Animadversio 2).

2. *Usus* de ista facultate is esse poterit, ut si alicubi impendeat vel iam saeviat malum cui aliter non videtur provisum iri, puta localem turbam de nominato vel iam possidente parocho, relaxatam disciplinam conventus discidium inter Ordinarium loci et religiosos, de exorta difficultate Legatus certior fiat. Is tunc, sua facultate fretus, poterit consilio, hortatione, recursu ad S. Sedem, vel etiam suppleto loci Ordinario, pro sua prudentia, necessitati occurrere.

3. — *2. Conficiendi sive per se sive per alium virum ecclesiastica dignitate exornatum, acta omnia seu processus, ut vocant, pro iis qui ad episcopalem seu archiepiscopalem dignitatem ab hac S. Sede sunt designati, iuxta normas pro singulis nationibus datas.*

In hoc numero agitur non de praeparanda prudenti episcoporum nominatione: namque, ex c. 248, § 2, propositio de constituendis episcopis seu processus super promovendis per se spectant ad Congregationem Consistorialem. Quod tamen minime impedit quin ipsa Secretaria Status, cuius Nuntii sunt instrumentum, suas partes implendas habeat, quatenus potestas civilis aliquo modo in istis promotionibus interveniat. Sed, in facultatibus sermo fit de conficiendis actibus qui varii pro variis nationibus requiruntur, ut designatio a S. Sede facta sit efficax et practica exsecutione compleatur.

Processus potest a Legato Apostolico committi

viro dignitate exornato. Dignitas dicit praecedentiam cum iurisdictione in foro externo; nomine tamen dignitatum veniunt quoque qui, in capitulis, titulum habent cui olim iurisdictio annexa erat.

Usus istius facultatis, ut liquet, privatos minime respicit.

4. — *3. Conferendi personis idoneis ea beneficia de quibus in canone 1435, § 1, n. 1 et 3, servatis regulis ab Apostolica Dataria datis vel dandis.*

In § 1, n. 1 canonis 1435, agitur de beneficiis quae ideo S. Pontifici reservantur, quia, momento vacationis (seu potius in signo immediate anteriore) possidebantur a Cardinali, a Legato Romani Pontificis, ab Officiali maiore SS. Congregationis, Tribunalis et Officii Romanae Curiae, et Familiarium, etiam honoris tantum, S. Pontificis. In n. 3, sermo est de beneficiis quae invalide ob simoniae vitium collata fuerunt.

Beneficia ista omnia Legatus conferre potest, nisi iure particulari reservatio pontificia sublata sit. Ratio cur collatio ista Legatis simpliciter tribuatur haec esse videtur, ut reservationes Pontificiae practice urgeantur, nec, ob facti ignorantiam, paulatim neglegantur. Legatus enim, qui in variis nationibus residet, casus istos facilius observare potest; eius autem vigilantia potestate collata excitatur.

Quia ius Pontificium exercet, et collatio de beneficiis non consistorialibus (de quibus solis hic quaestio fit) canone 261 Datariae ascribitur, liquet normas Datariae esse a Legato servandas.

Solus tamen Legatus qui sit episcopus beneficia ista conferre potest (Cfr. Animadvers. 2 in fine).

5. — *Usus* privatus istius facultatis is esse poterit, ut candidati noverint quis sit pro assequendo beneficio adeundus.

6. — *4. Absolvendi, iniunctis de iure iniungendis, tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo,*

pro casuum diversitate, ab omnibus censuris a iure sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

Vi istius facultatis, Legato competit in omnes *censuras* a iure non specialissime reservatas potestas quae, prout casus exigit, tam in foro externo quam interno exerceri potest. Observes tamen nullam in *poenas vindicativas* potestatem conferri.

C. 2237 Ordinariis potestatem facit etiam in alias poenas iuris communis. Sed eorum potestas in censuras restringitur ad casus occultos et ad censuras non specialiter S. Sedi reservatas. In regionibus tamen extra Italiam, plerique Ordinarii locorum qui id petunt, extensam ad plures saltem censuras specialiter reservatas potestatem, saltem pro foro interno, impetrant.

7. — *Usus* istius facultatis potissimus erit, ut pro foro interno optio confessariis plerumque detur adeundi sive Ordinarium loci sive Legatum Pontificium, ut, in casu particulari, defectus potestatis suppleatur, vel etiam generaliorem delegationem obtineant.

8. — *5. Dispensandi pro iam ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi quam consequendi et retinendi beneficia ecclesiastica, super quibuscumque irregularitatibus tum ex delicto tum ex defectu provenientibus, dummodo exinde scandalum non oriatur, nec divinis pariatur impedimentum, iis semper exceptis de quibus in c. 965, n. 4, et praevia abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis.*

Proprius irregularitatis effectus est impediendi ordinum exercitium atque etiam ordinis superioris assecutionem. Praeterea consecutio beneficii cui functiones ordinum annectuntur ei qui absolute et ex toto est irregularis, certo est illicita, immo probabilius invalida. (Sic WERNZ, *Ius Decretalium*, II, 104 et nota 58).

Nulla vero privatio beneficii iam possessi irregularitatem *ipso iure* consequitur. Sed, ante Codicem, irregularis per sententiam iudicis eo privandus dicebatur si beneficium exercitium ordinis includebat et irregularis dispensationem petere non poterat aut tempestive nolebat (WERNZ, l. c.)

Nunc autem, cum c. 2299 § 1 non permittat ut quis, sine explicito textu, beneficio *inamovibili* in poenam privetur, non poterit, si diuturna irregularitas nota sit, locus esse nisi remotioni administrativae a beneficio inamovibili.

Attenta iam mox citata facultate, Legatus ab irregularitate ob triplicem finem dispensare potest: *a*) ut irregularis Missam celebrare possit (non ergo mere ut diaconum agere valeat vel ut ad sacerdotium promoveatur); *b*) ut beneficia ecclesiastica de quibus supra saltem licite consequi possit; *c*) ut sententiam vitet qua beneficio suo privaretur.

Sublata autem irregularitate, dispensatus iam omnem capacitatem recuperat.

Ad omnem autem irregularitatem, sive occultam sive publicam, potestas porrigitur, sola excepta irregularitate ex homicidio vel abortu, effectu secuto. Potestas itaque etiam irregularitatem ex delicto haeresis vel schismatis (c. 985, 1) complectitur. Verum, quia haeretici et schismatici ipso facto excommunicatione specialiter S. Pontifici reservata plectuntur, dispensationi ab hac irregularitate praeponenda est absolutio ac proin abiuratio, ubi crimen fuerit notorium vel ad forum externum deductum.

Binae condiciones adduntur, ex ipsa rei natura fluentes. *a*) « Dummodo exinde scandalum non oriatur »: sive istud quod indignus ministrans efficit, sive istud quod ex male exercito ordine manat. Namque ridicula ordinis exercitatio ipsam religionis existimationem imminuit. Scandalum ex indigno ministrante

profluens irregularitatem ex delicto supponit; scandalum male exerciti ordinis etiam ex inculpato corporis vel animi vitio derivare potest.

Iustus rei aestimator ipsam defectus causam considerabit. Namque, prout gloriosam vel mere naturalem causam habet, eadem deformitas aedificationem adducet vel risum movebit.

b) « Dum nec divinis pariatur impedimentum », i. e. ne talis sit irregularitas quae divina impediat. *Divina* designant actus potestatis ordinis (arg. c. 2279, § 2, 2). Si ergo vitium corporis vel animi, actibus vel simpliciter vel decenter factis obstet, nefas foret, auferendo irregularitatem, ei restituere liberum potestatis ordinis usum qui eundem saltem decenter exercere nequit. V. g. qui memoria aut pronuntiationis vitio ita laborat ut verba etiam esentialia consecrationis et absolutionis secure pronuntiare nequeat : quamdiu nec secure nec decenter ordinem ministrare potest, quis dispensandi locus esse possit ? Observes eo fine a Legato dispensari non posse ut irregularis ad ordines ascendat, dum, ex c. 990, etiam *ordinandi,* qua tales (seu ut ascendant) ab irregularitate ex delicto occulto ab Ordinario loci dispensari possunt.

9. — *Usus* istius potestatis tum irregularibus tum confessariis prodesse poterit. Saepe concurret cum potestate Ordinarii loci, praesertim qui peculiares facultates obtinuerit; sed plures rationes, v. g. timor ne occultus reus cognoscatur recursum ad Legatum suadebunt.

10. — *6. Indulgendi, ex causa paupertatis, iis qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint, ut quoad praeteritum tempus obligationem suam paulatim adimplere valeant, ita nempe ut faciant quantum possint pro integra satisfactione oneris Missarum quo gravantur, celebrando vel per se vel per alium singulis mensibus aliquem Missarum*

numerum, iuxta eorum vires, de bono et aequo a concedente, et, in casibus occultis, a confessario determinandum.

Moneantur autem praedictarum omissionum rei, si ita faciendo ante completam huiusmodi satisfactionem obierint, nec habeant quid pro eodem onere sive in toto sive in parte adimplendo relinquant, Missas quae post eorum obitum celebrandae supererunt, ipsis, dum pie in Christo decedunt, condonatas fore censeri, defectum quemcumque tunc supplente S. Sede de thesauro Ecclesiae.

Item concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnino rerum adiuncta expediens in Domino videatur, ut ad certum numerum iuxta vires petentis, Missae quoad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo non agatur de recidivis, supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

a) Itaque iis qui debitas ex fundatione vel ex stipe manuali missas celebrare omiserint, Legati Apostolici possunt, non quidem missas condonare, sed indulgere ut paulatim, satisfaciendo, singulis mensibus, personaliter vel per alium sacerdotem, certo missarum numero, debitum exstinguatur. Ac vi canonis 840, § 2, si per alios celebrant missas ex fundatione neglectas, quae proin, ex c. 826, § 2, *ad instar manualium* vocantur, sufficit ut stipendium solvant dioeceses in qua missa celebratur, si elemosyna a neglegente percepta pro parte locum beneficii tenebat.

Id tamen non ob quamlibet causam iustam, sed ex sola causa paupertatis, Legati concedere possunt.

Numerus missarum hac ratione celebrandarum, ex aequo et bono statuendus, a confessariis, in casibus occultis, determinari potest. Fas proinde est confessariis ut, reticito reorum nomine, ad Legatum recurrant.

Si vero iidem rei ante completam satisfactionem obierint, nec habeant quid pro onere, saltem ex parte

implendo, relinquant, missae quae supersunt, ipso iure condonantur, supplente tunc S. Sede quemlibet defectum de thesauro Ecclesiae.

Observes facultatem pro solis missis iam *omissis* seu ad sanandum praeteritum valere. Legatus proin non possit, vi istius facultatis, propter imminutum valorem elemosynarum receptarum, vel furtum quo sublata fuerint, missarum onera *nondum neglecta*, reducere.

b) Immo, ob peculiaria adiuncta (non iam ergo ob solam paupertatis causam) directam missarum reductionem ad certum numerum, secundum petentis vires, concedere Legatus potest, semper tamen *quod ad praeteritum tempus*. Agi itaque debet de missis quae tempore debito non fuere celebratae.

Peculiaria adiuncta esse possunt inopia quae copiam satisfaciendi paulatim auferat; amissio non culpanda receptae pecuniae.

Verum additur condicio: dummodo non agatur de recidivis. Satis constat, *recidivos* hic intellegi non posse quales c. 2208 describuntur, i. e. qui, iam condemnati, delictum iterant in talibus adiunctis e quibus pertinacia in mala voluntate conici prudenter queat; sed, ex sensu obvio, sunt quotquot ab oneribus neglectis plene implendis iam dispensati fuere.

11. — *Usus*. Sacerdotes quos neglegentiae suae paenitet, ac saepius confessarii quorum opera utuntur poterunt, adeundo Legatum, ingratas istas conscientiae obligationes prudenter ac sine ullius famae detrimento a se vel a paenitente levare.

12. — *7. Admittendi in foro interno eos qui beneficiis ecclesiasticis etiam cum cura animarum instructi recitationem horarum canonicarum omiserint, ad discretam compositionem, eaque mediante fructus male perceptos condonandi, pecuniis exinde redactis in pia opera arbitrio Sedis Apostolicae erogatis.*

Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, praedictos fructus condonandi, iniuncta pro eorum viribus eleemosyna, pro suo vel confessarii prudenti iudicio determinanda.

Et haec quidem sine praeiudicio illorum quibus distributiones accrescere vel non decrescere debent, sint et censeantur ordinata.

§ 1. Legati ad discretam compositionem eos admittere possunt qui, propter omissas horas canonicas, fructus saltem ex parte suos non fecerint.

Quantum sit restituendum, indicavimus tum *Epitome Iuris canonici* II, n. 800, tum *Theol. mor.* III, n. 35. In utroque opere simul monuimus, ex probabili Theologorum sententia, obligationem hodie propter tenuitatem beneficiorum raro urgendam esse. Severior tamen iurisprudentia S. Congregationis Concilii, quae poenae eos etiam obnoxios efficit qui propter plura alia officia integros fructus mererentur, videtur insinuari praesenti textu, cum necessitas eiusmodi compensationis etiam pro iis qui beneficium cum cura animarum obtinent, absolute expressa videatur.

§ 2. Permittitur ut Legati pauperibus quorum inopia compositionem non admittit, fructus plene condonent, iniuncta tamen, pro eorum viribus, eleemosyna « pro suo vel confessarii prudenti iudicio determinanda ». Pro *suo* iudicio, i. e. Legati. Namque immediate ante, pauperes pronomine « eorum » designati sunt.

Observes facultatem istam foro interno esse circumscriptam, ita ut nullam actionem iudicialem impediat.

§ 3. Paragrapho ista reservatur tamen intactum ius eorum quibus « distributiones accrescere vel non decrescere debent ». Agitur hic de canonicis qui propter absentiam a choro vel ibi non recitatas horas, distributiones amittunt. Distributiones istae aliis regulariter (ut

omittamus quaestiones de dignitatibus quae proventus suos non ex mensa capitulari percipiant) accrescunt. (Cf. DE HERDT, *Praxis capitularis*, n. 388.)

Quaestio itaque: potestne Legatus admittere ad compositionem canonicum qui, propter omissam debitam horarum recitationem choralem distributiones restituere debeat: quaestio ista negative solvenda est, si distributiones istae aliis accrescere deberent.

13. — *Usus*, ex supradictis, non adeo frequens erit. Poterit tamen magis securum reddere quempiam cui benignior sententia, quae multos a restitutione propter beneficii tenuitatem excusat, scrupulosus foret.

14. — *8. Condonandi in foro interno fructus ex beneficio ob simoniam realem invalide obtento indebite perceptos, iniuncta congrua paenitentia salutari, cum aliqua eleemosyna iuxta vires paenitentis taxanda, et imposita eiusdem beneficii dimissione. Quatenus vero ob iustas et rationabiles causas beneficium dimitti non expediat, praesertim vero si idem parochiale sit, et non adsint qui parochis praefici possint, titulum ipsius beneficii convalidandi.*

Simonia iuris divini committitur studiosa voluntate emendi vel vendendi, pro pretio temporali, non solum rem intrinsece spiritualem sed etiam rem temporalem rei spirituali ita annexam ut temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, v. g. beneficium ecclesiasticum: beneficium propter officium (c. 727 § 1). Ac simonia est *realis*, quando exsecutione pacti, seu hic consecutione beneficii, est completa. Simoniaca provisio omni vi caret; quare simoniace provisus non facit fructus suos (cf. c. 729).

Porro praesenti facultate possunt Legati fructus indebite perceptos condonare, his legibus, ut congruam (cum delicto et persona) paenitentiam iniungant quae simul sit salutaris seu aliquo modo medicinalis, cum aliqua eleemosyna iuxta vires (oeconomicas et

morales) paenitentis taxanda, et beneficii dimissionem imponant.

Attamen, si propter iustas ac rationabiles causas beneficium dimitti *non expediat*, ipsum titulum condonare possunt. Iustae ac rationabiles causae non debent esse graves, saltem comparate ad licentiam dandam. Ac sufficit ut beneficium dimitti non expediat. Causa frequenter erit quaedam timenda infamiae nota. Codex potiorem indicat: si agatur de parochia, ac desint qui ei praefici queant.

Quid, si reus beneficium non quidem simpliciter dimittere, sed mutationem impetrare sine incommodo possit? Id tunc facere debere videtur.

Estne hic, per analogiam, locus applicandi c. 2251, quo absolutio a censura etiam in foro interno data, valet in foro externo, si probetur vel legitime praesumatur?

Locum esse negamus, quia desideratur textus quo derogetur canoni 202, § 1, quo negatur valor in foro externo actus iurisdictionis pro solo interno collatae; et causa est diversa.

Non potest quis simul esse ligatus censura et ab ea absolutus; ac, semel obtenta absolutione, repugnat ut quis sine nova culpa iterum censura plectatur; dum bene intellegitur beneficium amitti si titulus in solo foro interno convalidatus est. Verum fructus perceptos dispensatus non amittit cum eos vere suos fecerit.

15. — *Usus* ei speciatim prodesse poterit qui occulta simonia peccavit et, condonatione per aliam viam petita, haud aegre in suspicionem delicti veniret.

16. — *9. Absolvendi, vel per se vel per alias idoneas ecclesiasticas personas a se deputandas, eos omnes qui fundos olim ecclesiasticos et a plurimis annis Ecclesiae per civiles leges ablatos nunc possident, vel titulo hereditatis a suis maioribus accepto, vel titulo emptionis seu similis contractus cum tertiis possessoribus*

initis, eosque singulos habiles reddendi ad praedictos fundos tamquam proprios licite habendos, de iisque tam inter vivos, quam mortis causa libere disponendi, imposita pro una vice tantum congrua eleemosyna iuxta prudens absolventis iudicium, favore alicuius ecclesiae vel pii operis eroganda.

Facultas hic conceditur absolutionis dandae detentoribus quorundam bonorum ecclesiasticorum, per civiles leges male ablatorum.

De qua facultate haec observanda sunt.

a) Facultas non valet nisi de *fundis* seu bonis immobilibus.

b) Necesse est ut *a plurimis* annis, non ergo recens, per leges civiles ablata sint. Quid sint *plurimi anni*, melius ex stylo S. Congregationis Concilii cognosceretur. Interea, arbitramur *plurimos* annos esse quadraginta et ultra. Etenim, non postulantur *centum* anni, cum numerus iste, ubi postuletur, exprimi consueverit explicite, ut in consuetudine, in praescriptione centenaria (cf. c. 30 et 1511, 1). Sed cum *longum* tempus quod praescriptioni necessarium est aestimetur triginta annorum (c. 111, § 2), *plurimi* dici posse videntur anni qui ultra hoc tempus decurrunt et consuetudini sufficiunt, i. e. quadraginta (c. 27, § 1). Seu brevius: ex mente Codicis, 30 anni erunt multi; ergo 40 erunt plurimi.

c) Necesse est ut titulus *proximus* possessionis sit haereditas, emptio vel similis contractus; et ut titulus *remotus* sit lex civilis qua bona Ecclesiae sunt ablata. **Quid** ergo si, occasione talis legis usus, quispiam privatus bona usurpet quae secus a Statu fuissent possessa? Quia non formaliter exigitur ut bona fuerint prius a Statu possessa, videtur etiam in tali casu locus esse facultati Legatorum Apostolicorum. Rem tamen non vacare dubio fatemur. Verum bona nequeunt directe seu immediate ab usurpante pote-

state publica esse acquisita. Quare « tertii possessores » a quibus bona in manus devenerunt recurrentiis pro condonatione nequeunt esse ipse Status, qui nimis cum legistatore est coniunctus.

17. — *Usus.* Post civiles usurpationes, solet benigna Mater Ecclesia etiam damno suo res componere, ratas habendo possessiones iniquae originis. Ita fecit iam per Concordatum cum Napoleone I in Gallia; ita, per plures conventiones cum Hispania. Ne tamen inde existimes omnem anxietatis rationem esse omnibus possessoribus bonorum quae ecclesiastica fuere ademptam. Etenim, in Hispania non pauca bona fuere conventione excepta, neque ipsae conventiones fuere perfecta exsecutione completae; in Galliae Concordato mere venditiones bonorum ecclesiasticorum a fisco peractae ratae factae erant. Quare, cum plura bona ecclesiastica postea vendita essent, novis condonationibus opus fuit. Praeterea alio titulo ac venditione plura bona ecclesiastica ad privatas personas pervenerunt. Idco fit ut etiam de sanato possessionis vitio non raro dubitetur. Recurri tunc potest ad Legatum Apostolicum, cum saltem titulo haereditatis a maioribus obtentae bona ista nunc possideantur. (De bonis in Hispania usurpatis, cf. FERRERES, Theol. mor. I, n. 885-888, 699.)

De bonis quae recentioribus decretis in Gallia usurpata sunt, Facultates amplae episcopis Galliae concessae sunt.

18. — *10. Dispensandi, quando ita in Domino expedire videbitur, super lege abstinentiae, diebus praescriptis, quocumque anni tempore ieiuniorum et quadragesimae, in casibus particularibus.*

Facultas dispensandi in lege abstinentiae Legatis conceditur in *casibus particularibus.* Casus *particularis* inducit dispositionem ex causa peculiari factam, atque ita differt a dispositione *generali.* Causa itaque spe-

cialis requiritur, neque ultra vim causae peculiaris dispensatio vigere potest.

Verum, quia nulla alia limitatio, v. g. « singulas personas, singulas familias » (c. 1245) additur, causa particularis potest esse communis totius ragionis, ita ut Legatus possit civitatem, rem publicam omnem, in casu particulari, ab abstinentia dispensare. Quae interpretatio canone 1245 § 2 confirmatur: ibi enim dicitur tota diocesi ex *causa peculiari* magni populi concursus aut publicae valetudinis, ab Ordinario dispensari posse. Quod ergo propter duas allegatas causas tantum Ordinario loci permittitur, id propter quamlibet causam peculiarem a Legato fieri potest. Sed dum potestas Ordinarii loci dispensationem etiam a ieiunio complectitur, hic sola abstinentiae relaxatio est concessa.

Dum casus *particularis* condicioni *generali* seu habituali opponitur (cf. *Epitome*, II, n. 554) casus *singularis multiplicem* excludit. Singularis igitur numerum; particularis specialitatem respicit.

Dispensatio tunc tantum concedi potest si ita in Domino expedire videatur. Non ergo necessaria est causa incommodi vel difficultatis: etiam ad laetitiam de fausto eventu augendam dispensari potest. « Etiam tempore *ieiuniorum* », quia his sacris temporibus, dispensatio difficilior per se esse debeat.

19. — *Usus.* Cum agitur de dispensatione quae ultra singulas personas vel familias se extendit, facilius a Legato obtinebitur qui potest collective dispensare quam ab Ordinario loci qui non potest omnes nisi quasi singulos, vel singulas familias obligatione solvere. Si autem maior communitas, v. g. civitas dispensanda est, Ordinarius potest tantum ob peculiarem causam publicae valetudinis aut publici concursus, dispensationem concedere.

20. — *11. Permittendi clericis et religiosis, uti sin-*

gulis, ut rationabili de causa, quocumque anni tempore, privata Matutini cum laudibus recitatio anticipari possit statim post meridiem.

Vi praesentis facultatis, Legatus Apostolicus anticipationem Matutini cum Laudibus statim post meridiem concedere permittitur. Nec ponitur condicio quae in Facultatibus de Propaganda Fide (n. 22, Formulae I; 31, For. II maior. et minor; n. 41, For. III maior. et minor.) ad ipsum valorem exigitur: « expleto divino officio diei ». (Cf. *Periodica* XI, p. 104). Facultas igitur Legatorum non obstat devotioni eorum qui Completorium tamquam vespertinam orationem sero dicere cupiunt et simul tamen Matutinum anticipare solent.

Permissio non potest toti communitati fieri, qua tali, sed clericos vel religiosos ut singulos attingere debet. Omnes autem religiosi, etiam exempti, ista facultate frui possunt, ita ut nulla licentia Superiorum indigeant ad adeundum Legatum pro ista anticipatione.

Anticipatio fieri debet rationabili de causa. Talis erit omnis causa quam Superior vel Confessarius probaverit. Immo, ut notavimus *Per.* l. c. ex MARC, probante PUTZER, *Commentarium in facultates Apostolicas*, n. 173, usus istius facultatis sine causa validus est, ita ut solum peccatum veniale efficiat.

Non paucis Institutis et piis sodaliciis clericorum concessum est ut Matutinum cum Laudibus ab hora prima pomeridiana anticipari possint.

21. — *Usus* omnibus clericis commodissimus esse potest, praesertim cum ipsa concessio sine peculiari causa fieri legitime queat.

22. — *12. Commutandi ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque durante, obligationem recitandi horas canonicas in quotidianam recitationem integri rosarii B. M. V. vel aliarum piarum precum*

quae congruae sint, citra exemptionem a choro, quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur.

Praesenti articulo nixus, Legatus Apostolicus, non quidem ab horis canonicis recitandis dispensare sed obligationem eas recitandi in cotidianam recitationem integri Rosarii B. M. V. vel alias congruas preces commutare potest.

Iusta requiritur causa ; indicatur frequentior : debilitas visus. Aliae esse possunt : capitis lassitudo, scrupulositas, etiam nimii labores, praesertim si sint ordinis spiritualis, immo ipsum iter, in quo breviarium difficile afferri possit.

Nec commutatio ultra iustae causae permanentiam protrahi potest.

Nulla alia commutatio permittitur nisi quae fiat in congruas preces. Congruae semper erunt quae integro rosario aequivaleant. Breviores indicari possunt si causa commutandi id postulet. Congruitas enim, etiam attento subiecto, aestimatur. Sic S. Officium, 2 iul. 1884, respondit n. VIII, per rosarium intellegi integrum rosarium « sed relinqui prudenti arbitrio et conscientiae episcopi, attentis peculiaribus personarum circumstantiis, commutationem in tertiam partem aut in preces tertiae parti respondentes » Apud PUTZER *op. cit.* n. 248.

Licet quoque variis officii divini partibus proprias preces substituere, ita ut qui ex devotione Officium ex parte persolvat, noverit quid pro reliquis partibus recitare debeat (Cf. *Per.* t. XI, p. (127), n. 100).

Commutatio potest etiam una parte circumscribi.

Commutatio horarum canonicarum nullam secum fert dispensationem a choro. Quare, in formula additur « citra exemptionem a choro » ; cum prudenti exceptione : « quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur. » Re vera duplex est

obligatio canonicorum : ut horis canonicis et aliis officiis choralibus intersint ; et ut horas psallant. Quare, qui utrumque praestare nequeant, parte quam possunt non eximuntur. (Cf. DE HERDT, *Praxis capitularis,* c. 26, § 6, R. 1 in fine, et Probatur 4.°) Verum plures causae ab assistentia dispensant : officium paenitentiarii et theologi ; indultum Apostolicum v. g. iubilationis, vacationes, ipsa infirmitas.

23. — *Usus.* Ordinariis nulla generalis facultas iure communi concessa est. Ex consuetudine tamen centenaria, facultatem huiusmodi commutationis ad ad breve tempus possidere videntur. Recursu ad Legatum Apostolicum, qui pro diuturniore commutatione necessarius est, omnis difficultas vel dubitatio aufertur.

24. — *13. Dispensandi, in casibus urgentibus, a gradibus academicis ad assequendas praebendas canonicales quae ex lege fundationis ipsos gradus requirant, dummodo nullum praeiudicium aliorum iuribus inferatur.*

Nullus ex iure communi gradus academicus (in theologia vel iure canonico) ad obtinendas praebendas canonicales est necessarius. Lex tamen fundationis gradus requirere potest.Ab ista necesitate, *in casibus urgentibus*, ac proin, deficiente tempore ad recurrendum Romam saltem per litteras, Legatus Apostolicus dispensare potest. *Saltem per litteras*, namque, sicut responsum est, Superior qui non potest nisi per telegraphum vel per telephonum adiri, censetur adiri non posse. « Dummodo nullum praeiudicium aliorum iuribus inferatur ». Lex enim fundationis potest ita facta esse, ut mere exigat v. g. lauream ; ac potest verum ius, saltem praelationis, conferre iis qui doctores renuntiati sint. In posteriore casu, si laureatus, ceterum dignus, praebendam cupiat, ei non laureatus, vi praesentis facultatis, anteponi non potest.

Observes nullam dispensandi facultatem conces-

sam esse pro muneribus quae ex iure communi vel particulari gradum exigunt.

25. — *Usus* is fere erit, ut si urgeat praebendae collatio, et optanda sit nominatio cuiuspiam in quo gradus desideretur, Legatus pro dispensatione adeatur.

26. — *14. Concedendi, ad normam Const.* Officiorum et munerum, *facultatem retinendi ac legendi prohibitos libros et ephemerides, cum cautelis et sub limitationibus quae necessaria vel utilia in singulis casibus videbuntur, et in usu penes S. Officium sunt.*

Plenior quam quae Ordinariis, ex communi saltem iure c. 1402, § 1 competit, facultas fit legatis Apostolicis permittendi ut libri et ephemerides prohibita retineantur et legantur. Ordinarii enim non possunt nisi in casu urgenti et de singulis libris facultatem concedere. Pluribus tamen a S. Officio potestas ampliatur.

Facultas ad normam *C. Officiorum et munerum* concedenda est. Norma ista capite 9 art. 26 praefatae Constitutionis continetur, atque haec duo complectitur: 1. nisi expresse dicatur, facultas ad prohibita ab Ordinario non extenditur; 2. qui licentiam obtinuerunt legendi libros prohibitos gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi ut ad aliorum manus non perveniant. Ambo puncta urgentur canone 1403. Quare quis mirari possit cur ad antiquatam Constitutionem potius quam ad vigentem Codicem remittamur.

Imponendae praeterea sunt cautelae et limitationes necessariae et opportunae, et quae in usu sunt penes S. C. S. Officii. Proinde postulabitur pro clericis et religiosis commendatio Ordinarii vel Superioris; pro laicis, commendatio Confessarii; qualitas qua ipsa ratio petitionis explicatur subiungenda erit; et, salva rarissima exceptione, libri ex professo obsceni facultate excludentur.

Ne mireris Confessarii commendationem postulari Haec enim non immediate S. Officio sed paenitenti traditur. Qui paenitens, dum pro re conscientiam attinente, iudicium confessarii exquirit, simul implicite permittit usum scientiae ex confessione, qualis ad iudicandum postulatur.

27. — *Usus* frequentior vel rarior erit prout ipse Ordinarius loci caret vel instruitur maiore facultate quam quae in Codice ipsi conceditur.

28. — *15. Commutandi aut dispensandi, consideratis causis, omnia vota simplicia private emissa, etiam Apostolicae Sedi reservata, exceptis votis in quibus agitur de tertii praeiudicio.*

Facultate ista potest Legatus Apostolicus operi promisso per votum, aliud opus facilioris aut utilioris exsecutionis sufficere; vel votum sine alio onere imposito relaxare. Si aliud opus sufficit, votum commutat; si nullum onus substituit, dispensat.

Consideratis causis, quae semper iustae requiruntur, alterutrum faciet. Causae huc redeunt, praeter commune Ecclesiae vel rei publicae aut familiae bonum, maior ipsius voventis profectus, periculum transgressionis, magna exsecutionis difficultas, magni scrupuli in exsecutione, imperfectio actus qui satis inconsiderate effectus sit (Cf. *Epitome* II, n. 644).

Potestas ad vota etiam Apostolicae Sedi reservata, quale est votum perpetuae castitatis quod quis absolute et post completum 18 aetatis annum emiserit (c. 1309), extenditur.

Facultate autem excipiuntur: *a*) vota non private emissa. Vota enim publica seu quae in receptione ordinis sacri vel in quavis approbata religione emissa sunt, subsunt peculiari regimini. (Cf. *Epitome*, II, n. 660). In textu dicitur « omnia vota simplicia private emissa », quia omnia vota sollemnia sunt publica, ita ut

divisio in vota privata et publica, propria sit votorum simplicium.

b) vota in quibus de tertii praeiudicio agitur. Praeiudicium istud intervenit in votis quae a tertio acceptata sunt et in eius utilitatem principaliter sunt facta. (Cf. *Epitome* II, n. 644).

29. — *Usus*. Ordinariis, ex iure communi, nulla potestas competit in vota reservata (c. 1313). Verum multorum Ordinariorum potestas ampliatur, ita ut ipse recursus ad Legatum Apostolicum non sit necessarius.

30. — *16. Dispensandi ex iusta causa a quovis iuramento, dummodo tertii praeiudicium non adsit*. Facultas simpliciter dispensandi hoc numero conceditur. Quamvis, v. g. in c. 1320, sermo quoque fiat de iuramenti *commutatione*, stricte tamen loquendo, iuramentum ipsum non commutatur. Dum enim votum est formalis promissio, iuramentum, etiam quod promissorium dicitur, conexam promissionem mere confirmat. Quare, potius quam commutetur, transfertur ad aliud obiectum seu promissionem.

Quia autem, in hac re, minor potestas maiore continetur, haec latius dicta commutatio facultate Legati minime excluditur.

Iusta profecto requiritur causa, qualis pro votis sufficiens videtur.

Legatus, vi verborum, a quovis iuramento dispensare potest. Non ergo excipiuntur hic iuramenta publice emissa, quatenus loco votorum sunt in societatibus quae religiones imitantur. Tertii tamen praeiudicium abesse debet. Quod praeiudicium plerumque aderit in iuramentis promissoriis quibus quis ad societatem ligatur, nisi consensus Instituti accedat.

31. — *Usus*. Redeunt dicta de votis, nisi quod Ordinarii locorum carere videntur potestate relaxandi iuramenta publice emissa. Ex c. enim 1320, eadem,

non alia potestate fruuntur quam ea quam in vota habent.

32. — *17. Remittendi seu condonandi pro* foro conscientiae tantum, *delinquentibus pauperibus partem aliquam male ablatorom, aut retentorum, quando domini incerti sunt et casus occulti, ita tamen ut residuum, si quod adsit, vel aliqua summa vel pares, pro viribus taxanda, pauperibus loci distribuatur vel in pia opera eiusdem loci, si fieri possit, distribuatur.*

Quando domini non sunt incerti, ipsa S. Sedes nullam sibi facultatem vindicat condonandi bona non ecclesiastica. Hanc potestatem condonandi habet et exercet, cum bona sunt ecclesiastica vel domini sunt incerti.

Iam vero, si delinquentes sunt pauperes, in casibus occultis Legati permittere possunt ut pars remittatur, ea tamen lege, ut aliqua pars pauperibus loci distribuatur vel in pia opera impendatur, eiusdem loci, si fieri possit.

Usus. Non raro, propter istam facultatem, confessarius a S. Paenitentiaria adeunda dispensabitur; quod, in hoc causae genere, utilitatem affert permittendi ut de vi et condicionibus remissionis coram ipso Legato agatur.

33. — *18. Recipiendi aut delegandi in singulis casibus alium idoneum virum ecclesiasticum, ut recipiat denuntiationes de crimine sollicitationis, servatis in omnibus forma et tenore Instructionis quae a S. Officio danda erit.*

Ordinarii locorum extra Italiam denuntiationes istas per se vel per delegatum recipere causamque ipsam iudicare possunt.

Integrum tamen est fidelibus denuntiationem ad S. Officium mittere. Instructione tamen 1 dec. 1918, S. Officium monuit episcopos ut clero suo praecipiant, gravi poena transgressoribus constituta, ne ullam

prorsus denuntiationem per officium postale ad S. Officium mittant, sed eam clausam tradant Ordinario quisque suo. Episcopi vero, acceptis litteris quae Supremo Tribunali videantur destinatae, easdem alio involucro claudant, inscriptasque mittant Cardinali a Secretis Status Sanctitatis Suae qui, nulla interposita mora, eas, similiter integras, S. Officio transmittendas curabit.

Legatis hic conceditur mere facultas recipiendi denuntiationes. Acta dein ad S. Officium transferenda erunt. Quare sequenda dicitur Instructio S. Officii. Haec ad casus speciales accommodari poterit.

Solis Legatis qui sint episcopi facultas ista conceditur (Cfr. Animadversionem 2).

34. — *Usus.* Interdum peculiares causae, v. g. servandi secreti, obstabunt ne Ordinarius loci adeatur. Valde tunc utile erit ut Legatus Apostolicus adeatur et per eum, si casus sit, res S. Officio communicetur.

35. — *19. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates, indulgentias et indulta a S. Sede concessa, quae expiraverint quin tempestive postulatio pro rerum prorogatione ad S. Sedem missa fuerit, facta tamen obligatione statim recurrendi ad eandem S. Sedem pro gratia aut, si petitio iam facta fuerit, pro responsione obtinenda.*

Sane plures facultates, ex ipso tenore indulti, prorogantur iis qui, inconscio modo, iis utantur postquam tempus sit elapsum, vel numerus casuum concessus sit exhaustus. Per se tamen (c. 77) cessant elapso tempore. Pro solo foro interno regula generalis constituitur ut actus per inadvertentiam positus, validus sit (c. 207, § 2).

Hic, sine distinctione, committitur Legato Apostolico prorogatio ad breve tempus. Statim autem ad S. Sedem recurrendum est. Et quia fieri potest ut mora responsionis causa sit cur facultas ante renovationem

exspiraverit, duplex obiecto recursus ad S. Sedem praevidetur: pro gratia; pro responsione obtinenda.

Cum facultas infinite data sit, etiam casum complectitur eius qui neglegens vel distractus iam a longo tempore facultates renovare debuit.

36. — *Usus.* Facultate ista efficax remedium ei offertur qui, cessante bona fide, vel diuturna exspectatione deceptus, vel etiam propriae culpae paenitens, facultatibus pro sacro ministerio indigeat.

CAPUT. II. FACULTATES CIRCA INDULGENTIAS

37. — **Observationes praeviae.** *a*) Omnes huius capitis facultates propriae sunt Legatorum qui sint episcopi.

b) Nisi quid peculiare dicendum occurrat, omittemus in hoc capite mentionem de *usu*. Usus enim facultatum communis est iste, ut indulgentias petantur et concedantur.

38. — *20. Concedendi, sexies in anno, occurrente aliqua sollemnitate, plenariam indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui, vere paenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis aliquo temporis spatio oraverint.*

Fidelibus vero qui in loco habitent, ubi impossibile vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, concedendi, ut praedictas indulgentias lucrari valeant, dummodo actuali sacramentorum susceptioni pium aliquod opus substituant, ac corde saltem contriti firmiter proponant admissa confiteri quam primum poterunt.

Facultas ista largiendi sexies in anno indulgentiam plenariam ita redacta est, ut etiam in dissitis missionum regionibus efficax esse queat. In locis enim ubi, iudice Legato, admodum difficile sit copiam confessarii habere, praescriptae confessioni et communioni

Legatus pium aliquod opus substituere potest, dummodo fideles, corde saltem contriti, firmiter proponant admissa confiteri quam primum poterunt.

Observes condicionem non addi: « dummodo postea confiteantur »: nulli condicioni futurae subordinata est consecutio indulgentiae, sed sufficit firmum propositum confessionis. Quia ad effectum indulgentiarum (saltem quas quis pro se acquirere velit) status gratiae tunc saltem requiritur, quando ultimum opus perficitur, iis qui letale peccatum admiserint opus est contritione perfecta.

Debentne autem propositum confessionis habere qui nullius culpae gravis sunt rei? Cum propositum istud videatur confessioni surrogari, et, ad indulgentias consequendas, confessio etiam iis praescribatur qui immunes sunt a peccato gravi (salvis privilegiis eorum qui fere cotidie communicant) necessitas universalis istius propositi potius affirmanda videtur.

Sollemnitas quae occurrere debet est aliqua festiva celebratio cui aliquid sacrum coniunctum sit: v. g. dies qua pro re publica gratiae Deo aguntur.

Legatus sexies concedere potest indulgentiam ab omnibus fidelibus in territorio Legati lucrandam. Sed non possit ultra sexies indulgentiam istam concedere, etiam si ad partem tantum sui territorii fuerit circumscripta.

39. — *21. Impertiendi ter in anno et non in eodem loco, diebus a se eligendis, benedictionem papalem iuxta formulam typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere paenitentes, confessi et sacra Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro s. Fidei propagatione et S. R. Ecclesiae exaltatione oraverint.*

Ter in anno, iuxta formulam typis impressam, benedictionem papalem Legatus impertire potest. Dies

et loca ab ipso eligi possunt, ita tamen ut alius locus pro alia benedictione eligatur.

Indulgentia plenaria adiungitur, ut semper adiuncta censetur, quando benedictio papalis aliquo ritu confertur. (Cf. *Epitome* II, 209.)

Observes praescriptas preces quae adiungendae sunt non debere fundi ad omnes intentiones S. Pontificis, sed orandum esse pro Fidei propagatione et exaltatione S. Romanae Ecclesiae: ad quos duos fines, mens S. Pontificis dirigitur.

40. — *22. Concedendi pariter, non tamen in perpetuum sed ad tempus sibi benevisum, omnibus Christifidelibus contritis et confessis ac sacra Communione refectis, Indulgentiam plenariam in oratione 40 Horarum, quoties in anno a respectivis locorum Ordinariis indicatur, etiamsi, ex rationabili causa, in aliquibus non servetur* Instructio Clementina.

Vi istius facultatis, potest Legatus Apostolicus ad tempus, additis consuetis condicionibus, plenariam indulgentiam concedere quoties, in anno, oratio XL Horarum a respectivo loci Ordinario indicetur; ac proin etiam cotidie, si, ut in pluribus dioecesibus, oratio XL Horarum cotidiè celebratur.

Concessio tamen non potest fieri nisi ad tempus; et, ex Animadversione in fine, Legatus cavere debet ne ultra quinque vel decem annos concessionem ad tempus sibi permissam, proroget.

Indulgentia lucranda dicitur in oratione XL Horarum: ergo ab iis solis qui eam participent.

CLEMENS XI celebrem de oratione XL Horarum instructionem confecit quae, in IV volumine Actorum authenticorum S. R. C. reperitur.

Instructio ista per se servanda est. In pluribus tamen locis, v. g. in Belgio, orationi XL Horarum surrogatur quae dicitur adoratio perpetua per unum diem. Etiam huic adorationi, quae XL Horarum locum tenet,

Legatus potest ad tempus indulgentiam plenariam annectere.

41. — *23. Item concedendi plenariam Indulgentiam primo conversis ab haeresi et ad sinum catholicae Ecclesiae redeuntibus, in actu eorum conversionis.*

« Primo conversi » dicuntur qui numquam, conscio saltem modo, in gremio Ecclesiae catholicae visibiliter fuerunt, ita ut nunc primum ad veram Christi fidem conversi sint. *Redire* tamen dicuntur ad sinum Ecclesiae catholicae, quatenus coniuncti considerantur cum antenatis seu maioribus qui a vera fide defecerunt.

His, *in actu conversionis,* seu quando formaliter cum Ecclesia reconciliantur vel in eam recipiuntur (attenta aetate, haeresim abiurare debent vel non), Legatus Apostolicus indulgentiam plenariam concedere potest.

42. — *24. Concedendi in casibus particularibus vel ad tempus indulgentiam plenariam occasione ss. missionum, servatis consuetis regulis.*

Sacrae missiones hic intelleguntur publica exercitia spiritualia quae ad renovandum fervorem christianum et convertendos peccatores directe instituuntur. Ex c. 1349, Ordinarii locorum curare debent ut saltem decimo quoque anno celebrentur.

Occasione istarum missionum, Legati Apostolici indulgentiam plenariam concedere possunt.

Facultas tamen iterum ipsis ita facta est ut nequeant perpetuam indulgentiam largiri. Duplici autem ratione perpetuitas vitatur : vel concessione in casibus particularibus : pro tali missione ; vel concessione generali sed ad tempus (non ultra decem annos) facta. Licet ergo Legato Apostolico per decem annos concedere ut in sua dicione fideles indulgentiam plenariam occasione sacrarum missionum lucrentur.

Servandae dicuntur consuetae regulae ; i. e, in

largienda ista indulgentia, praeter orationem ad mentem S. Pontificis, quaedam assiduitas in assistendo functionibus (v. g. quinquies) exigenda erit.

43. — *25. Declarandi privilegiatum quotidianum in qualibet ecclesia territorii suae iurisdictionis unum altare ad tramitem can. 916.*

Altare *privilegiatum*, quod, sine addito, intellegendum est de privilegio pro solis defunctis, copiam facit celebranti ut applicatione missae indulgentiam plenariam, per modum suffragii, pro defuncto lucretur: pro defuncto, inquam, i. e. pro illo defuncto vel pro uno e defunctis pro quibus celebret (Cf. *Epitome*, II, n. 211). Estque *cotidianum*, quando singulis diebus omnibus celebrantibus istam copiam facit; *perpetum* vero, si semel pro semper istud privilegium possidet.

Iam vero, vi praesentis facultatis, Legatus Apostolicus potest, in qualibet ecclesia, declarare unum altare privilegiatum, cotidianum perpetuum.

Verum, quia concessio facienda est ad tramitem c. 916, condicio viget: « dummodo aliud non habeatur ».

Praeterea, quamvis in genere, ex c. 1191, § 1 « oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur » hic, propter c. 916, sola oratoria subsidiaria ecclesiae parochialis ecclesiis assimilantur.

44. — *Usus.* Cum pro suis ecclesiis idem possint episcopi, abbates et praelati *nullius*, Vicarii Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, facultas Legati cum plurium facultate plerumque concurrit. Solus cusus ecclesiae pertinentis ad religionem laicalem exemptam a nobis indicari posse videtur in quo, pro altari privilegiato constituendo vel ad S. Sedem vel ad Legatum Apostolicum recurrendum sit. Namque ecclesias religiosorum non exemptorum, Ordinarius tamquam suas considerare potest.

45. — *26. Concedendi bis centum dies de vera indulgentia omnibus praesentibus in sacris functionibus a se peractis, durante munere.*

Facultate ista Legati Apostolici privilegium Cardinalium aliquo modo participant (Cf. c. 239, § 1,24°): hi enim etiam in locis quae non sunt suae iurisdictionis, concedere possunt indulgentiam 200 dierum a praesentibus solum, singulis vicibus, lucrandam.

Hic tamen requiritur ut lucraturi indulgentiam praesentes fuerint sacrae functioni a Legato peractae. Facultas durante munere tantum possidetur. Legatus, etiam charactere episcopali ornatus, non potest indulgentiam 50 dierum concedere, cum hoc privilegium proprium sit episcoporum dioecesanorum.

Verba « de vera indulgentia » mere imitantur unam ex formulis quae olim usurpabantur ad indulgentiam indicandam.

46. — *27. Erigendi sacras Stationes Viae Crucis cum applicatione indulgentiarum, et pia sodalitia Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum; cum potestate communicandi huiusmodi facultatem ecclesiasticis viris pro suo prudenti arbitrio; sub lege tamen et conditione ut haec facultas non exerceatur ubi coenobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione eiusmodi privilegiis gaudent.*

Item ecclesiasticis viris facultatem concedendi sub eadem lege et conditione benedicendi et imponendi scapularia praedictarum sodalitatum.

De hac facultate haec pauca notanda veniunt.

Prorsus extraordinaria apparet facultas erigendi per se vel per alios ecclesiasticos viros etiam sodalicia SS. Rosarii, cum hae erectiones ita reserventur Magistro Generali Ordinis Praedicatorum ut ab ipsis facultatibus S. C. de Propaganda Fide excipiatur (Cf. decl. S. C. S. Officii 8-10 maii 1901, apud BERINGER STEINEN, *Die Ablässe*, II, n. 53).

Sic in novissimo supplemento facultatum S. C. de Propaganda Fide potestas communicatur: « Erigendi illas etiam Confraternitates a S. Sede approbatas quarum instituendarum ius Apostolico ex privilegio aliis reservatum est (c. 686, § 2) una excepta Confraternitate SS. Rosarii ».

Legatus potest quoque concedere facultatem benedicendi scapularia, qua facultate benedictio numismatum quae sint pro scapularibus, implicite continetur. Verum nihil additur de benedictione coronarum et Rosarii.

Communis additur condicio ne ibi, i. e. in loco, adsint coenobia religiosorum qui ex apostolico privilegio hanc erectionem et scapularium impositionem sibi vindicare possunt.

47. — 28. *Concedendi ut indulgentiae de quibus in praecedentibus articulis, applicabiles etiam sint per modum suffragii animabus in Purgatorio degentibus.*

Facultate ista derogatur canoni 913, 2°, qui inferioribus S. Pontifice facultatem negat concedendi indulgentias defunctis applicabiles.

Observes applicationem istam sine expressa Legati Apostolici voluntate non haberi. Indulgentiae enim non dicuntur ipso facto applicabiles; sed potestas fit Legato concedendi ut per modum suffragii indulgentiae praecedentes prosint animabus in Purgatorio degentibus.

Continuabitur.

ANNOTATIONES

ad usum episcoporum et aliorum Superiorum missionum

Gratias quam plurimas agimus Rev.mo Patri GARNIER, *procuratoris generalis Parisiensis Societatis missionum ad exteros, qui, votis nostris obsecundans, lectoribus huius ephemeridis communem facere voluit lucubrationem quam magna cura conscripsit ut in Apostolico suo munere explendo Superiores Societatis iuvaret. Annotationes istas, opera alius socii eiusdem Societatis latine conversas, hoc loco, paucis demptis quae iam in his Periodicis proposita erant, fere ex integro referimus.*

1. — **Electio, Consecratio.** — Qui nuntium accepit promotionis suae ad episcopatum debet, ut fert *Ceremoniale Episcoporum*, quam primum ad Summum Pontificem et, si dioecesis ad regionem missionum pertinet, ad S. Congr. de Prop. Fide, a qua electus est, litteras mittere in quibus obsequia sua praestabit, exhibebitque quantum existimet excelsam dignitatem sibi collatam. Si vero ipsi videatur unam epistolam sufficere, eam saltem mittat ad E.mum Cardinalem Prafectum S. Cong. de Prop. F. et dum ipsi gratum animum aperit, eum roget etiam ut velit suae gratitudinis sensus exprimere penes augustam Personam Summi Pontificis.

Postea debet electus propriae consecrationi providere: etenim promoti non impediti debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, consecrationem suscipere. Iamvero hae litterae generatim Roma proficiscuntur uno mense cum dimidio circiter post nominationem, interdum serius. Praeterea cerimonia consecrationis fieri debet vel die dominica, vel festo principali alicuius Apostoli, i. e die natalitio; ideoque excludenda sunt festa secundaria Apostolorum, ut Conversionis S.ti Pauli, Cathedrae S.ti Petri etc... et etiam

festa S.ti Lucae, Marci, Barnabae. Si ergo praevideatur hac occasione aliquod indultum esse petendum, cito fiat recursus ad Curiam Romanam. Huiusmodi indultum sat facile conceditur, quando dies propositus est dies festus; secus difficilius obtinebitur.

2. — De Facultatibus.

a) Excepto casu in quo iam ante suam electionem, administrationem Missionis obtinebat, electus nullatenus in regimen Missionis se ingerere potest, nisi receptas litteras apostolicas capitulo cathedrali vel consultoribus dioecesanis (quorum coetus vices capituli cathedralis supplet) ostendat (cf. c. 427).

b) Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis seu nominationis, neo-episcopus privilegiis fruitur quae c. 349 § 1 indicantur.

c) Capta autem muneris possessione, ergo ante ipsam consecrationem, praeter privilegia c. 349 § 2, praedecessoris sui facultatis participat, iis exceptis quae huic « intuitu personae, concessae sint », v. g. ob infirmitatem vel peculiaria merita; consequitur etiam facultates sede vacante acquisitas. Ius ipsi est ergo iis utendi usque ad earum expirationem: tunc tantum eorum renovationem curandam habet. Patet autem, episcopum electum ante consecrationem suam non posse ea munera gerere quae requirunt potestatem ordinis episcopalis, v. g. ordines maiores conferre, sacra olea benedicere. Exceptio datur tamen pro iis muneribus quae, ad tenorem foliorum facultatum, ipse simplicibus sacerdotibus delegare potest, ut est v. g. (pro uno vel altero sacerdote) ius consecrandi calices (n. 31 3ae formulae mai. Cfr. *Periodica* XI p. 124) vel etiam pro his facultatibus quae ipsi qua Vicario vel Praefecto apostolico a Codice conceduntur (Cf. can. 294 § 2).

Attamen ad has ultimas exercendas quod attinet, magis congruum videtur ut Vicarius Apostolicus, titulo episcopali ornatus, exspectet consecrationem

suam. Uteretur etenim iure quo carent ipsi episcopi residentiales in aliis locis missionum.

Haud inutile est hic notare, S. Congregationem de P. F. initio anni 1920, ad omnes Ordinarios missionum nova folia facultatum misisse, per decem annos valitura, eodemque tempore abrogasse omnes alias iisdem Ordinariis antea ab ipsa concessas.

Ad sensum huius decreti, illa tantummodo ut valida habenda sunt indulta quae post 1am diem ian. 1920 concessa sunt; anteriora vero ipso facto nulla sunt. Bene animadvertendum est, sermonem hic esse dumtaxat de indultis a Propaganda concessis, nam nullatenus praedicto decreto infirmantur indulta ex alio fonte orta v. g. a *S. Cong. Rituum* vel ab alia Cong. Romana; quae indulta ergo integrum valorem retinent etsi anteriora 1 ian. 1920 sint. Item prorsus valent, quamvis paulo ante pradictum tempus concessa sint, ultima decreta Congregationis de Prop. F. quae dies ieiunii et abstinentiae stabiliunt. Ceterum haec potius consideranda sunt ut leges generales missionis quam ut simplices facultates.

Praeter facultates quarum elenchus in foliis a S. Sede acceptis prostat, Superiores missionum omnes facultates, Ordinariis a Codice concessas participant. (Cf. praeter normas generales in can. 196 et seq. contentas in Codicis Indice sub rubrica « Ordinarii » incipiendo a verbo « Archivum ».) Habent etiam iura et facultates episcoporum residentialium (Cf. can. 335, 336, 337, 294 ad 298; 308, 916, 1402 etc.) Tandem gaudent quibusdam privilegiis sibi, qua episcopis, propriis. (Cf. can. 349, 1401, 2227 § 2).

3. — De iuramentis Episcopi electi.

Simul cum litteris apostolicis generatim S. Cong. ad neo-episcopum mittit varias formulas iuramentorum quae edere debet; scilicet 1) professionis fidei Pii IV a Pio IX auctae, cui annectitnr (donec aliter caveatur) iusiurandum contra Modernismum a Pio X impositum; 2) iurisiurandi fidelitatis erga Sanctam Sedem, quod invenitur in *Pontificali* in initio caerimoniae con-

secrationis, mutatis mutandis. Haec iuramenta emittenda sunt publice coram testibus, in manibus Episcopi ab Apostolica Sede ad hoc delegati. In ipsis litteris apostolicis designatur delegatus, qui, ante aliquot annos, erat ipse Episcopus consecrator, et ideo persaepe iuramenta ad diem consecrationis differebantur. Primum emittebatur ante; alterum vero intra caerimoniam; sed nuperrimae litterae nominationis sinunt neo episcopum ut adeat quemlibet Episcopum in communione cum Romano Pontefice. - Favente hac concessione, electus citius suas obligationes explere poterit, quod revera optabile est, ut magis desiderio Ecclesiae conforme, praesertim quando electus immediate regimen missionis assumpturus est.

Romae Episcopus electus edit haec iuramenta coram aliqua Congregatione et quibusdem Cardinalibus, ante diem consecrationis. Pariter ergo in locis missionum, quam primum, post acceptas litteras, emitti poterunt, nec tunc in die consecrationis repeti debebunt. Scriptum praestitorum iuramentorum documentum a neo-electo et ab Episcopo delegato subscriptum et utriusque sigillo munitum Romam mittendum est intra semestre.

Episcopi Indorum praeterea praestare pergunt iuramentum de ritibus Malabaricis (Cfr. Collect. p. 823) « in manibus Episcoporum vel ipsomet die quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri sunt fidei professionem vel in actu eorum consecrationis » (Bulla Clementis XI). Erit quoque subsignandum ac mittendum ad *S. Cong. de Prop. Fide*. Ex ipso tenore formulae, eruitur huiusmodi iuramentum post alia emittendum esse.

4. — De Stemmatibus. Stemmatibus superponitur crux, non vero corona nobilitatis. Pileo viridi coloris annectuntur lemnisci cum flocculis sex, tribus hinc, tribus inde pendentibus: quadruplices lemnisci et crux cum duplici brachio transversa, archiepiscopis reservantur.

Quamvis mitra et baculus potius abbatiarum et abbatum sint insignia, usus tamen est sat communiter receptus ut Episcopi quoque ea in stemmate ponant. Numquam autem praetermittenda est *crux*, quae proprie pertinet ad stemma episcopale.

Sedulo vitanda est, quantum fieri potest, insertio in stemma sacrarum imaginum, quia res interdum minus decet quando v. g. stemma imprimitur pulvinaribus, tapetibus et sic porro.

Coadiutores, cum plerumque personae Episcopi, non vero sedi episcopali addicti sint, ne saltem in proprio sigillo et actibus publicis se nominent coadiutores talis dioecesis, talis missionis. Dicendum est; coadiutor Episcopi talis loci, vel Vicarii apostolici talis missionis.

5. — De vestibus et usibus liturgicis.

a) Romae, habitus episcopalis pro omni visitatione, etiam Summi Pontificis, adhibendus, est sequens: vestis talaris nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto rubri coloris; anulus et crux pectoralis; caligae, zona et cappa romana violacei coloris - In caerimoniis, supra rochettum ponitur mantelletum violaceum, caputque operitur biretto violaceo, quod flocculo eiusdem coloris ornatur. Praeterea, si assistere debet functionibus sollemnioribus coram Pontifice, utitur mitra alba ex lino.

Violaceum quod Romae usurpatur numquam illud est quod vulgo dicitur violaceum subceruleum.

b) « *Mozetta* » generatim non induitur nisi in locis propriae iurisdictionis; nec pileolum violaceum adhibetur coram Summo Pontifice; semper caput aperitur coram SS. Sacramento extra pontificalia, quotiens fit genuflexio, immo simplex inclinatio.

c) *Thronus* proprius quoque cum baldachino concedi potest alieno Episcopo, non vero proprio coadiutori. Ius habet Episcopus etiam ante consecrationem ubique benedicendi populo more Episcoporum, sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus (Cf. can. 349 et 239, 12). Sed praesente Superiore in hierarchia, huiusmodi benedictionibus abstitinebit eique cedet hoc ius.

6. — De relationibus cum S.ta Sede Congregationibusque Romanis.

a) Usus solummodo fit *chartae* maioris 28 × 21 circiter centimetrorum, quae non sit translucida. Duplici plicatura reducitur, 1ª secundum longitudinem, altera secundum latitudinem, et clauditur in involucro pro quo vitanda est charta nimis subtilis vel nimis lata. Involucri congrua dimensio est 15 × 11 circiter centimetrorum.

b) *Scriptio* potest esse vel ordinaria seu manu confecta vel etiam, adhibita machina. Semper atramentum nigrum praeferendum est. Si autem de actibus quae causis beatificationum inserviunt agitur, mechanica scriptio stricte prohibetur, nec aliud atramentum praeter nigrum toleraretur. In hoc casu charta sit omnino fortis ac stabilis.

c) Quamvis *sermo latinus* expolitus sed sine artificio elegans requiratur, simplices litterae tamen gallica lingua semper scribi possunt.

d) In epistolis ad aliquem Cardinalem sic incipiendum est: *Eminentissime Domine* seu *Princeps*; aliquando vero, si agatur de Card. Praef. Prop. Fid. praesertim cum de gratiis agendis vel de rebus magis intimis sermo sit, decenter hoc modo ponetur: « *Eminentissime Domine et Pater* ». In fine consuetis formulis utendum est, ex. gratia: « Cum summa devotione, Sacram Vestram Purpuram deosculans, me profiteor et obtestor, Eminentiae Vestrae Rev.ssimae in X.to addictissimum » - In litteris vitanda est formula finalis: « *Et Deus* » quae usurpatur tantummodo in publicis petitionibus quae, generatim latino sermone confectae, semperque ad Summum Pontificem directae « Beatissime Pater », sic terminantur « *Et Deus* ».

Ceterum, en formula generalis huiusmodi petitionum:

Beatissime Pater. - N..... (cognomen, nomen) Episcopus titularis N. Vicarius apostolicus N..... ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit..... petit..... (hic breviter exprimitur petitionis obiectum cum motivis quibus fulcitur).

Motivorum expositio in petitionibus minoris momenti v. g. facultatis numismata benedicendi, omitti potest, nam tunc facile nota supponuntur. Si agatur de alicuius indulti prorogatione, tempus indicetur prioris concessionis addito numero commentarii (protocollo). Tandem, positis vocabulis: « *Et Deus* », subsignetur supplex libellus, sigillumque imprimatur, nihil plus. (Per se tamen nulla subscriplio necessaria est et saepe in libellis supplicibus omittitur.)

e) Si vero agetur de petitione sat implicata, difficilioris fusiorisque explicationis (quod raro contingit), fortasse melius erit magisque proficuum, loco supplicis libelli latini ad Sum. Pontificem directi, simplici epistola haec omnia exponere Cardinali Praefecto Prop. F. Huiusmodi litterae ad Cardinalem ab illo ipso cuius interest potius conficiendae sunt. Ad petitiones Summo Pontifici redactas quod attinet, Procurator generalis, Romae degens, eas poterit conficere, si id magis commodum videatur.

f) In eadem epistola ne plures res diversae tractentur, praesertim si singulae peculiare responsum exigant. Seiunctim ergo unumquodque negotium proponatur, et in responsis quae ad S. Cong. mitttentur sedulo memoretur quo numero in officio (protocollo) res inscripta sit.

g) Quidquid *Sac. Paenitentiariae* destinatur, a quolibet fideli aut sacerdote sive directe sive mediante Procuratore, semper vero clauso involucro, mitti potest. En inscriptio epistolae E.mo Card. Paenitentiario. Palazzo del Sant' Uffizio, via del S. Uffizio, Roma.

Si opera Procuratoris utaris, ei indicetur quo responsio dirigenda sit ; eadem indicatio Sac. Paenitentiariae, si immediate ad eam fit recursus, danda erit. Cum vero in his litteris plerumque de commissis culpis, vel de censuris contractis agatur, reticenda sunt nomina reorum. Usurpentur ergo, si placuerit, consueta nomina Titii, Petri, Caiae, Annae.

Sacrae Paenitentiariae responsum duplici involucro continetur ; interius vero aperiri *per se* non potest nisi ab illo ad quem dirigitur, id est ab ipso confessario personae cuius casus agitur, et *intra tribunal paenitentiae* tantum, quando clausula ista involucro inscribitur.

h) *Exeunte* unoquoque *anno*, ad *S. Cong. de Pr. Fide* mittenda est annua relatio missionis, ad normam catalogi *ad hoc* a S. Cong. anno 1922 traditi confecta. Potest quis, prout libuerit, iterum hanc formulam typis imprimere, quando exemplaria e Roma accepta exhausta sint.

Haud inutiliter huic relationi addetur epistola pro Card. Praefecto, in qua latius exponentur necessitates missionis, vel aliquod factum memorabile, si quod sit, etc...

i) Singulis quinquenniis, in anno a S. C. fixo i. e. 1925 - 1930, Superiores Missionum relationem Summo Pontifici facere debent super statu missionis sibi commissae, secundum formulam a S. Cong. de Prop. Fide datam anno 1922 (1): quae formula ceterum ad omnes Ordinarios missionum missa est.

Illa relatio quinquennalis subsignetur, apposita die, ab Episcopo et uno saltem e Consiliariis missionis. Si tamen annus relationis ex toto vel ex parte inciderit in primum biennium ab inito missionis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest (c. 340 § 3). Prima relatio quinquennalis quae secundum novam formulam fiet debet esse prorsus completa, i. e. respondendum est omnibus omnino quaesitis, nullo excepto, in formula propositis. In sequentibus vero relationibus, nisi aliter ab ipsa S. Cong. cautum sit, pro responsionibus quae identice ac prius repetendae essent, licet simpliciter remittere ad anteriorem relationem. Similiter cuilibet novo Episcopo Superiori alicuius missionis erit prima vice ex integro omnibus quaesitis respondendum.

k) Singulis decenniis, eo anno quo relationem exhibere debent, tenentur Episcopi Superiores missionum sacra limina visitare. Si ergo nec Episcopus nec coadiutor hoc anno Urbem petere queunt, dum relationem mittunt, epistolam ad Card. Prop. F. scribere debebunt qua eum monebunt de nato impedimento; ideoque Episcopus Em. Card. certiorem reddat, se per Procuratorem Romae degentem hanc obbligationem expleturum esse.

Episcopi, in extraordinariis adiunctis laetitiae vel luctus S. Sedis vel Cong. Prop. Fid. quam partem in his sumant, scriptis litteris manifestare non omittent. Ipsa Sacra Congregatio non raro notitiam de tali eventu dare curabit.

(1) Cf. *Per.* XI, 86, vel A. A. S. 14, 287.

l) Hic notandum est Congregationes romanas partim vacare per ferias aestivas a die 20a aug. ad 10 octobris. Quamquam varia officia etiam per ferias debent pro negotiis urgentioribus patere ; sed ad 10 octobris remittuntur omnia minus urgentia negotia.

Ad summum, per hoc tempus scribi posset ad *S. Cong. de Pr. Fid.* et ad *Paenitentiariam* ; nam in relationibus cum aliis Congregationibus utendum est opera Procuratoris qui ipse Urbem per ferias aestivas deserere solet. Ad haec omnia ergo in mittendis litteris attendatur.

7. — De iuramentis exigendis.

1) *De subdiaconis.* Clerici qui, ut can.e 981 permittitur, ordinandi sunt subdiaconi *ad titulum* missionis, praemittere debent iuramentum cuius textus prostat in Collectan. 1173 § 15. Ante Codicem, sine indulto, hoc titulo uti non licebat ; Codex vero nunc facultatem generalem concedit. Praeter hoc iuramentum, quod proprium est eorum qui ad titulum missionis ordinandi sunt, aliud est a quibuslibet subdiaconis ante ordinationem praestandum: scilicet iuramentum Pii X contra modernismum cum professione fidei Pii IV. Emittendum est hoc iuramentum coram Episcopo eiusve delegato.

2) *De novis missionariis et clero indigena.* Missionarii recens in missionem advecti, immediate coram Superiore missionis eiusve delegato iuramentum super Ritus renovant ; neomystae indigenae item sine mora hoc iuramentum emittunt, sub cuius formula ab emittentibus subsignata, Episcopus testabitur praedictum iuramentum in suis manibus emissum esse; postea ipse eam subsignabit, sigilloque suo impresso ad S. C. *de Pr. F.* mittet, nisi S. C. ab hac obligatione tandem aliquando dispenset. Antequam novis missionariis tradant folia facultatum, Superiores Missionum, eos sacerdotesque cleri indigenae obligare debent ad renovationem coram episcopo eiusve delegato professionis fidei Pii IV cum iureiurando con-

tra modernismum; sed fides de isto iuramento non est Romam mittenda.

Missionarii qui ab una ad aliam transferuntur missionem non tenentur iterum iusiurandum super ritus praestare, sed saltem huius iuramenti antea emissi testimonium afferre debent.

3) *De sacerdotibus qui certis muneribus funguntur.*

Professionem fidei cum iuramento contra modernismum emittere debent, initio suscepti muneris, coram Ordinario vel eius delegato, Vicarii generales, Vic. delegati, Parochi, Rector, Professores sacrae theologiae, philosophiae, et iuris canonici; ac, donec aliter dicatur, praedicti professores, initio cuiuslibet anni scholastici iuramentum contra modernismum renovare debent; qua occasione professio fidei laudabiliter praemittitur. Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus idem facere tenentur assumpti ad officium consultorum dioecesanorum; Vicarius capitularis coram consultoribus a quibus electus est; provicarius vero et propraefectus coram Ordinario a quo nominati sunt. Praeterea Vicarii generales et Vicarii delegati, consultores diocesani, membra Consilii administrationis bonorum missionis; officiales Curiae episcopalis, uno verbo ii omnes ab Episcopo selecti qui variis officiis episcopalibus aliquo modo cooperari debent, fidelem sine acceptione personarum muneris sibi commissi adimpletionem iurare tenentur. (Cf. can. 363, 364, 425, 1520-1521), Istius iuramenti nulla formula praecipitur. En, sis, exemplum: *Ego N. N., tacto pectore, praemissa divina nominis invocatione; iuro et promitto fideliter adimplere ad mentem Sacrorum Canonum, sine ulla acceptione personarum munus mihi commissum, circa... Et ita promitto et iuro; sic me Deus adiuvet* ».

Clericus nondum sacerdotio auctus, loco « tacto pectore » dicet: *tactis Evangeliis,* et evangelia tan-

get. Vicarius capitularis, provicarii et propraefecti non tenentur hoc ultimum iuramentum praestare, quia munus ingrediuntur tantummodo mortuo Episcopo. Secus tamen, si provicarius simul esset Vicarius Delegatus; tunc etenim qua Vicarius Delegatus hoc iuramento teneretur.

8. — De quibusdam officiis ecclesiasticis.

Ius conferendi officia per se spetat unice ad Ordinarium loci, in proprio territorio (Cf. can. 152); et cuiuslibet officii provisio scripto consignari debet (c. 189). En quaedam indicationes de variis officiorum titularibus in locis missionum.

1) *Vicarius generalis* habetur in dioecesibus constitutis. Eius iura et officia recensentur in Codice (Can. 366 ad 377). In Codicis Indice Cf. verbum « *Vicarii generales* ».

Si expleto munere e. g. post mortem Episcopi, denuo ad idem munus a successore assumitur, obligatione iuramenta renovanda tenetur.

Durante numere, sed in territorio duntaxat propriae iurisdictionis, participat (ut fert Codex) privilegia honorifica Protonotarii apostolici titularis, i. e. supra vestem talarem nigram induere potest rochettum cum mantelleto nigri coloris, et in omnibus missis vel functionibus, quantulumcumque sollemnibus, palmatoria uti potest. Licet Episcopo plures nominare Vicarios generales, si opus est.

2) *Vicarius Delegatus*. — In locis missionum ubi hierarchia nondum stabilita est, Vicarius Delegatus munus gerit Vicarii generalis, ideoque dicta de Vicario generali valent omnino pro Vicario Delegato; exceptis tamen privilegiis honorificis, de quibus adhuc desideratur declaratio S. Sedis (Cf. *Act. Ap. Sed.* 1920, p. 12, vel *Periodica*, X, 199).

3) *Provicarius* vel *Propraefectus* quem Vicarius vel praefectus apostolicus nominare debent quando nul-

lus coadiutor cum futura successione a S. Sede ipsis datus est, regimen Vicariatus vel praefecturae assumit, deficiente Vicario vel Praefecto, eodem modo ac Vicarius capitularis. Unus tantum eligi potest, cui ceterum, suscepto munere, fas erit unum vel plures Vicarios Delegatos nominare. Iura Provicarii eadem sunt ac Vicarii capitularis, sed non participat eius privilegia honorifica, propter eandem rationem supra allatam de Vicariis Delegatis.

Vicarius Delegatus renuntiari potest Provicarius, sed haec duo officia separari quoque possunt.

4) *Vicarius capitularis* a consultoribus electus in locis ubi hierarchia est constituta, eadem qua potiebatur Episcopus defunctus potestate dioecesim regit, exceptis, ut patet, actibus qui ordinem episcopalem requirunt (v. g. clericos ordinare, sacra olea benedicere nequit. C. can. 430 et sq.). Aliae exceptiones in Codice dantur relate ad quasdam facultates, ut videre est in Indice Codicis sub verbo « *Vicarii capitularis* » « *quid nequit* » · V. g. confraternitates erigere nequit, nec potest peccata reservare, nec litteras dimissoriales concedere, nisi in casibus lege praevisis, etc. Sed tunc utiliter forsan recurreret ad Delegatum Apostolicum, si quis fuerit (1). Ceterum Vicarius capitularis calices et lapides altarium consecrare potest; quam facultatem, attentis novis formulis S. C. Prop. F. pro Episcopis uni vel alteri sacerdoti Ordinarius delegare potest.

Posset etiam Vicarius capitularis sacramentum *Confirmationis* ministrare, sed deficiente quolibet episcopo, et *in regione tantum a sua residentia dissita* (talis restrictio clare habetur expressa in textu praedictarum facultatum).

---

(1) *Cf. Per. XII, Commentarium de facultatibus Legatorum Apostolicorum.*

Participat aedem privilegia honorifica ac Vic. generalis.

5) *Pro aliis officiis,* Cf. regulas proprias cuiuslibet Societatis vel Religionis.

9. — *De causis matrimonialibus.*

Interdum instituendi sunt processus matrimoniales, qui generatim duplicis generis sunt.

1) Matrimonium est *ratum et non consummatum;* hic casus non raro occurrit et saepius tunc coactio ex parte parentum adhibita est vel consensus ficte datus est. Utcumque res se habeat, non consummatio demonstrari potest. Tunc melius erit matrimonium impugnare ex parte *non consummationis*, et simpliciter petere dispensationem *super matrimonio rato non consummato:* hac via planius breviusque ad optatum exitum pervenitur. Quo in casu, curatur ut alter coniugum in brevi epistola exponat factum, necessitatemque ostendat matrimonii solvendi, ac dispensationem a S. Sede postulet. Haec epistola aut eius transumptum Romam mittetur; atque Episcopus vel eius nomine Procurator petet facultatem inquisitionem inchoandi. Concesso indulto, tribunal secundum regulas canonicas constitutum, processum instruet, sed sententia ferenda abstinebit. Actus processus postea mittuntur ad S. C. de Prop. F. a qua ad S. C. de *Sacramentis* transmittentur. Quamvis officiales missionis de consummatione vel non consummatione matrimonii non iudicent, utile tament erit, praesertim in casibus implicatioribus, ut Episcopus vel iudex delegatus propriam mentem, additis motivis aperiat; immo id postulatur. Stricte loquendo, praedicta causae instructio fieri nequit ante obtentam S. Sedis facultatem (1); attamen si responsio S. Congregationis non possit sine

(1) Cf. *Regulae servandae in processibus super matrimonio rato et non consummato*, cap. I (A. A. S. XV (1923) 392): Iudex tamen causam instruere potest quando vel in processu de impotentia vel de nullitatis causa, dubium valde probabile de non secuta consummatione exoritur. Cf. ibidem, n. 3 et 4.

periculo per plures menses exspectari, facultatem praesumere facile licebit, ideoque ad ulteriora devenire.

Sed, in hoc casu, cum causa Romam mittatur, addatur quoque epistola in qua motiva cur sic actum sit tamquam excusationes afferantur.

2) Pro omnibus aliis casibus matrimonialibus Episcopus sine recursu ad Curiam Romanam causam instruere potest, immo debet in rigore iuris sententiam ferre de validitate aut invaliditate matrimonii propositi. Ad duplicem seriem causae referri possunt:

a) Vel agitur de his quos Can. 1990 memorat: et tunc processus summarius absque sollemnitate iuris sufficiet: Episcopus eiusve delegatus causam dirimet sine appellatione, et, defensore vincuii assentiente, causa erit finita. Vel agitur de aliis casibus in can. 1990 non contentis; tunc causa instruenda est, adhibitis omnibus sollemmitatibus iuridicis requisitis, et sententiam tribunal ferre debet.

Patet recursus ad tribunal superius, qui recursus necessarius est quando nullitas matrimonii pronuntiata est.

Deficiente alio tribunali secundae instantiae, quod saepius in missionibus evenit, instantia semper ad tribunal Romanum deferri potest.

Pro omnibus supradictis causis, utiliter consulentur *Codex I. C.*, Collect. n. 1652, *Decretum et Regulae* S. C. de disciplina Sacramentorum, 7 maii 1923 (A. A. S. XV, 389 ss.) et liber Excell. D.ni ELOY, cui titulus « *Causae matrimoniales* » in civitate Hongkong typis impressus. Acta redigentur sermone directo non indirecto, i. e. quaesita iudicum et testium responsa tradentur qualia sunt.

Testimonia semper sint subsignata, nec omittatur iuramentum testium, iudicum, notariorum, etc. Producantur quoque documenta veracitatem partium probantia. Si vero rationes essent *pro vel contra*, quae ab illis tantum plene capiuntur qui in locis missionum

vitam degunt, et quae iudicibus romanis difficulter perspecta forent, clare notentur et indicentur.

Dicendum est etiam utrum partes possint sumptus litis solvere, necne.

Tandem bene animadvertendum est non esse Romam mittendum ipsum exemplar originale processus, quod ceterum conficitur lingua quae in Italia ignoratur. Remanet illud exemplar penes curiam episcopalem et mittitur tantummodo volumen includens versionem exacte integreque transcriptam exemplaris originalis, documentorumque huic annexorum. In huiusmodi causis, tribunal collegiale per se requiritur (c. 2576). Quando ab hac necessitate dispensatur, saltem iudici adesse debet *defensor* vinculi, qui, sicut iudex, sacerdos sit, et praeterea unus notarius, qui clericus, in quantum fieri potest, sit. Hi tenentur assistere omnibus sessionibus.

10. — De Confraternitatibus.

Episcopus a S. C. de Prop. Fide recipit facultatum omnes confraternitates ab Ecclesia approbatas, (conf. Rosarii excepta) in sua missione instituendi, iisque communicandi indulgentias cuique earum proprias.

Ad instaurandam quandam confraternitatem, duo documenta requiruntur;

1) Epistola parochi vel missionarii, ad Episcopum proprium directa, in qua talis talisve confraternitatis erectio petitur, pro tali talive ecclesia sui districtus.

2) Responsum Episcopi hanc erectionem approbans.

Solius Episcopi vel quasi-Episcopi est (Cf. can. 686) exclusis Vicario generali, Provicario, Vicario capitulari vel Delegato, erigere confraternitates. Huiusmodi rescriptum episcopale sedulo conficiatur, et in eo breviter fiat confraternitatis encomium, memoretur eius utilitas pro fidelibus in praesentibus adiunctis, declareturque auctoritate episcopali talem confraternita-

tem in tali ecclesia instaurari, et parochum pro tempore, eius directorem renuntiari.

Si agatur de confraternitate Rosarii, Episcopus, nisi malit opera uti Delegati Apostolici, Romam scribet ad Magistrum generalem Fratrum Praedicatorum, ut velit Confraternitatem erigere et parochum directorem renuntiare. Romam itaque mittet parochi petitionem propriumque assensum additis sequentibus notitiis:

a) loci in quo erigenda est congregatio.

b) titularis ecclesiae et altaris huius ecclesiae Confraternitati destinati. Insuper addatur cognomen missionarii vel sacerdotis quem Magister Generalis Praedicatorum designandum habet ut ipsius nomine caerimoniae erectionis praesit.

Si vero, ut decet, veri nominis Confraternitatem instituere velit Episcopus, eidem statuta danda erunt. Poterunt vel ex toto vel ex parte adoptari statuta quae iam in vigore sunt in Confraternitatibus eiusdem nominis, mutatis mutandis. Episcopali subscriptioni horum statutorum praemittatur formula: « *Visum et approbatum* ». Idem faciendum erit pro ulterioribus mutationibus. (Cf. can. 689.)

Episcopus subsignabit quoque, si opus est, elenchum indulgentiarum Confraternitatis propriarum, aliquantisper tamen mutata praecedenti formula in sequentem: « *Visum et recognitum* ».

His praerequisitis absolutis, quadam ceremonia providendum est erectioni confraternitatis et installationi directoris.

Actus authenticus de hoc fiet, et, si agatur de conf. Rosarii a Magistro Generali erecta, huius actus transcriptio authentica (iuxta formulam a Dominicanis acceptam) Romam mittenda est. In rigore, solius Directoris est novos socios in aliquam confraternitatem cooptare, vel coronas aut insignia ei propria benedicere (Cf. can. 698). Hoc ius alii cedere nequit, nisi

ab ipsis constitutionibus organicis associationis delegatio permittatur. Solus Episcopus ex foliis facultatum hoc ius delegare potest. Quod ad Confrat. Rosarii, si Episcopus cupiat ut sint ex suis sacerdotibus qui aggregare, et indulgentias coronis annectere valeant, pro singulis facultas ad hoc a Generali Dominicanorum impetranda est; facultas prorsus personalis ad vitam conceditur et ubique valet.

11. — De « Viis Crucis ».

Ut valide erigatur via Crucis in quodam loco vel ecclesia, requiritur singulis vicibus permissio scripto consignata a Superioribus in hoc loco vel hac ecclesia iurisdictionem habentibus. Quotiescumque in sua missione via crucis erigenda erit, episcopus hoc rescriptum apta formula rediget, locum nominatim designando.

Parochus in ambitu sui districtus idem faciet, cum quidam ex suis vicariis viam crucis in aliqua ecclesia districtus benedicturus erit.

Praeterea, qui caerimoniae erectionis praeponitur, facultatem erectionis in scriptis habere curabit, quam ab episcopo recipiet, nisi in foliis facultatum sibi concessorum iam includatur. Ut patet, simul in eodem rescripto hae duae facultates ab Episcopo concedi possunt.

12. — De Praefectis Apostolicis non episcopis.

Hi, sed durante munere tantum, et in territorio propriae iurisdictionis, privilegiis insignibusque gaudent Protonotariorum de numero participantium (Cf. can. 308). Haec cf. *Per.* IX, p. (28) ss.

Semper vero iis inhibetur usus Throni pastoralis baculi ac cappae. Loco « Dominus vobiscum » numquam dicent « Pax vobis », trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent « Sit nomen Domini ». Appellari possunt : Excellentia, Monsignore, propriumque stemma habere valent, cui imponere poterunt pileum cum lemniscis ae flocculis 6, tribus

hinc, tribus inde pendentibus, rubri coloris, sine Cruce baculo et mitra; privilegio altaris portatilis et oratorio privato gaudent, in quo tamen SS. Sacramentum servare non poterunt sine peculiari indulto Cong. Prop. Fide. Rubrum a pronotariis adhibitum potius est, ut dicitur, rubinum.

Iura et officia Praefectorum Apostolicorum in cap. 8 Codicis numerantur (Cf. can. 293 et sq. Cf. etiam Indicem Codicis sub verbo Praefecti Apostolici).

Aliae vero facultates indicantur in foliis a S. Cong. missis; ceterum, exceptis facultatibus ordinem episcopalem requirentibus, ac privilegiis quae a Codice Episcopis reservantur: Praefecti iura participant Vicariorum apostolicorum. Sacra limina visitare non tenentur.

13. — De Delegatis apostolicis.

Cf. Scripta in hoc tomo *Per.* p. (69) ss.

14. — De alumnis Collegii Urbani.

Si quis seminarista Romam mittendus est ut philosophiae theologiaeve cursus in Collegio Urbano celebret, en quomodo agendum erit.

Imprimis propositio scribatur ad Card. Praef. de Prop. F.; recepta affirmativa responsione, elencho quaestionum typis impresso quem Card. mittet satisfaciendum erit. Praecipua quaesita referuntur ad: cognomen, aetatem, dotes candidati; an vocationis ecclesiasticae signa praebeat? quaenam et ubinam studia iam peregerit, et cum quonam exitu? Dicendum erit quoque de valetudine, de morbis quibus fortasse antea afflictus est; sitne vaccinatus annon; sitne a perito medico examinatus et quodnam iudicium is de eo tulerit; sintne candidati parentes mortui et ex quonam morbo?

Iis omnibus nuntiis acceptis, Em. Card. definitive pronuntiabit de admissione, et diligentiam commendabit ut alumnus tempestive mittatur ita ut initio anni scholastici, i. e. festo Omnium Sanctorum praesens adsit.

Sedulo ergo supputetur tempus ad haec omnia necessarium. Si tempus defuturum praevideatur, possint, in prima epistola ad Card. Praef. iam omnia nuntia dari.

Refert ut definiatur quisnam sumptus itineris ferre debeat. Regulariter a Missione ferendi sunt; de facto tamen S. Cong. Prop. F. valde liberalis est et haec impendia in se suscipit, praesertim (sed non exclusive) quando agitur de missionibus remotioribus. Utile itaque erit punctum istud in litteris ad Em.um scriptis attingere.

Studia per 7 annos protrahuntur; scilicet per 3 annos philosophiae vacatur et per 4 annos sacrae theologiae; attamen admittetur alumnus qui iam alibi philosophiae studuerit, immo qui cursum philosophicum iam antea ex integro absolverit. Per totam suam commorationem in Collegio Urbano, alumni a Propaganda aluntur; quosdam tamen parvi momenti sumptus ferendos habent, v. g. pro emptione quorundam librorum. Si propria pecunia destituti sint, Superioris Missionis erit eos adiuvare, sed Superior alumnos antequam Urbem petant utiliter consiliis instruet, ne congruam mensuram in expensis suis umquam excedant.

Alumnus secum afferre debebit testimonia de baptismo, de confirmatione et ordinibus iam susceptis; et etiam, in quantum fieri potest, testimonium medici a quo examinatus est; tandem notas quas in seminario hactenus obtinuerit. Liquet alumnum ita saltem linguam latinam callere debere ut cursum intellegere et sufficienter latino sermone uti possit. Urbem vero, studiis absolutis, linquunt, iam sacerdotio aucti.

15. — De operibus dictis « de Propagatione Fidei » et « S.ti Petri ».

Cum « *Propagatio Fidei* » et *Opera S. Petri* sedem Romae habeant in palatio S. Propagandae, de his liceat quaedam hic miscere.

Quas notitias summatim tantum damus, sine praeiudicio authenticorum complementorum in posterum tradendorum, vel etiam mutationum ulteriorum.

I. *De Prop. Fidei.* — Consilium generale huius

Operis constat, ut ferunt *Acta Ap. Sedis* anni 1922, membris quorum alii Romae alii extra Urbem degunt. Annualis conventus plenarius fit mense martio cuiuslibet anni; tunc statuuntur allocationes cuique missioni dandae. Episcopi debebunt ergo tempestive necessitates suas exponere petitionesque suas mittere ut Commissio quae ante sessionem martii de pecuniarum distributione deliberare debet,valeat sollicite eorum quaesita examinare.

Anno 1923, Consilium operis simpliciter unicuique Instituto attribuit globalem summam ab ipso Instituto, ut antea fiebat, partiendam inter missiones quarum curam habet. Sed in posterum aliter agetur. Ipsum enim Consilium (sic definitum est) statuet quaenam pecuniae summa cuilibet missioni competat, secundum notitias a singularum Missionum Superioribus traditas. Ideoque Episcopi caveant ut Consilium Prop. Fidei tempestive informetur, ne omnis distributionis sint expertes. Quamvis opus quadam autonomia gaudeat, seiunctamque administrationem habeat, semper tamen subiectum manet Cong. de P. F. quae tempore opportuno ad Episcopos mittet monita de nuntiis dandis, ac procedendi ratione.

His monitis standum erit. Sacra Cong. Consilio Generali acceptas informationes transmittet, additis propriis suis de necessitatibus Missionum observationibus; atque his notis instructum Consilium subsidia distribuet prout pecuniae vis id permiserit. In relationibus mittendis, utile erit notare statum Missionis non esse languidum vel tabescentem, sed e contrario varia opera, conversiones paganorum, seminaria, semper magis florere. Eo liberalior enim erit Propagatio Fidei pro missionibus, quo utiliora videbuntur subsidia iis concessa. Petitionis documenta, quantum fieri potest, Romam mittenda sunt mediante Superiore generali Instituti vel Procuratore generali.

Si interdum opus sit peculiaribus subsidiis praeter generalem, mense martio factam, partitionem, specialis petitio fieri posset.

Statuta enim Prop. Fidei, huiusmodi casus extraordinarios praevident, ac membra Consilii Romae degentia simul unoquoque fere mense conveniunt.

Litterae scribi possunt tum ad Secretarium S. Congr. de Prop. Fide, qui Consilio praeficitur, tum ad Secretarium generalem operis. Semper quoque licet ad S. C. de Prop. F. aut ad Cardinalem Praefectum recurrere.

Inscriptio litterarum sequens est: Piazza di Spagna 48 Roma (6).

II. *De Opere S.ti Petri pro institutione cleri indigenae.* — Opere isto « bursae » pro clericis in Seminariis missionum instituendis traduntur.

Si quaedam petendae videantur, hoc modo agendum erit:

1) Ad Secretarium generalem huius Operis mittatur candidati propositi photographia quae facile multiplicari possit; una sit pro quolibet candidato cuius nomina et missio ad quam pertinet photographicae imagini apponatur.

2) Huic photographiae annectatur schedula qua innotescant dicti alumni cognomen, nomen, aetas, missio, status studiorum, dotes intellectuales et morales, spes felicis successus: uno verbo omnia quae scitu grata vel utilia benefactori esse possint. Schedula ista quam brevissima sit. Utile erit ut epistola ad Secretarium generalem schedulam comitetur.

Si in posterum, beneficiarius « bursae » seminarium linquet, res, quaecumque sit causa discessus: mors, expulsio, promotio ad presbyteratum, semper notificanda erit.

Etiam alumni Seminariorum minorum opere admittuntur.

A beneficiariis alumnis vero postulatur ut pro benefactoribus a quibus fundatio constituta est, cotidie orent, ut singulis annis ad ipsos litteras mittant, sermone latino vel lingua quadam europaea. Epistola ista semper ad operis Secretarium, in Urbe immediate dirigetur.

Tandem sacerdotio aucti, intra mensem a recepta ordinatione, res missas et praeterea, semel in anno, per totam vitam, unam missam pro benefactoribus celebrare debebunt.

Praeter istas bursas de quibus locuti sumus et quae pluribus successive inservire possunt, opus admittit etiam benefactores qui, loco perpetuae fundatonis, malunt sumptus omnes suscipere unius seminaristae. Quo in casu, quotannis solvunt per totum tempus studiorum huius alumni summam quae generatim superat consuetum fundationum reditum. Qui huiusmodi largitione fruuntur, easdem obligationes quae supra dictae sunt contrahunt, et praeterea, mortuo benefactore, pro refrigerio animae eius quinque missas celebrare debebunt.

Denique rogantur Missiones ut velint huic operi favere, mittendo ex suis seminariis photographias, relationes quae, in operis ephemeridem insertae, seminaria benefactoribus praesentibus magis nota faciant, atque novis benefactoribus alliciendis aptae esse videantur. Sessio principalis Consilii Centralis Operis hodie mense februario habetur; sed omni anni tempore, scribi potest ad Secretarum Generalem *Palazzo di Propaganda.*

16. — De Opere S.tae Infantiae.

Pium istud opus suam sedem principalem Parisiis servat. Periodice Director generalis Operis ad unamquamque missionem mittit duo folia typis impressa ut quam exactissime compleantur, secundum indicationes ibi appositas, rationesque reddantur redi-

tuum et impensorum, et etiam boni spiritualis mediante Opere in missione obtenti. Supputationes omnes fiant secundum monetam gallicam, i. e. francum.

Iuvabit, quamvis non sit necesse, foliis supradictis addere fusiorem et magis particularem relationem de statu progressuque Operis, deque difficultatibus quae oboriuntur, etc...

Haec omnia ante 31 decembr. mittantur sive immediate ad Directorem generalem Operis sive mediante aliquo procuratore, si quis sit Parisiis, qui Consilio Centrali S.tae Infantiae necessitates miasionum exhibere valeat.

EUG. GARNIER, M. A.

DE CEREO PASCHALI

Responsum S. R. C. 13 apr. 1923, quod supra, p. 68, rettulimus, occasio fuit non nulla de cereo paschali scribendi.

1. De diebus et functionibus in quibus accendere oporteat cereum paschalem valde ieiunae sunt Rubricae Missalis; si excipias enim rubricam positam ad diem Ascensionis: « Dicto Evangelio, exstinguitur Cereus paschalis, nec ulterius accenditur, nisi in sabbato Pentecostes ad benedictionem Fontis », nihil de hac re in ipsis invenies; nec plus habet *Caerimoniale Episcoporum.*

2. Primam regulam suppeditat decr. 19 maii 1607, n. 235 ad 11: Cereus paschalis regulariter accenditur ad Missas et Vesperas sollemnes in tribus diebus Paschae, sabbato in albis et in diebus Dominicis usque ad Festum Ascensionis D. N. I. C., quo die, cantato Evangelio, exstinguitur ad Missam; et in aliis diebus et sollemnitatibus etiam sollemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo quod durante

tempore paschali accendatur, quae servanda esset ».

3. Regulam paululum diversam tradit *Memoriale rituum* a BENEDICTO XIII editum anno 1725: « Cereus paschalis remanens in suo candelabro accendetur in missis in omnibus Dominicis ac Festis Domini et Sanctorum de praecepto; et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini: quo dicto, Cereus exstinguitur, et completa Missa, removetur e candelabro, et servatur accendendus in vigilia Pentecostes ad benedictionem Fontis » (Tit. VI, c. II, § VII, n. 5).

4. Novissima tamen editio typica huius Memorialis iussu BENEDICTI XV edita anno 1920, pressius iterum decr. 1607 sequitur, nisi quod cereum accendere permittat in missis lectis quae sollemnium locum teneant: « Cereus paschalis remanens in suo candelabro, regulariter accendetur in missis et vesperis cum cantu (vel missis lectis, quae sollemnium locum teneant), tribus sollemnioribus diebus octavae Paschatis, sabbato in albis, in omnibus dominicis (et, si adsit consuetudo, etiam aliis diebus et sollemnitatibus) temporis paschalis, et usque ad evangelium inclusive diei Ascensionis Domini: quo dicto, cereus exstinguitur, et completa missa removetur e candelabro, et servatur accendendus in vigilia Pentecostes, sed tantum ad benedictionem Fontis ».

5. Ex his igitur sequitur cereum paschalem primario accendendum esse in functionibus sollemnibus *proprie liturgicis* (missa et vesperis) *temporis paschalis;* permittitur tamen, ubi adest consuetudo, ut in aliis functionibus sollemnibus *proprie liturgicis* quae infra hoc tempus celebrantur, item accendatur, nullo modo vero in functionibus *extraliturgicis*, et in specie, ex decreto 8 febr. 1879, n. 3479 ad 3, non licet toties accendere cereum paschalem, quoties, tempore paschali, datur benedictio Ss.mi Sacramenti cum ostensorio.

Ne tamen inde concludas rationem huius prohibitionis esse praecise expositionem Sanctissimi, quasi, exposito Sanctissimo, cereus paschalis numquam accendi possit: sed prohibetur in casu cereus accendi quia agitur de caerimonia extraliturgica. Si ergo, durante aliqua functione proprie liturgica, Sanctissimum exponatur, nihilominus cereus paschalis accendetur, immo, si immediate post functionem liturgicam sequatur benedictio cum Sanctissimo, cereus paschalis tamen retineri poterit accensus (decr. 1923).

IOS. PAUWELS, S. I.

De litteris " *Optime novit* „ circa ieiunium ante missam.

Vix a S. Officio missae sunt ad locorum Ordinarios litterae « Optime novit » quibus, propter causam publicam, in stricta lege ieiunii naturalis sacerdotibus celebraturis imposita, non nulla temperamenta nuntiabantur concedenda (Cf. *Per.* XII, p. 29-32), cum multae instantiae Romam missae sunt.

Nec, ut in his rebus accidere solet, defuere qui gravitatem verborum quibus, ad ipsam ieiunii legem confirmandam, S. Officium utebatur, praetereuntes, temerarias conclusiones ex iisdem litteris colligere coeperunt.

Sic, ut refert *Monitore Ecclesiastico* 1923, p. 306, fuit qui existimaret sacerdoti binanti qui, distractus ablutiones sumpsisset, iam per se licere ut nihilominus alterum sacrum celebraret.

Contrah, actenus S. Officium valde circumscripta ratione, pro sola binatione quae in loco dissito ab ecclesia parochiali ubi prius celebratum erat, peragenda sit, ac solum in gratiam sacerdotum qui curam animarum habeant, Ordinariis locorum habitualem facultatem concessit hac formula.

Suprema S. Congregatio S. Officii

Feria V, die...

SS.mus D. N. D. Pius, Divina Providentia PP. XI, per facultates huic Supremae Congregationi Sancti Officii tributas, benigna indulgere dignatus est ut R. P. D. Episcopus..... ..... Orator, *graviter onerata eius conscientia super vera necessitate,* Sacerdotibus sibi subditis, *animarum curam habentibus,* qui naturale ieiunium absque *certo ac gravi incommodo* servare nequeant, quoties Sacrosanctum Missae Sacrificium *diebus Dominicis aliisque per annum festis de praecepto* ob fidelium necessitatem *extra propriam Ecclesiam paroecialem in loco dissito* iterare debeant, veniam concedere valeat, secreto servandam, nisi forte gratiae manifestatio necessaria iudicetur ad scandalum removendum, sumendi ante *secundae* Missae celebrationem aliquid tantum per modum potus vel medicinae, exclusis tamen omnino allcoolicis aliisque quomodocumque inebriantibus.

Idque ad triennium, si tamdiu expositae *specialissimae circumstantiae* perduraverint; quo elapso, R. P. D. Episcopus referat quot huiusmodi dispensationes concesserit et quaenam fuerint causae ad concedendum impellentes.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Prima specie cernitur quanto severius quam litterae circulares haec formula sonet: sive personas quibus dispensatio dari possit, sive requisita adiuncta, sive breve tempus ad quod facultas data est, sive demum obligationem accuratae relationis de eius usu consideres.

Non ideo tamen Suprema Congregatio aliis necessitatis casibus providere recusavit, sed voluit ipsa per se de singulis casibus iudicium ferre. Nec revocavit clausulam qua, in laudatis litteris, potestas fit Ordinariis dispensandi in casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, propter spiritualem fidelium necessitatem, addita obligatione certiorandi quam primum S. Sedem.

Dixeris igitur novum quodpiam regimen de ieiunio naturali ante missam nullatenus esse inductum, verum caute et parce concessis propter publicam causam dispensationibus paulatim praeparari.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Facultatum quae, post Codicem, Legatis Apostolicis concedi consueverunt breve Commentarium.

Continuatur. Cf. supra, p. (69) - (98).

CAPUT III. FACULTATES CIRCA MATRIMONIUM.

48. — *29. Dispensandi ab impedimentis impedientibus de quibus in cap. III, tit. VII, lib. III Codicis, servatis ad unguem regulis ibidem positis, praesertim quod ad dispensationes ob mixtam religionem, et docta, quotannis ante Pascha, S. Congr. S. Officii de numero aliisque adiunctis dispensationum quae anno praecedenti circa mixtam religionem datae sunt.*

Impedimenta ista sunt: a) *quintuplex votum simplex* virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum. - De his, cf. nostram *Epitome iuris* can. II, n. 302, vel *Theol. mor.* III, n. 765-770.

Ne confundas vota impedientia matrimonium et vota reservata. Reservata tantum sunt vota castitatis perfectae et ingrediendi religionem votorum sollemnium, absolute post aetatem 18 annorum completorum emissa. Praeterea, stricte dictum votum virginitatis servandae, per luxuriam qua virginitas amittitur cessat ut factum observationis impossibilis.

b) *Legalis cognatio*, quatenus est impedimentum civile.

c) *Mixta religio*. Per se Ecclesia mixtas nuptias severissime prohibet et aegre tantum in iis dispensat, propter detrimenta quae fidei afferre solent sive in parte catholica sive in prole. Quare verba « servatis ad unguem regulis ibidem positis » fere ad istud impedimentum restringenda sunt. Non possit igitur Legatus Apostolicus ab his regulis servandis dispensare. De valore tamen matrimonii, etiam sine dispensatione contracti, dummodo forma debita servetur, quaestio moveri nequit, cum impedimentum non sit nisi impediens. Id solum quaeri possit. Si legi divinae qua, ut docet c. 1060, mixtae nuptiae cum periculo perversionis contractae prohibentur sit satisfactum, manebitne, ex lege ecclesiastica, illicitum matrimonium mixtum quod, post dispensationem a Legato Apostolico, *sine cautionibus datam*, contrahatur? Cum clausula « ad unguem servatis » sit forma ablativi absoluti posita, condicionem esse dispensationis essentialem non constat (Cf. Epitome, I, 114 vel ed. 2. n. 130).

Quia regulae istae servandae sunt, non potest Legatus Apostolicus, *vi praesentis facultatis* (nam cf. fac. 31) ipsos concubinatus legales sine praestitis cautionibus sanare.

49. — Quid si *civile legalis cognationis* impedimentum dispensatione in foro civili sublatum sit?

Respondemus manere tamen necessitatem dispensationis in foro canonico. Liquet autem iustam dispensandi causam in ipsa civili dispensatione iam haberi, cum agatur de mere canonizato impedimento civili.

50. — *Usus*. In adiunctis ordinariis, Ordinarii loco rum a nullo impedimento impediente, qua tali, dispensare possunt; et facultas communicata per S. C. *de Sacramentis* solum impedimentum voti respicit. Verum S. C. *S. Officii* etiam facultatem dispensandi in ma-

trimonia mixta Ordinariis locorum tribuit; sed regulae Codicis ut condicio sine qua non servandae sunt.

Quare usus proprius facultatis Legati ad impedimentum adoptionis restringitur, nisi in dioecesibus in quibus Ordinarii habituales facultates sive S. C. de Sacramentis sive S. Officii, sive S. C. de Prop. Fide non obtinuerunt.

51. — « *30. Dispensandi pro . . . vicibus ex gravi causa ab omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium, iuris tamen ecclesiastici, sive publicis sive occultis, sive minoris sive maioris gradus, iis tamen exceptis quae ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, ex ordine sacro et sollemni professione religiosa proveniunt.*

Quod vero ad impedimentum dirimens disparitatis cultus, fas non sit dispensationem concedere nisi servatis iis quae in canonibus 1060 - 1064 praescripta sunt; et quod ad matrimonia cum hebraeis vel mahumedanis, dummodo constet de status libertate partis fidelis ad removendum periculum polygamiae, absit periculum circumcisionis prolis, et, si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

Nupturientes aliquam oblationem, si fieri potest, iuxta vires persolvant, quam ipse Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus transmittet ad S. Congregationem S. Officii, si agatur de impedimento disparitatis cultus, aut ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, si agatur de aliis impedimentis. »

Facultas extensione sua fere adaequat facultatem quae Ordinariis locorum est communis, urgente mortis periculo et in casu proprie vel late perplexo, cc. 1043 et 1045. A praesenti tamen facultate non solus presbyteratus ordo sed omnis ordo sacer et sollemnis professio religiosa excluduntur. Praeterea, speciales leges ponuntur de solvendo impedimento disparitatis

cultus. Etenim: *a*) de infidelibus in genere, formula facultatis pronuntiat fas non fore ut praetereantur cautiones cc. 1060 ad 1064 praescriptae. Etsi verba « fas non sit » condicionem liceitatis, per se, exprimant, ex decr. 12-13 iun. 1912, cautiones sunt ad valorem necessariae (*Per.* VI, 258); *b*) si infidelis est hebraeus vel mahumetanus, ad *validum* (propter particulam *dummodo*) facultatis usum haec exiguntur, ut constet de status libertate partis fidelis ad removendum periculum polygamiae; ut absit periculum circumcisionis prolis (circumcisionem intellege superstitiosam, quae pro ritu sacro adhibeatur); ut civilis actus nullo modo sit caerimonia religiosa, ac nulla in caerimonia interveniat Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus.

Quaeres, cur non exigatur ut constet de status libertate utriusque partis?

Sane periculum polygamiae ab utroque arcendum est; sed quia iurisdictio Ecclesiae ad infideles non extenditur, iuridica probatio a solo fideli exigi potest; dum morali certitudine, quovis modo acquisita, de libertate partis infidelis sufficere debebit.

Demum, cum agitur de impedimentis dirimentibus, Legatus Apostolicus, si fieri potest, nupturientibus imponere debet ut aliquam oblationem mittendam ad S. Sedem, iuxta vires, persolvant. In indultis quae Ordinariis locorum conceduntur, S. Officium solitam taxam esse dixit 15 libellarum. S. vero C. de disciplina Sacramentorum nihil praefinire maluit, sed, in obsequium S. Sedis, aequam pro viribus oblationem postulat. Haec igitur saepe multo maior erit 15 libellis; quamquam etiam voluntatis plus vel minus bonae et inaequalis devotionis ratio haberi poterit.

52. — *Usus.* Neque ex iure communi, neque ex recentibus facultatibus, Episcopi tam amplam in matrimonialia impedimenta potestatem adipiscuntur. Nam S. Officium, cum agitur de matrimoniis contrahendis,

suas facultates ad impedimentum mixtae religionis restringit, plus tamen permittens cum sanandum est matrimonium nullum; S. vero C. de disciplina Sacramentorum, nisi agatur de impedimentis minoris gradus, facultates definitis impedimentis circumscribit; nec potestatem concedit nisi in casibus urgentibus vel in actu Pastoralis Visitationis aut s. missionum; dum facultates Legatorum necessitatem recursus ad S. Sedem pro impedimentis matrimonialibus fere supprimiunt.

53. — *31. Sanandi in radice pro... vicibus matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, de quo in n. 30, quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu. Rescriptum vero huiusmodi sanationis in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit.*

Sed si matrimonium fuerit nullum ob defectum formae, danda non erit sanatio, nisi in casu quo altera pars renuat renovare consensum iuxta formam, aut, si id ab ea exigatur, grave immineat alteri parti malum vel periculum.

Quod si matrimonium fuerit nullum ob non servatam formam in casu mixtae religionis aut disparitatis cultus, et pars catholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, danda non erit sanatio in radice, nisi assumptis a parte fideli obligationibus curandi pro viribus conversionem coniugis et educationem prolis in fide catholica, concessa eidem absolutione a censuris, si coram acatholico matrimonium attentaverit, ipsaque monita de gravi patrato scelere.

Hac dispositione conceditur: 1. facultas sanandi matrimonia nulliter contracta ob impedimentum dirimens a quo, vi superius dictae facultatis, Legatus dispensare poterat. Ad valorem exigitur ut renovatio

consensus modo ordinario sit *moraliter* impossibilis, et ut pars impedimenti conscia de sanationis effectu moneatur.

Moraliter impossibilis esse potest ordinaria renovatio, v. g. quia sine infamia aut periculo divortii vel separationis impedimentum alteri parti revelari nequeat.

Quid autem si sola obstet mala alterius partis voluntas, nec sine gravis damni periculo, haec, - quae impedimenti conscia est, - de obtenta sanatione moneri queat ?

Casus iste praevidetur in sequenti, cum de matrimonio agitur quod ob formae defectum est nullum; quo casu, monitio ista non exigitur. Re vera difficultas huiusmodi potissimum occurrit ubi forma scienter omissa est. Sed si in alio casu superveniat, videmur, vi c. 20, a lege lata in simili causa argumentari posse ut etiam tunc monitio partis minus bene dispositae, etsi consciae impedimenti, omitti possit.

54. — Si, post neglectam formam, pars acatholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, « sanatio, danda non erit » nisi pars fidelis obligationem assumat curandi pro viribus tum conversionem coniugis tum catholicam prolis educationem. Hoc igitur interest inter casum quo forma a duobus catholicis omissa fuerit et casum quo altera pars erat acatholica, ut sanatio, quae in utroque casu concedenda non est nisi altera pars renuat renovationem consensus in facie Ecclesiae vel renovatio ista a parte catholice baptizata non possit sine imminenti suo periculo vel damno exigi, non secum ferat peculiares condiciones quando ambae partes erant catholicae, dum in mixtis matrimoniis, cautio praeterea, saltem a parte catholica, exigenda est quae detrimentum fidei aliquatenus minuat. Non alia tamen cautio exigitur nisi curandi pro viribus. Conatus autem de

catholica prolis educatione tam filios iam natos quam nascituros afficere debet.

Verba « danda non erit » nec dicunt nec negant aliter datam sanationem valere. De condicione valoris agi non constat, ob Instr. CLEM. XIII (*Per.* VI, 259).

Quando forma essentialis servata non fuerit, matrimonium erit saepe coram ministello acatholico contractum. Delictum autem istud excommunicatione Ordinario loci reservata punitur. Inde facultas conceditur absolvendi ab ista censura, sed facta monitione de gravitate patrati sceleris. Non sola enim violata est Ecclesiae lex; sed contra ipsum ius divinum est, peccato superstitionis, peccatum.

Bifariam autem forma deficere potest: vel quia partes clandestine seu non in facie Ecclesiae contrahere voluerunt cum deberent; vel quia deerant testes aut minister competens. Facultas tamen et traditae normae in utrumque casum cadunt.

Communis, ni fallimur, adiunctorum difficultas efficit ut in sanatione in radice nulla praescribatur oblatio facienda. Si tamen commode peti queat, menti S. Sedis consentaneum arbitramur ut petatur.

55. — *Usus.* Cum etiam hic amplior et expeditior sit facultas Legatorum quam communicatae Episcopis facultates, sive impedimenta sive facultatem subdelegandi consideres, ad Legatum in casibus difficilioribus recurrere non parum iuvabit.

CAPUT IV. FACULTATES CIRCA CETERA SACRAMENTA ET SACROS RITUS

56. — « *32. Deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento Confirmationis in iis regionibus duntaxat in quibus episcopi desunt, servatis praescriptis can. 781, § 1, 782, § 4 et 784; idque ad tempus aliquod determinatum.*»

Potissima facultatis verba explicemus. 1 . Regiones

« *ubi episcopi desunt* ». Verba « *ubi episcopi desunt* » occurrunt iam in ep. S. Gregorii M. quae evasit c. 1 Dist. 95, Decr. Gratiani. Ut condicio verificetur, territorialis requiritur absentia nec sufficit ut in loco, sed oportet ut in regione desit episcopus, sive actu sive habitu. Non tamen opus est ut regio ad nullam dioecesim pertineat, sed satis est ut, propter distantiam a sede episcopali et itineris impedimenta, moraliter loquendo, ibi nullus sit episcopus. Id colligimus ex 3 fac. formulae tertiae maioris S. C. de P. F. quae Vicario Apostolico (qui solet esse episcopus) permittit ut deleget pro confirmationis sacramento paucos e suis sacerdotibus « in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque episcopo. »

2. « *Deputandi simplices sacerdotes* », sive unum sive plures, non tamen multos simul: debent enim esse selecti, seu probatae virtutis et doctrinae; ac simultanea designatio multorum menti Ecclesiae certo repugnaret. Qualitates tamen sacerdotum non sunt ad valorem requisitae.

3. *Observanda praescripta cc. 781, § 1; 782, § 4 et 784* huc spectant: a) ut adhibeatur chrisma ab episcopo consecratum; b) ut latinus solos sui ritus fideles confirmet: quod ad valorem requiritur; c) ut administratio extraneis territorii, expresse vetari possit; sed, sine expressa prohibitione, extranei admitti possunt.

4. « *Ad tempus aliquod determinatum.* » Potestas ergo fieri potest in singulis casibus, vel etiam ad aliquod tempus. Hoc tamen ultra quinque vel decem annos extendi vetatur animadversione ad calcem facultatum apposita.

57. — *Usus.* In amplis territoriis quae S. C. de P. F. non subsunt, v. g. in America, ad Legatum erit recursus non raro opportunus.

58. — « *33. Permittendi singulis vicibus vel ad*

tempus, feria V in Cena Domini unam missam lectam in oratoriis publicis ».

Sollemnis functio Feriae V in Cena Domini in omnibus oratoriis ubi ss. Eucharistia servatur institui potest. Ubi haec, propter adiuncta, decenter celebrari nequeat, missa lecta in ecclesia parochiali ex licentia Ordinarii loci permittitur. Facultas praesens omnibus oratoriis publicis prodesse potest vi concessionis quam vel in singulis casibus vel ad certum tempus (cf. modo dicta, n. 56, 4) Legatus concedere potest.

59. — *Usus.* Cum facultas ista nec iure communi nec facultatibus habitualibus Ordinariorum locorum comprehendatur, rectores oratoriorum publicorum libenter ad Legatum Apostolicum de praesenti re recurrent.

60. — « *34. Concedendi sacerdotibus infirmis, durante infirma valetudine, aut aetate devexis indultum oratorii privati, in quo missam celebrent servatis canonicis regulis* ».

1. Oratorium privatum, si c. 1188 § 2, 3° cum eius § 1 componimus, definiri potest locus divino cultui destinatus, in privatis aedibus, in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectus.

2. Indultum oratorii privati ad celebrandam missam ab indulto altaris portatilis in hoc differt, quod qui altaris portatilis privilegium habeat in omni loco decenti missam celebrare possit, dum prioris indulti beneficio missa in definito tantum oratorio privato, praeter oratoria publica et semi-publica, permittitur.

3. Iam vero, Legatus Apostolicus tale indultum sacerdotibus infirmis quamdiu infirmitas perseveret, vel aetate devexis, i. e. quorum senectus pro morbo haberi potest, ad finem vitae, concedere permittitur.

4. *Servandae canonicae regulae* sunt: *a*) ut oratorium sit extra cubiculum infirmi (arg. c. 822, § 4); *b*) ut sive Legatus sive Ordinarius per se vel per alium ecclesiasticum virum, oratorium visitaverit et

decenter instructum repererit (c. 1195, § 1 collatus cum c. 1192); nisi aliud expresse concedatur, ut unica tantum missa, eaque lecta, exclusis aliis functionibus exclusis quoque diebus sollemnioribus ibi permittatur (c. 1195, § 1).

Hinc statim **quaeritur** num Legatus Apostolicus indultum concedere possit quo plures missae permittantur et sollemniora festa non excipiantur.

Resp. *a*) Nostra sententia, Legatus Apostolicus etiam sollemnioribus diebus missam permittere potest. Sollemniora enim festa non absolute excluduntur, sed solum salva expressa concessione. Ratio autem excipiendi festa sollemniora bene concipitur quando privatum oratorium conceditur familiae: decet enim ut haec saltem aliquando se ecclesiae praesentem exhibeat. Verum hic, contra concessionis finem, infirmus sacerdos consolatione missae privaretur diebus quibus eam magis in votis haberet. *b*) Nec, si iusta accedat causa, Legatus prohiberi videtur pluribus missis in eodum oratorio concedendis. Causa esse poterit, si, propter ipsam infirmitatem, sacerdos in oratorio iam familiae concesso, missam modo nimis assistentibus ingrato dicat ac proin eorum pietatem impediret si ipsius missae assistere deberent; vel si duo aut plures sacerdotes infirmi, eodem tecto utantur. Cur tunc oratoria multiplicari deberent?

61. — *Usus.* Valde utilis est ista Legati potestas, qua sacerdotes infirmi recursu ad S. Sedem dispensantur. Episcopi enim non possunt nisi per modum actus, missam in oratorio privato concedere (c. 1194).

62. — « *35. Concedendi pro sacerdotibus suae iurisdictionis usum comae ascititiae tempore celebrationis Missae, data vera eorum necessitate* ».

Cum agitur de coma ficticia quae naturalem satis perfecte imitatur, iam de ipsa indulti necessitate dubitari potest Cf. *Epitome*[2] I, 221, 2 vel *Theol. mor.* III, 324, fine.

Utcumque res se habeat, sacerdotibus quibus coma ficticia vere necessaria est facultatem eam etiam tempore missae celebrandae servandi Legatus facere potest. Necessitas requiritur, quia Ecclesia studiosae elegantiae favere non vult; verum sufficit necessitas supplendi capillos, seu calvitiem dissimulandi.

Solis suae iurisdictionis sacerdotibus Legatus hanc facultatem facere potest, ita ut peregrini excludantur.

63. — *Usus* commodus hic offertur sedandi dubia de liceitate, sine recursu ad S. Sedem.

64. — « *36. Concedendi in casibus particularibus indultum celebrandi extra ecclesiam et oratorium, et erigendi altare sub dio ex rationabili causa, ad tramitem can. 822, § 4* ».

Facultate ista potest Legatus, in casibus particularibus, quod solum in aliquo extraordinario casu et per modum actus Ordinarius loci vel Superior maior religionis exemptae permittere potest. (Quam Ordinarii loci facultatem stricte interpretandam esse declaravit Pontificia Commissio de Codice, 16 oct. 1919 ad XII (Per. X, p. 101.)

Ad tramitem c. 822 facultas concedenda est; i. e. sacrum supra petram sacram, decenti loco et numquam in cubiculo celebrari potest. Cubiculum intellege locum in quo noctu cubatur: S. Pontifex sibi reservavit facultatem id in raro aliquo casu concedendi.

In casibus particularibus facultas conceditur quando propter particularem causam et quamdiu ista permaneat, conceditur.

65. — *Usus.* Utilitas potestatis ipso discrimine cum facultatibus episcoporum demonstratur.

66. — « *37. Permittendi sacerdotibus navigantibus sive in mari sive in fluminibus, ut in navi Missam celebrare possint super altari portatili, dummodo locus in*

quo Missa celebratur nihil indecens aut indecorum prae se ferat et periculum absit calicis effusionis ».

Huc redit praesens facultas, ut Legatus possit navigantibus altare portatile concedere. Observes facultatem non tantum pro maritimo itinere sed etiam pro fluviali esse concessam, dum pleraque alia privilegia solis maritimis iteneribus sunt circumscripta. In regionibus in quibus, sicut in Africa, amplissima flumina sunt, id valde utile esse potest. Solis tamen *navigantibus* facultas concedi potest: non ergo sacerdoti qui ex portu navim adire velit. Navigans tamen est is quoque qui per portum transit, etiam si navis ibi per paucos dies se sistat.

Interrogata utrum cappellae navium aut altaria in ipsis navibus erecta pro sacro litando deberent considerari ut oratoria privata an ut publica, S. *Rituum* C. die 4 martii, 1901, respondit: « Si cappella locum fixum habeat in navi, uti publica habenda est; secus neque publica est neque privata, sed habetur uti altare portatile » *(Decr. auth.* n. 4019*)*.

Pro usu facultatis condiciones hodie communes exiguntur: ne locus sit indecens, ac periculum effusionis absit. Ipsum cubiculum in navi non excluditur.

67. — *Usus.* Quamvis episcopi missam in navi per se concedere nequeant, ut etiam, in praelaudato decreto 4 mart. 1901 ad II, declaravit S. *Rituum* C. multa tamen exstant privilegia, ita ut peculiaris utilitas in extensione ad fluvios agnoscenda sit.

68. — « *38. Consecrandi, sive per se sive per simplices presbyteros a se deputandos, altaria tum fixa tum portatilia, quae ex aliquo defectu pristinam consecrationem amiserunt, servatis tamen omnibus in Instructione S. Rituum Congregationis ad rem, in* Ritu et formula breviori *praescriptis* ».

Prima consecratio altaris fixi difficilius quam altaris portatilis iis qui non sunt episcopi permittitur. Portatile enim altare etiam Vicarii vel Praefecti Apo-

stolici, dum fixum altare, praeter episcopos, soli Cardinales, Praelati *nullius* et abbates *nullius* (Cf. cc. 239, § 1, 20; 294, § 2; 323, § 2) consecrare possunt. Secunda vero consecratio qua, post amissam consecrationem altare usibus sacris restituitur, facilius simplici sacerdoti committitur. Etenim, quando propter separationem mensae a stipite, consecratio amissa est, ipse c. 1200, § 1 omni Ordinario concedit ut usum formulae brevioris simplici sacerdoti permittat. Propter defectus autem qui in c. 1200, § 2 indicantur nova consecratio, vi formulae facultatum quam Ordinariis quoque Italiae S. R. Congregatio largitur, etiam sacerdoti, potissimum si in dignitate constitutus sit, committi potest.

Praesenti facultate Legatus simplicem sacerdotem pro casibus § 1 et 2 c. 1200 praevisis iterum consecrando altari fixo vel portatili deputare potest.

Ritus et formula brevior a S. R. C. 9 sept. 1920 praescripta sunt (Cf. Per. X, 237).

69. — *Usus.* Attenta animadversione finali facultatum, potestas haec solis Legatis qui sint episcopi facta est. Verba itaque quibus conceditur ut Legatus *per se* consecret, satis superflua forent, si referrentur ad validitatem, cum omnis episcopus, ex c. 1199, § 2 et 3 has consecrationes valide peragat; verum, quando agitur de altari immobili, observandus per se est c. 1155, qui licentiam Ordinarii loci exigit. Restrictio ista praesenti facultati non opponitur.

Deputatio autem alius sacerdotis vi facultatum habitualium, non tamen vi iuris communis (nisi in casu c. 1900, § 1), permittitur.

70. — « *39. Indulgendi, ex rationabili causa, in casibus particularibus, vel ad tempus, ut sacrosanctum Missae Sacrificium peragi possit a tertia hora post mediam noctem.* »

Cum hodie c. 821 horam expresse computet ab

initio Missae, res videtur etiam in praesenti facultate hoc modo intellegenda, ut Legatus, propter causam quae non debet esse gravis, concedere possit ut iam tertia hora post mediam noctem initium sacri fieri possit.

71. — *Usus.* Cum in hac re non pauca privilegia concessa sint, et censeant Ordinarium posse, etiam sine privilegio, anticipationem unius horae concedere (Cf. *Theol. mor.* III, 338), et in plurimis locis, per anni partem, iam hora tertia post mediam noctem sit hora ante auroram vel ipsa aurora, recursus ad istud privilegium minus saepe erit necessarius.

72. — « *40. Indulgendi ad tempus ut in aliqua ecclesia bis vel ter in hebdomada, de consensu Ordinarii, Missa* de Requie *celebrari possit etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon feriis, vigiliis octavisque privilegiatis* ».

Observes Ordinarium consentire debere ut ecclesia cui Legatus hanc facultatem facit, indulto uti possit. Consensus Ordinarii minime pro concedenda facultate sed pro concessae facultatis usu postulatur. Ordinarius, in casu, est ille qui iurisdictionem habet in ecclesiam. In ecclesia religionis exemptae erit igitur etiam Superior maior religionis. Consensus ceterum potest esse tacitus vel praesumptus.

Feriae privilegiatae sunt Feria IV Cinerum et Feriae II, III, IV Maioris Hebdomadae; vigiliae privilegiatae sunt Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes; octavae privilegiatae sunt Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, et, Romae, SS. Apostolorum Petri et Pauli.

73. — *Usus.* Similes facultates interdum ecclesiis paroecialibus concedentur. Habituales autem facultates S. R. C. permittunt tantum ut ipse Episcopus vel

Ordinarius, in proprio oratorio, missam de Requie semel in hebdomada recitet.

74. — « *41. Concedendi presbyteris ex utroque clero, visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, facultatem celebrandi Missam votivam Deiparae Virginis aut defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis assistentia, et firmo permanente onere, si sint parochi, explicandi evangelium diebus praescriptis. Item eandem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper assistentia alterius sacerdotis, aut diaconi, et dummodo facto experimento, comperiantur in nullo defecisse* ».

1. *Observanda de prima* §. *a)* Non propter solam oculorum debilitatem, sed etiam propter aliam infirmitatem, qualis ingens capitis gravedo, concessio fieri potest.

b) Non solis sacerdotibus saecularibus sed etiam regularibus exemptis concessio ista fieri potest. His igitur facultatem istam a Nuntio impetrare licet.

c) Concedi potest missa votiva B. M. V. vel Defunctorum. Verum, cum etiam caecutienti missa defunctorum non concedatur nisi iis diebus quibus in ecclesia ubi celebrat, tales missae, sive iure communi sive privilegio, dici possunt, plerumque simul permittitur missa de Beata et missa defunctorum.

d) Assistentia alterius sacerdotis tunc tantum requiritur quando infirmus ea opus habet. Et cum, in casu difficiliore completae caecitatis assistentia diaconi sufficere dicitur, etiam diacono assistente Legatus, in praesenti casu, contentus esse posse videtur.

e) Dispensatus a missae qualitate minime a parochiali officio homeliae hebdomadariae dispensatur.

2. *De altera* §. Idem omnino caecis sacerdotibus Legatus concedere potest. Tunc autem semper praescribenda est alterius sacerdotis aut diaconi assistentia

et experimento (coram teste quem Legatus probaverit) facto capacitatem missae dicendae sine defectu caeci demonstrare debent.

N. B. Rubricae servandae in istis missis clare proponuntur S. R. C. Instructione 12 ian. 1921 (A. A. S. 13, 154; *Per.* 10, 306).

75. — *Usus.* Cum ipsa S. R. C. nihil plus permittat quam quod Legatus concedere potest, utilissima infirmis haec facultas esse potest. Ceterum ipsi episcopi non raro similes fucultates impetrant.

76. — « *42. Concedendi infirmis decumbentibus, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt, ut S. Communionem sumere possint semel in hebdomada, non servato ieiunio, hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid ad modum potus antea sumpserint* (*can. 858, § 2*).

Concedendi infirmis non decumbentibus, qui tamen tali morbo laborant quo, iudicio medici, ieiunium sine discrimine servare nequeant, ut communionem semel in hebdomada percipere valeant non servato ieiunio, ut supra ».

Vi praesentis facultatis, l. Legatus *semel* in hebdomada concedere potest infirmis qui decumbunt eam dispensationem a ieiunio eucharistico ante communionem servando, quam, post mensem, *semel aut bis* in hebdomada ius commune, de consilio confessarii, ipsis concedit.

Dispensatio ex iure communi explicatur in *Theol. mor.* III, n. 396, ubi proximam convalescentiam aestimavimus eam cuius moraliter certa spes detur intra tres vel quattuor dies.

2. Etiam iis infirmis qui non decumbunt (stricte vel moraliter) si, iudicio medici, ieiunium *sine discrimine* servare nequeunt, eandem dispensationem Legatus dare potest. - *Sine discrimine*, sive vitae, sive serii morbi, sive, ni fallimur, etiam notabilis incommodi praesentis vel futuri in valetudine.

77. — *Usus.* Facultas huiusmodi in recentibus quinquennalibus facultatibus non continetur, sed reperitur amplior in facultatibus S. C. de Prop. Fide, quibus Ordinariis conceditur ut decumbentibus, ante mensem, communionem, sine ieiunio, bis vel ter in hebdomada, immo cotidie, si sint religiosi vel sacerdotes, concedere possint.

78. — « *43. Indulgendi, per modum actus, ut in ecclesiis in quibus festum alicuius Sancti* Martyrologio Romano *descripti, vel alias ab Apostolica Sede approbatum, sollemniter celebretur, quod cum officio illius diei minime congruat, dici possint tum Missa sollemnis vel cum cantu, tum etiam Missae lectae de eodem festo, dummodo non occurrat duplex vel dominica primae classis, aut Vigilia Nativitatis D. N. I. C. vel Vigilia Pentecostes, vel dies octava Nativitatis D. N. I. C. (Circumcisio Domini), dies octava Epiphaniae vel SS. Corporis Christi aut feria IV Cinerum, vel integra maior hebdomada* ».

Paucis exceptis diebus, Legatus concedere potest ut, sine respectu officii diei, tum Missa sollemnis vel cum cantu, tum etiam missae lectae dicantur de Sancto in Martyrologio Romano vel de alio festo a S. Sede probato. Festum istud esse potest imaginis B. M. V. sub aliquo titulo invocatae, dummodo tamen in isto loco ista Missa sit permissa. Concessio non potest fieri ad plures vices, sed per modum actus tantum. Verum v. g. altero anno, renovari potest. Condicio apponitur: oportet ut sollemnis celebratio habeatur.

79. — *Usus.* Hac etiam facultate Legatus supplere potest S. Sedem, et plurium pietati consulere.

80. — « *44. Deputandi, in locis iurisdictionis sibi commissae, in casibus particularibus, vel ad tempus aliquem sacerdotem cum facultate* consecrandi, *iuxta formam in* Pontificali Romano *praescriptam, calices,*

patenas et altarium lapides, adhibitis sacris oleis ab Episcopo catholico benedictis ».

Quod ius canone 294 Vicariis et Praefectis Apostolicis concedit, id, vi praesentis facultatis, in casibus particularibus seu quatenus causa particularis postulet, vel etiam ad tempus (non ultra decem annos), Legatus alicui sacerdoti concedere potest : in locis tamen suae iurisdictionis, ita ut extra ista loca deputatio nullum effectum habeat. *Aliquis sacerdos* non est unus tantum, sed unus vel alter seu pauci.

81. — *Usus.* Etiam in nostris regionibus specialis ratio esse potest cur sacerdos calicem ipse consecrare cupiat : quod Legatus ipsi concedere posse videtur. Finis tamen concessionis is potissimus esse debet ut paucitati Antistitum consulatur et a paucis exsistentibus in regione onus consecrationum multarum tollatur.

82. — *45. Benedicendi campanas et consecrandi ecclesias, monito tamen loci Ordinario, eoque non renuente* ».

Observes non concedendi benedictionem, etc. sed benedicendi campanas et consecrandi ecclesias facultatem hic conferri. Licentia Ordinarii loci non postulatur, et sic derogatur canoni 1157. Sed, ut omnis conflictus vitetur, monendus est, et, si positive renuat, benedictione et consecratione abstinendum est. Hoc loco de usu nihil dicendum occurrit.

CAPUT V. DE FACULTATIBUS CIRCA RELIGIOSOS.

83. — « *46. Cognoscendi, in casibus extraordinariis et urgente necessitate super statu alicuius domus Religionis cuiuslibet ; conferendo cum Superioribus consilium et operam ut opportune abusibus remedia adhibeantur, et religiosi ad sui status perfectionem reducantur, certiore tamen facta quam primum Apostolica Sede, si*

quid novi in utilitatem claustralium communitatum decernendum esse videatur ».

Praesenti facultate, extraordinaria iurisdictio in religiones etiam exemptas Legato Apostolico confertur, ut urgenti istius domus necessitati providere efficaciter possit. Casus extraordinarius esse poterunt, v. g. schisma et scissio communitatis in duas factiones, ex occasione cuiuspiam electionis suspectae; grave scandalum internum quo communitas ita perturbetur ut vel ipsi Superiores sint rei vel eorum auctoritas sit insufficiens; communis abusio moralis vel disciplinaris; temporalis etiam necessitas, ut si domus aere alieno gravata publicanda sit: brevi quidquid, propter commune bonum velox remedium postulat quod ordinario regimine afferri nequit. Tunc ipse Legatus potest, a) de re cognoscere; b) cum Superioribus (cum iis qui non sint rei) convenire de remediis; c) ac, quia, vi c. 66, § 3, « concessa facultas secumfert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae », haec de personis et rebus statuere quae nullam moram patiuntur. - Certior facienda est S. Sedes si quid novi circa claustrales communitates decernendum videatur. « Claustrales communitates » strictissime sunt communitates monialium quae stricta clausurae lege obstringuntur; verum hic omnes religiosae communitates utriusque sexus designatae videntur: sunt claustrales, quatenus in claustris, seu loco concluso habitualiter degunt.

84. — *Usus*. Facultas potissimum usu veniet in regionibus dissitis; quamvis etiam in minus remotis utilissima esse possit, ut, nulla exspectata nova delegatione, Legatus ilico quod oporteat statuere queat.

85. — « *47. Dispensandi, iusta de causa, postulante Communitate super defectu dotis in religione pro Sororibus aut Monialibus requisitae* ».

Vi canonis 547, dos a postulante Moniali afferri

debet; a postulante Sorore, secundum Constitutiones exigenda est. Verum ex meritis postulantis vel utili opera quae ab ipsa exspectari potest, aut ex abundantibus reditibus Monasterii etc. iustae causae dispensandi oriri possunt.

Tunc rogatus a communitate, i. e. a Superiorissa quae cum Consilio declaret id esse a Communitate optatum, Legatus a dote afferenda dispensare potest.

Limitatio « in casibus particularibus » non apponitur. Videtur igitur Legatus etiam generalem dispensationem concedere posse, quatenus iusta causa generalis accedat ad Communitatis postulationem, vel quatenus in singulis casibus impleantur eaedem conditiones.

De viris hic non agitur, cum, exceptis expensis noviciatus, ingressus in religionem gratuitus esse debeat.

85. — *Usus.* Cum hodie causae dispensationis frequenter occurrant, praesens facultas valde ad usum referre perspicitur. Verum eadem potestas, servatis quibusdam clausulis, competit Ordinariis locorum ex quinquennalibus facultatibus S. C. de Religiosis.

86. — « *48. Concedendi in casibus particularibus vel ad tempus, Ordinariis dioecesanis facultatem praeficiendi paroeciis religiosos in defectu sacerdotum saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum, et cum clausula ut saltem duo alii religiosi cum parocho cohabitent, servatisque in reliquis sacrorum canonum dispositionibus* ».

Principium canone 1442 ponitur: « beneficia saecularia nonnisi clericis e clero saeculari conferenda sunt; religiosa sodalibus illius religionis ad quam beneficia pertinent ». Hodie, itaque, salvis privilegiis, non soli regulares sed omnes religiosi beneficiis saecularibus prohibentur. Salvis inquam, privilegiis, quale v. g. habent Canonici Praemonstratenses.

Penuria tamen sacerdotum saecularium collationem viro religioso suadere potest.

Vi praesentis facultatis, Legatus potest Ordinario loci in casibus particularibus permittere, vel etiam habitualem ipsi licentiam dare ad certum tempus (infra decem annos, ut religiosos paroeciis praeficiat, his tamen condicionibus : *a*) ut desint saeculares qui possint ; *b*) ut Superior religiosus consentiat ; *c*) ut parva communitas saltem trium religiosorum ibi constituatur ; *d*) ut serventur canonicae leges, seu : cc. 630 et 631 de parocho religioso ; c. 454 § 5 de necessaria parochi amovibilitate ad nutum, tum Ordinarii loci tum Superioris religiosi; c. 537, § 1, 4° de consensu Ordinarii pro collocatione pecuniae intuitu paroeciae datae ; c. 535, § 3 de iure Ordinarii cognoscendi administrationem huiusmodi pecuniae.

87. — *Usus.* Commodum rursus erit ut a Legato concedatur quod secus a S. Sede petendum erat.

88. — « *49. Indulgendi Monialibus, in casu infirmitatis, aliisque iustis gravibusque de causis, ut* extra claustra *per tempus prudenti arbitrio praefiniendum manere possint, ita tamen ut cum associatione et assistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicuius honestae mulieris semper incedant, domi et alibi vitam religiosam ducant a virorum frequentia semotam, prout Deo sacratas virgines decet, firmo praescripto can. 639* ».

Vi istius facultatis, permansio extra claustra, non in solo infirmitatis casu sed etiam propter alias iustas et graves causas, etiam ultra sex menses, per tempus prefiniendum a Legato concedi potest.

Hae clausulae addendae sunt indulto : *a*) ut semper associatae ab honesta saltem muliere incedant ; *b*) ut vitam ducant a virorum frequentia semotam. Viros intellegemus non proxime coniunctos, namque id requiritur « prout sacras virgines decet » ; *c*) ut

praescriptum canonis 639 firmum maneat, i. e. ut exterior forma habitus religiosi deponatur, ut sint subiectae Ordinario loci etiam ratione voti oboedientiae, et sui status obligationes, quantum fieri possit, observent.

Quaeres utrum in religiosas votorum simplicium Legatus eadem potestate fruatur ? Quamdiu de absentia intra sex menses comprehensa agatur, ipsi Superiores providere necessitati possunt. Quid autem si agatur de diuturniore absentia ? Facultas non est explicite data nisi pro monialibus. Si tamen Legatus existimet se uti posse principio : « qui plus potest, potest etiam minus », rationabilem esse istam interpretationem non diffitemur.

89. — *Usus.* Cum potestas Ordinariorum canone 601, § 1 ita limitetur ut « excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali, licentia exeundi a sola S. Sede concedi queat » quinquennales autem facultates potestatem istam Ordinariorum mere extendant ad descensum in ecclesiam, vel « urgente casu operationis chirurgicae subeundae quamvis non secum ferat periculum mortis imminentis aut gravissimi mali », frequens occasio usus per se manifesta fit.

90. — « *50. Dispensandi religiosos utriusque sexus*, pro foro conscientiae tantum, *a regressu in religionem et permittendi ut in saeculo remaneant, quoties hi invalide obtinuerint declarationem nullitatis votorum, dummodo tamen haec invaliditas occulta sit, firmo semper manente voto castitatis perpetuae, servatisque aliorum votorum substantialibus, usque dum peculiarem dispensationem a S. Sede hac de re assequantur, et, si sint sacerdotes, facta lege ut habitum sacerdotis saecularis induant* ».

Hac facultate necessitati conscientiae temporaria provisione occurri potest, qua religiosi qui occulta fraude declarationem nullitatis votorum obtinuerint, a regressu in religionem dispensentur, donec S. Sedes de ipsis quid statuerit agere debeant. Dispensatio

autem ista, cum sit pro solo foro interno, nullam actionem iudicialem, si qua exoriatur, impedit. Quia rursus est precaria, votum castitatis perpetuae firmum esse sinit, et substantialia aliorum votorum dispensatus servare debet. Ita ergo se gerere debet ut tam eius modus agendi et conversandi quam eius expensae a Superiore facile possint ratae haberi, et sic quasi licentia praesumpta usus videatur.

91. — *Usus.* Confessario cui miser religiosus suas angustias conscientiae patefaciat praesens facultas commodam viam sternit omnia componendi donec omnis res arbitrio S. Sedis definiatur.

CAPUT VI. FACULTATES PRO IPSO NUNTIO, INTERNUNTIO, SEU DELEGATO.

N. B. Conceduntur, hoc capite, pro ipso Legato apostolico, non nullae facultates quas sub suo quaeque numero recensebimus et explicabimus, omissa tamen quaestione, iam superflua, de ipso istarum facultatum usu.

92. — « *51. Recitandi divinum officium et Missam celebrandi iuxta kalendarium Romanum pro clero Urbis, idque concedendi sacerdotibus secum commorantibus sibique subiectis* ».

1. Per se, quisque sacerdos vel Praelatus non beneficiatus calendarium loci in quo domicilium vel quasi-domicilium habet sequi debet. Et quasi-domicilium ipsi domicilio pro hac obligatione praefertur, cum magis actualem commorationem plerumque supponat. Cf. *Theol. mor.* III, 42. Praesenti facultate calendarium Urbis, sive pro officio sive pro Missa, Legatus sequi potest, idque, in omnibus ecclesiis et oratoriis. Si enim est episcopus, privilegium istud canone 349, § 1, collocato cum c. 239, §, 1, 9, ei expresse conceditur ; si vero non fuerit episcopus, facultas, sine limitatione ad proprium oratorium data, rationabilem hanc interpretationem patitur.

93. — Idem « sacerdotibus secum commorantibus et sibi subiectis concedere potest ». Sacerdotes isti suntne ii soli qui ambas qualitates coniungunt, ut sint commorantes et subditi, an alterutra qualitas sufficit? Alterutram sufficere arbitramur, tum quia facultates habituales c.e 66, § 1, privilegiis praeter ius assimilantur et proin sunt latae interpretationis; tum quia ratio peculiaris amborum exceptionem suadet. Commorantibus id concedendum videtur, ut in palatio Legati uniforme regimen vigere queat; subditis id concedendum videtur ut, qua familiares, privilegium capitis participent. Nomine enim sacerdotum sibi subditorum minime sacerdotes suae dicionis intelleguntur, sed qui eius potestati domesticae subsunt.

Debetne Legatus isto privilegio uti, an liberam optionem servat? Cum nihil obligationem indicet, et pro adiunctis, alterutrae partes optabiles esse possint, optio relinqui videtur. Mens tamen Ecclesiae erit ut ipse ab *arbitrariis* mutationibus sibi caveat.

94. — « *52. Asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae SS. eucharistiae sacramentum, ea lege ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur. Sacellum autem ipsum, ex S. Pontificis venia, qua publicum erit* ».

1. Non in qualibet domo sed in domo ubi stabilem suam residentiam habeat Legatus privilegio fruitur eucharistiae perpetuo servatae. Stabilis residentia non est necessario unica; sed intellegi potest quaevis domus ubi saltem per duos vel tres menses commoretur. Desinente autem residentia stabili (quae brevi absentia non interrumpitur) desinit quoque privilegium pro illa domo.

Alia « iuxta liturgicas leges servanda » habentur in c. 1265, § 1. de missa quae singulis hebdomadis ibi regulariter sit celebranda; in c. 1269, de tabernaculo

inamovibili eiusque structura et situ; in cc. 1270 et 1272, de asservatione et renovatione hostiarum.

Codex enim qui, c. 2, se plerumque nihil de ritibus et caerimoniis decreturum protestatur, implicite fatetur se interdum tamen ritibus occupatum iri. Iam vero, canones allegati sunt liturgici.

2. Sacellum ipsum istius domus erit qua publicum. Dum c. 1189 statuit ut oratoria S. R. E. Cardinalium et episcoporum etiam titularium oratoriis semi-publicis plene aequiperarentur, hic praeterea conceditur ut sacellum stabilis residentiae Legati pro publico habeatur.

Non ideo tamen in erectione et benedictione canon 1165 observandus erit; sed sicut c. 1188 disponit ut oratoria, etsi privata, Cardinalium iure censerentur esse semi-publica, sic, vi praesentis facultatis, oratoria Legati, quae de se essent privata aut semi-publica, iura oratoriorum publicorum participant: i. e. ius asyli, et ius habendi omnes sacras functiones, non exclusis ordinationibus. Cf. *Epitome*, II, 500.

95. — « *53. Administrandi sacramentum confirmationis in dicione universa suae iurisdictioni obnoxia, nec non durante maritimo itinere tam in accessu quam in recessu a loco missionis suae* ».

Legatus itaque sine Ordinariorum loci licentia sacramentum confirmationis in omni dicione sua, et, in maritimo itinere cum ad suam missionis locum accedit vel ab isto loco recedit administrare potest. In maritimo itinere versatur is etiam qui per portum transiens locum portus visitat. Ergo etiam dum ad terram obiter (non ultra duos vel tres dies) appellit, hac facultate uti potest. Sic enim ex c. 883 intellegitur iter maritimum pro iurisdictione paenitentiali sacerdotum; et sic in n. 53 manifesto intellegendum est. Cum non dicatur « in primo accessu vel recessu ultimo », facultas de pluribus accessibus et recessibus intellegenda est, dummodo, in recessu, qualitatem Legati servaverit.

96. — « *54. Excipiendi sacramentales confessiones fidelium utriusque sexus in locis et in maritimo itinere ut supra* ».

Facultas hanc brevem interpretationem postulat ut dicamus Legatum muniri iurisdictione ad confessiones excipiendas, quam nulla reservatio dioecesana vel interdioecesana limitare potest, in omni loco ubi sacramentum confirmationis administrare permittitur. Et secundum hodiernas normas de confessionibus religiosorum, religiosos et religiosas omnes qui ad ipsum accedunt etiam a casibus in religione reservatis Legatus absolvere valide et licite potest.

97. — « *55. Lucrandi sibi indulgentias quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit* ».

Quia indulgentia cum paenitentia sacramentali historice et logice conectitur, dubitari poterat num Legatus sibi indulgentias a se concessas, servatis communibus condicionibus, acquirere posset. Dubium praesenti facultate tollitur.

ANIMADVERSIO

98. — « *1. Facultates quae superius continentur in cap. II. et III, et eae quae recensentur sub numeris, 1, 3, et 18, cap. 1; 32 et 38, cap. IV; 46, cap. V; et 53, 54, 55, cap. VI non conceduntur nisi iis qui sunt caractere episcopali insigniti; ideoque ad eos, et signanter ad auditorem vel secretarium quibus, durante, Nuntiaturae, Internuntiaturae vel Delegationis vacatione negotiorum gestio fuerit commissa, non intelliguntur attributae, nisi expresse id dicatur, quamvis commissio regendi officium cum facultatibus ordinariis eisdem concessa sit.* »

Hac prima animadversione istud notabile docemur, non paucas facultates iis tantum competere qui caractere episcopali sint aucti. Sunt:

facultas visitandi, de qua in n. 1 (facultatum);

facultas conferendi beneficia, de qua n. 3 facultatum;

facultas recipiendi denuntiationes de sollicitatione de qua n. 18;

facultates circa indulgentias, de quibus nn. 20-28;

facultates circa matrimonium, de quibus nn. 29-32;

facultas deputandi sacerdotes pro confirmatione, de qua n. 32;

facultas consecrandi per se vel per deputatos presbyteros altaria quae consecrationem amiserint, de qua n. 38;

facultas cognoscendi de statu domus religiosae, de qua n. 46;

facultas confirmandi, de qua n. 53;

facultas excipiendi confessiones, de qua, n. 54;

facultas sibi acquirendi indulgentias a se concessas, de qua n. 55.

Nescio an mendo typographico tribuendum sit facultatem consecrandi ecclesias episcopis non reservari, cum consecratio altarium n. 38 ipsis propria dicatur.

Corollarium istius distinctionis. Etiamsi, vacante Legatione, commissio regendi officium auditori, secretario cum facultatibus ordinariis commissa sit, facultates quae characterem episcopalem exigunt non intelleguntur attributae nisi id expresse dicatur.

99. — « *2. Caveat Pontificius Administer ne indulta quae ad tempus concedere potest, ultra quinquennium vel decennium protrahat* ».

Observes indulta ista discessu Legati non finiri. (arg. c. 73). Nec dicitur invalidam fore concessionem quae a Legato ultra decem annos protrahatur. Communi Pontificii Administri nomine, Nuntius, Internuntius et Delegatus hic designantur.

100. — **Quaeres** utrum facultates istae a Legato *subdelegari* possint? Cum subdelegatio non excludatur, et agatur de facultatibus S. Sedis quae iurisdictionem

tribuunt, principia iuris c. 199, § 2, nos ad hanc conclusionem ducunt, facultates istas subdelegari actu vel habitualiter posse, si facultates pro ipso Legato concessas excipias.

Nova autem subdelegatio, sine auctoritate S. Sedis, c. 199, § 5 excluditur.

101. — Si quaeras de rationibus cur S. Sedes tam amplas facultates Legatis suis tribuat, nostrum non est easdem indagare. Utilitates autem ordinis superioris (omissa utilitate oeconomica quam taxae percipiendae dare possunt) has indicare possumus. Facultates istae Legati dignitatem augent et fiduciam S. Sedis demonstrant; — necessarios recursus ad S. Sedem minuunt; — ad frequens commercium cum Legato fideles invitant, ita ut Legati persona magis cognoscatur, atque ipsis collatis gratiis et beneficiis magis aestimetur et ametur.

RECENTIORES FACULTATES, DIE 21 IUNII 1920 IISDEM PONTIFICIIS ADMINISTRIS A S. C. CONSISTORIALI CONCESSAE.

102. — « *1. Vacante in territorio iurisdictionis Nuntii, Internuntii vel Delegati aliqua dioecesi, fas sit Nuntio, Internuntio vel Delegato, rogante Vicario capitulari vel Administratore dioecesis, eadem omnia concedere quae sunt in potestate ordinaria Episcopi* ».

Facultate ista permittitur ut Legatus Apostolicus omnem iurisdictionem et potestatem gratiosam seu voluntariam Episcopi exerceat in dioecesi quae sit in suo territorio, si praeterea vacet. Id tamen non potest nisi rogante eo cui procuratio dioecesis vacantis commissa est. Poterit igitur spirituales gratias, dispensationes largiri quas ius permittit episcopis; praeterea iurisdictionem pro confessionibus audiendis; facultatem pro assistentia matrimoniorum concedere: haec

omnia enim sunt concessiones ordinaria episcopi potestate comprehensas.

Ne tamen usus istius facultatis fiat ingratus aut invisus ei qui ipse habet, vacante Sede, ordinariam Episcopi potestatem, additur haec condicio : ut Vicarius capitularis vel Administrator usum istum rogaverit. Usus igitur praesentis facultatis subordinatur rogationi istius Vicarii vel Administratoris, iisdemque terminis circumscribitur. Rogatio autem esse potest specialis, pro tali usu ; et potest esse generalis, ut si, propter impeditas communicationes, Vicarius capitularis roget Legatum ut velit modo generali in tali regione ordinariam Episcopi potestatem gratiosam exercere.

103. — *Usus.* Etsi Capitulum, dein Vicarius vel Administer succedant in ordinariam Episcopi potestatem, plura tamen sunt quae episcopus poterat et quae ipsi facere vel concedere prohibentur, sive explicita iuris dispositione, sive implicite propter c. 436, « Sede vacante nihil innovetur ». (Cf. c. 431 et citandos canones.)

Itaque, rogante Vicario capitulari vel Administratore, poterit Legatus Apostolicus haec quae Vicarius non potest : indulgentiam 40 dierum concedere (c. 349); — canonicos honorarios nominare (c. 406, § 1) ; — sinere ut religiosa Congregatio condatur (c. 492, § 1); aut permittere ut religiosum Institutum domum in dioecesi erigat ; — associationes fidelium erigere vel consensum praebere pro earum erectione vel aggregatione (c. 686, § 4) ; — concedere extraneo episcopo usum Throni cum baldachino (c. 349) ; dimissorias litteras pro ordinibus concedere (c. 958, § 1, 3); excardinationem et incardinationem concedere (c. 113) ; consentire in permutationem beneficiorum (c. 1487, § 1); permittere collationem beneficii parochialis vel perpetui, etiam si sint liberae collationis (c. 1432, § 2).

104. — « *2. Quoties urgeat necessitas, evidens sit utilitas, et periculum sit in mora, facultas conceditur permittendi alienationes bonorum ecclesiasticorum vel piarum causarum, usque ad valorem 60 millium fr. pro regionibus Europae, et 100 millium extra Europam* ».

Ampliatur hic facultas alienandi bona sine beneplacito Apostolico, quod per se requiritur quando valor superatur 30000 fr. vel libellarum.

Sermo fit de bonis ecclesiasticis vel piarum causarum. Pia causa enim potest non esse persona moralis ; tunc autem eius bona non sunt ecclesiastica, ad tramitem c. 1497, § 1 qui ecclesiastica bona definit ea quae ad personam moralem in Ecclesia pertinent. Ut igitur nullus scrupulus habeatur, si alienandum sit bonum causae piae, ad eius bona facultas expresse extenditur.

Valor indicatur francis. Qui franci esse possunt belgici, gallici vel helvetici. Et secundum *nominalem* relationem (sic est praxis S. Sedis) ad alias pecunias, valor in aliis regionibus erit aestimandus. Itaque, 100 000 fr. adaequabuntur in America 20 000 dollari.

Ipsa autem alienatio communibus condicionibus alienationum bonorum ecclesiasticorum subiciuntur, addita necessitate ut periculum sit in mora.

105. — *Usus.* Cum periculum est in mora, per se non superest nisi ut agatur ex praesumpta facultate S. Sedis. Verum praesumptio huiusmodi, praesertim cum agitur de condicione ad valorem requisita, obnoxia est scrupulis et etiam abusionibus. Quocirca ab utroque incommodo facultate facta cavetur. Quia tamen, cum quis facultate expressa munitur, periculum in mora latius intellegi consuevit, inde non indefinite, sed intra certos terminos facultas continetur.

106. — « *3. Permittendi ingressum in seminarium illegitimis, dummodo non agatur de adulterinis aut sacrilegis, si de cetero, condiciones ad ingressum in pium*

locum necessariae habeantur, et firma obligatione recurrendi ad S. Sedem pro eorum sacra ordinatione ».

C. 1363, § 1, illegitimis directe vetat ingressum in seminarium quo iam indirecte prohibentur, propter irregularitatem, ex defectu natalium. Praesens facultas concedit ut Legatus ingressum permittat. Quae tamen licentia non est dispensatio ab irregularitate. Quare, instante ordinatione, haec dispensatio obtinenda erit. Nomine enim ordinationis sacrae, omnis ordinatio, immo collatio primae tonsurae comprehenditur.

107. — *Usus*. Saepe non expedit ut, ante probationem in seminario factam, dispensatio ab irreguluritate petatur quae fortasse inutilis dein futura sit. Prudens dilatio, sine incommodo, vi modo dictae potestatis admitti potest. Praeterea, etiam si petenda statim videatur dispensatio, dum haec exspectatur, iam poterit candidatus, ceterum, idoneus, in seminarium recipi.

108. — « *4. In locis ubi ob defectum vel nimiam distantiam parochorum succurrendum sit fidelium necessitatibus ope sacrarum missionum illuc identidem mittendarum, tribuendi praesidi aut Superiori missionis ut ipse, qua parochus, ceteri missionarii qua eius Vicarii cooperatores ea omnia possint pro fidelibus ad illam missionem pertinentibus, vel ad eam accedentibus, quae ceteri parochi et Vicarii cooperatores in suis paroeciis possunt.*

« *Item concedendi eidem praesidi seu Superiori missionis, in loco missionis ut supra, facultates quibus Vicarii generales pollent et quas canones 1043-1057 statuunt et Ordinariis pro matrimoniis tribuunt. Itemque concedendi potestatem confirmandi iuxta n. 32* Indicis.

« *Officii autem erit Superioris missionis docere Ordinarium loci de potestate sibi facta a Nuntio, Internuntio vel Delegato Apostolico, ab eoque obtinere, qua-*

tenus fieri possit missionis finium designationem ; expleta vero missione eidem Ordinario annotationem praebere de sacramentis in loco missionis administratis prout parochi pro sua paroecia tenentur.

« *Denique hanc potestatem poterit Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus in casibus particularibus subdelegare Episcopis qui in loco suae iusisdictionis sunt* ».

Itaque prima potestas Legato facta est ut, pro toto missionis tempore, praesidem missionis descriptae quasi parochum, missionarios vero quasi eius cooperatores constituat, ita ut omnia possint quae parochus et Vicarii cooperatores in suis paroeciis. Poterit ergo praeses omnia sacramenta paroecialia administrare, ordinariam iurisdictionem sacramentalem exercere, delegare alium sacerdotem pro assistentia matrimonii; quae delegatio poterit generalis esse pro aliis missionariis.

109. — Altera facultas permittit ut Legatus Apostolicus praesidi missionis communicet facultates matrimoniales quae, pro Vicariis generalibus seu Ordinariis locorum, resultant ex canonibus 1043 ad 1057. Facultates, inquam, *matrimoniales* : de aliis enim Vicariorum generalium facultatibus agi non putamus, quia particula *et* ambitum potestatis limitat. Secus, ut quid ista specificatio canonum de matrimonio ? Facultates quae resultant ex cc. 1043-1057 : non igitur facultates matrimoniales quas, ut Ordinarii locorum, Vicarii generales ex formulis facultatum SS. CC. obtinent. Si dein quaeras cur mentio fiat Vicariorum generalium, cum, deficiente Ordinario, ipse parochus vi cc. 1043 et 1045 facultatem dispensandi obtineat : respondemus Vicariis generalibus potestatem fieri delegabilem et, in casu perplexo, non circumscriptam casibus occultis. Cum hac igitur amplitudine facultas praesidi concedi potest. Cum enim, facta Legati concessione, praeses Vicario generali assimiletur, gene-

ralem ab ipso iure, ac proin subdelegabilem facultatem obtinuisse censendus est.

CC. 1043-1057 non solis Ordinariis sed etiam parochis, sacerdoti qui ad normam c. 1098, n. 2 matrimonio assistat, et confessariis facultates tribuunt; nec solas facultatibus conferunt, sed varia statuunt, tum de modo utendi his facultatibus (cc. 1046. 1047. 1048. 1049. 1050. 1056. 1057), tum de efficacia et vi concessae dispensationis (cc. 1047. 1051. 1052. 1054). Et canones 1053, 1055 sunt sine applicatione ad casum praesentem. Huc igitur redit facultas, satis parum definite concessa: quidquid potestatis in supradictis canonibus Vicariis generalibus conceditur, idem, servato modo his canonibus praescripto, a Legato Apostolico Superiori missionis tribui potest.

Practice itaque: *a*) facultas dispensandi in impedimentis matrimonialibus conceditur, urgente mortis periculo et in casu, proprie vel latius, dicto perplexo (cc. 1043. 1045); *b*) modus servandus is fere erit ut, excepta modica praestatione ex titulo expensarum cancellariae a non pauperibus exigi permissa, dispensatio gratis concedatur (c. 1056). Cum enim praeses possit eodem titulo agere quo Ordinarius loci, is autem non vi indulti sed vi iuris dispenset, canoni 1057, expressam mentionem indulti pontificii imperanti, locus esse non videtur; *c*) dispensatio facta ex c. 1051 prolem, non adulterinam vel sacrilegam, legitimabit; valori non obstabit error circa gradum, si verus gradus inferior erat gradu declarato, vel licet resicitum fuerit impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu (c. 1052); si dispensatio impedimentum minoris gradus affecerit, dispensatio vitio obreptionis vel subreptionis non vitiabitur.

Accurata annotatio in libro matrimoniorum vel in libro secreto erit quoque a praeside missionis procuranda, secundum praescripta cc. 1046 et 1047.

Praeterea, potest Legatus eidem praesidi concedere potestatem confirmandi, quae sub n. 32 Indicis facultatum supra memorata est.

110. — *Quaedam praesidi praestanda sunt.* I. e. *a*) debet Ordinarium loci de potestate sibi facta monere (non est tamen condicio valoris); *b*) ad dubia tollenda, fines geographici quibus missio concluditur, designandi sunt ab Ordinario loci (non a Legato): ergo praeses debet, prout fieri potest, hanc designationem obtinere. Quod si obtineri nequeat, facultates poterit exercere in territorio quod ex mente mittentis certo vel probabiliter missioni assignatur. Sufficit probabilitas, quia, etiamsi sit probabilitas facti, ex c. 209 novimus ab Ecclesia, in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, iurisdictionem pro utroque foro suppleri; *c*) de administratis sacramentis in missione, sicut parochus debet, Ordinarium loci certiorem reddere.

111. — *Usus.* Sicut in missionibus exteris, missionarii amplum suum territorium circumire consueverunt ut semel saltem in anno dispersis fidelibus occasionem sacramentorum offerrent, sic spirituali necessitati fidelium qui, etiam extra loca missionum, v. g. in partibus Americanis, nimis remoti degunt a suo parocho, vel omni parocho destituuntur, occurrendum videtur per sacras expeditiones illuc missas. Tunc vero utile esse ut congruis facultatibus missionarii muniantur per se perspicuum est.

112. — *De ambitu istarum facultatum.* 1. Cum, vi c. 248, competentia S. C. *Consistorialis* extra loca S. C. de *Prop. Fide* subiecta versetur, iisdem territoriis supra laudatae facultates sunt circumscriptae, nisi eaedem etiam Legatis regionum quibus praeest S. C. de Prop. Fide, v. g. Indiarum, concedentur.

2. Explicite conceditur ut facultas sub n. 4 a Legato Apostolico in casu particulari Episcopis suae iurisdictionis subdelegetur. Sed, ex regulis generalibus

de facultatibus habitualibus, etiam ceterae facultates videntur a Legato per se vel per subdelegatum exerceri posse. Menti tamen concedentis adversari videtur ut Legatus Apostolicus, per subdelegationem concedat, pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, facultatem quae Ordinariis expresse in Codice negatur.

QUAESITA VARIA

QUAESITA DE RELIGIOSIS.

1. Quo modo appellandus sit duplex multorum Institutorum finis.

Pleraque hodierna instituta, praeter sanctificationem sociorum, opera caritatis vel zeli pro fine habent. Porro, in schemate Constitutionum quod sic dictae *Normae* 1901 continent (nn. 42 et 43) finis sanctificationis dicitur *primarius* et generalis; dum alter, operum caritatis, *secundarius* et specialis vocatur.

Ut verum fateamur, is dicendi modus non videbatur valde accuratus, cum vera ratio Instituti condendi potius in zeli operibus quam in studio propriae perfectionis alendo reperiri possit. Sic censent apostolatum esse finem primarium Societatis Iesu (Cfr. v. g. ep. P. Generalis CENTURIONI, *De spiritu nostrae vocationis*, n. 6).

Recens E.mi Patres Congregationis *de Religiosis*, in plenario consessu mensis decembris, 1923, voluerunt ut in posterum finis non iam diceretur primarius vel secundarius, sed finis sanctificationis vocaretur *generalis*, alter vero *specialis* seu *particularis*. Quod votis nostris respondere non diffitemur.

2. De professione novicii vel probandi in articulo mortis.

1. Supra, in hoc tomo, p. 39, sub n. 7, exscri-

psimus declarationem die 29-30 dec. 1922 a S. C. de Religiosis datam, quae in ipsis *Acta Ap. Sedis,* inscribitur: « De professione religiosa in articulo mortis noviciis et *postulantibus* permissa ». Praeterea, in ipsa sua declaratione, Em. Patres loquentes de Superioribus qui vota ista recipere possent dixerunt: « praeter Superiorem monasterii aut domus noviciatus vel *probandatus* » quae duo verba bene respondent verbis tituli: noviciis vel postulantibus.

Inde exorta est quaestio utrum professio religiosa non solis noviciis sed etiam postulantibus permitti posset.

Quam quaestionem R. P. GOYENECHE, C. M. F. more suo erudite versat in *Commentarium pro religiosis*, 1923, p. 262. Negativam autem seu severam responsionem suam his duabus rationibus fulcit: *a*) quia in postulantibus deficiat prima condicio sic in declaratione expressa: « ut noviciatum seu probationem canonice inceperint »; *b*) quia neque in decreto *Spirituali consolationi*, quod confirmatur, neque in praesenti S. C. declaratione mentio fiat de postulantibus.

Sed si nomine *probandatus*, *probationis*, ipse postulatus intellegitur, utramque rationem simul ruere per se fit manifestum.

Iam vero mentio *Postulantium* in ipso titulo, ampliorem *probandatus* usum in ipsa declaratione saltem insinuat. Neque huic interpretationi opponi potest praecedens usus vocis in decreto *Spirituali consolationi*: tum quia, etiam si tunc de sensu strictiore constaret, dispositiones praesentis declarationis sunt, ut in textu legimus, ad sensum declarationum Em. Patrum accommodatae. Quare, etiam alii Superiores indicati sunt qui sint habiles ad recipiendam istam professionem. Praeterea, principium latae interpretationis, adhibendae in gratia quae, in ipso textu, benigna Sedis Apostolicae concessio esse dicitur, suadet ut no-

mine probandorum etiam postulantes comprehendamus.

Quid, quod dispositio fit partim inutilis, nisi sic vocabulum Probandorum intellegas. Cum enim novicii, iam qua tales, indulgentias, gratias et suffragia professorum participent, haec clausula solis postulantibus prodesse potest.

Denique, quod argumentum privati ordinis esse fatemur, compertum nobis est, hanc re vera fuisse mentem Em Patrum, ut etiam postulantibus vota in mortis articolo permitterent, ita ut haec sententia apud S. Congregationam praevaleat.

2. *Suntne verba quibus omnis alius effectus*, praeter indulgentiam et participationem suffragiorum etc. *excluditur*, ita *absolute sumenda* ut etiam vim maxime naturalem professionis impediant, i. e. obligandi professum ad vota servanda, quam diu subsistant, i. e. usque ad convalescentiam ?

Resp. Per se, professio ista sic concipi posset, ut, quamvis eius formula antea recitetur, tantum in ipso mortis puncto oblata censeatur, fere sicut indulgentia in articulo mortis in solo mortis instante operatur. Tunc praesentis quaestionis nullus locus foret. Verum de huiusmodi dilatione nullum indicium habetur, nec in C. S. Pii V, 23 aug. 1570, nec in decreto *Spirituali consolationi*, 10 sept. 1912 ; nec in decl. 30 dec. 1922. Contra, professionem statim a pronuntiata formula valere, plura demonstrant : v. g. *a)* effectus resolutorius convalescentiae, cuius mentio inutilis foret, si in solo mortis momento professio facta censeretur; *b)* verba : « si convalescat antequam tempus noviciatus exspiret », quae supponunt fieri posse ut solo hoc tempore expleto convalescat : quo casu, plura ibi indicata non erunt applicanda ; *c)* verba quae supponunt inter professionem et mortem testamentum fieri potuisse : « Si novicius *post* professionem, intestatus decedat ».

Quae cum ita sint, admitti posse non videtur ut S. Sedes, sine explicita declaratione, per ipsum tempus per quod permanent, omnem vim moralem a votis vere emissis auferre voluerit. Dicemus igitur absoluta alius effectus exclusione S. Congregationem respexisse ad iuridicos effectus circa patrimonium, et circa libertatem novicii et Instituti post convalescentiam.

3. **Quid**, si novicius nondum ea aetate fuerit ubi vota emittere potuisset? Condicio aetatis, quam S. Pius V expresse postulaverat, silentio praetermittitur. Et cum agatur de decreto favorabili, putamus, secundum litteralem vim verborum, omnem novicium vel postulantem, etiam iuniorem, in periculo mortis ad vota admitti posse.

4. Si novicius post absolutum noviciatus tempus convaluerit, debetne novam professionem facere? Eam facere debet, cum professio in periculo mortis fuerit sine temporis determinatione facta. Novam hanc professionem facere poterit, completo noviciatus tempore, sive adhuc aegrotaverit, sive postquam, ipsa convalescentia, prior professio sublata fuerit.

3. De dotis quantitate definienda.

Quaeres, num ipsa dotis quantitas sit in Constitutionibus monialium vel Sororum exprimenda?

Resp. Diu is fuit stylus S. C. *de Religiosis* in approbandis novis Constitutionibus ut summa pro dote exigenda ipsis constitutionibus definiretur. Verum hodie tam diversa est in diversis regionibus condicio rerum, tam incerta sunt in singulis nationibus adiuncta, ut universalis et perpetua definitio non possit esse nisi arbitraria et parum aequa, saltem pro Instituto quod longe et late diffusum sit.

Quare, ni fallimur, articulus de dote iam hoc modo in novis Constitutionibus scribi permittetur: Dotis exigendae quantitas decreto capituli generalis, habita quoque varia regionum condicione, definitur.

4. De ordine praecedentiae.

Quaestio. Cum ordo praecedentiae saepe ex antiquitate professionis sumatur, nonne qui hora octava matutina professionem fecit ei praecedere debet qui hora nona vota nuncupavit; nonne qui eadem numero die calendarii professionem fecerunt in dissitis mundi partibus, v. g. antipodum, sunt tamen inaequalis antiquitatis, secundum varios gradus longitudinis locorum ubi professionem emiserunt?

Resp. Haec horarum et longitudinis discrimina in antiquitatis computatione neglegenda sunt, nisi constitutiones explicite aliud ferant. Etenim, in his rebus usualis computatio attendenda est. Iam vero in ipsis professionum documentis soient diem, minime vero horam indicare, ita ut plerumque impossibilis fieret computatio per horas. Quis autem cogitaverit ad longitudinem attendere sive Americanus, sive Europaeus die 8 decembris professus sit?

Confirmatur responsio decreto S. C. *de Religiosis* 3 maii 1914, quod disponit: « annus noviciatus in posterum non stricte de hora ad horam sed de die in diem intellegi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium quae emissionem votorum sollemnium praecedere debent » (*Per.* VIII, p. 32). Ac secundum istud decretum statuit c. 34, 5° ut, cum agitur de triennio ad professionem perpetuam post temporariam, tempus finiatur eodem recurrente die quo incipit, sed novus actus per integrum eundem diem poni possit.

5. De ordinatione a proprio Superiore religioso.

Quaestio. Canon 959 istud notabile habet: « Qui potest litteras dimissorias ad ordines dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse si necessariam ordinis potestatem habeat ». Pleraque Instituta clericalia ex natura sua vel ex indulto hanc facultatem dandi dimissorias possident. Si ergo Superior

generalis, ut in Congr. de S. Spiritu, est episcopus, ipse poterit, vi citati canonis, suis alumnis omnes ordines conferre. Verum debetne ad tramitem c. 337, consensum episcopi loci postulare ut possit in illa dioecesi pontificalia exercere ?

Resp. Moderatorem generalem isto consensu non indigere, cum c. 959 ipsi definite, nulla addita condicione, potestatem tribuat conferendi suis sacros ordines.

Aliter dicendum esset de Antistite quem regulares invitarent ad ordinandos suos. Etiamsi ipsi possint ad quemlibet episcopum suos alumnos dimittere, facultas ordinandi sine litteris dimissorialibus episcopi loci non secum fert dispensationem a consensu Ordinarii loci ut alter episcopus in eius dioecesi pontificalia exerceat.

QUAESITUM DE CULTU PUBLICO.

Quaestio. Quando per viam ordinariam ad canonizationem servi Dei proceditur, prius demonstrandum est nullum cultum publicum « servo Dei fuisse praestitutum vel si quando per abusum praestitutus fuerit, sublatum fuisse » (c. 2000). Quod si constiterit cultum publicum fuisse praestitum, causa per aliquod tempus suspenditur, etiam postquam omnia signa vetiti cultus remota fuerint (c. 2085). Inter signa cultus publici, quae a BENEDICTO XIV, C. *Quamvis iusto* 30 april. 1749, numerantur, habetur istud : « lumen coram reliquiis accendere ». In Urbe tamen nonnullae candelae ardere solent coram exuviis Pii X, s. m. cuius causa nihilominus instruitur. Quomodo istud explicari potest ?

Resp. Re vera, lumina ista, per se cum C. Benedicti XIV aegre componi possent. Sed rogatus S. P. PIUS Pp. XI hanc gratiam s. memoriae sui decessoris tribuit, ut, sine praeiudicio causae canonizationis quattuor candelae, excluso omni alio cultus signo, ante sepulcrum accendi et lucere possent.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litterae encyclicae : De pace Christi in regno Christi quaerenda.

(A. A. S. 27 dec. 1922, 14, 673).

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pontifex conceptum ab initio consilium nunc exsequitur,

Ubi arcano Dei consilio ac nutu Nos, qui nullis sane meritis commendaremur, ad hanc et veritatis cathedram et caritatis evecti sumus, habuimus in animo, venerabiles fratres, vos unaque Nostros dilectos filios, quotquot sunt vestris proxime demandati curis, quamprimum per amantissimas litteras universos alloqui. Huius voluntatis indicium, vixdum electi dedisse videmur, cum ex edito Basilicae Vaticanae loco, in maxima hominum celebritate, Urbem atque orbem bene dicendo lustravimus : eamque benedictionem undique vos, sacro Cardinalium Collegio praeeunte, tanta cum gratulatione laetitiaque accepistis, quae Nobis, in subeundo, praeter exspectationem, huius officii onere suspensis, peropportuno atque, secundum divini auxilii fiduciam, maximo solacio fuerit. Nunc demum, Domini Nostri Iesu Christi adventante natali, sub initium alterius anni *os nostrum patet ad vos* ; (1) sitque vobis oratio No-

(1) II, *Cor.* VI, 11.

stra solemnium strenarum instar quibus fausta parentis omina ad filios deferantur.

ipsis tristibus et laetis sui Pontificatus primis eventibus de opportuno scribendi argumento edoctus

Id vero quominus maturius, ut erat in votis, efficeremus, aliae ex aliis causae usque adhuc prohibuere. Ac primo satisfaciendum catholicorum humanitati fuit, a quibus innumerabiles quotidie litterae afferebantur, beati Petri novum successorum salutantibus omni cum significatione flagrantissimae pietatis. Subinde ipsi experiri coepimus eam quae ab Apostolo memorata est, *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum;* (1) atque ad cumulandas Nostri muneris ordinarias curas haec accesserunt : ut negotia illa maximi momenti, quae Nos reperissemus inita, de Terra Sancta, deque christianorum ibidem statu et Ecclesiarum in primis illustrium, persequeremur ; ut apud victricium Civitatum conventus, in quibus nationum ageretur fortuna, memores Nostrarum partium, caritatis simul et iustitiae causam tueremur, hortantes praesertim ad habendam pro merito rationem rerum spiritualinm, quae non minus valerent, imo potiores ceteris essent ; ut dissitarum gentium immensitati, fame aerumnisque omnis generis tabescentium, subvenire omni ope conaremur, id quod fecimus, tum quamplurimum subsidii Nostrae patiebantur angustiae mittendo, tum orbis terrarum beneficentiam implorando ; ut in ipso populo, unde orti essemus, et quo in medio Petri Sedem Deus collocasset, eas quae per vim et violentiam dudum fiebant saepe contentiones, studeremus componere, quibus cara penitus Nobis civitas in extremum discrimen adduci videbatur.

Non defuerunt autem eodem tempore, quae Nos gaudio admodum compleverint. Equidem per eos dies in quibus vel XXVI coetus Eucharisticus omnium nationum, vel solemnia tertium saecularia post Sacrum Consilium Fidei Propagandae conditum acta sunt, tanta animus Noster perfusus est caelestium consolationum copia, quanta in exordio Pontificatus Nos frui posse vix sperabamus. Itaque licuit cum omnibus fere et singulis dilectis filiis Nostris Cardinalibus seorsum conferre sermones, itemque cum venerabilibus fratribus Episcopis tam multis, ut non facile plurium annorum spatio maiorem numerum essemus visuri. Magnas quoque Christifidelium catervas, quasi totidem delectas partes eius infinitae prope familiae quam Dominus Nobis crediderat, *ex omni tribu et lingua et populo et natione*, ut est in Apocalypsi, coram admittere et paterno alloquio recreare Nobis percupientibus licuit. — Tum vero di-

(1) II *Cor.* XI, 28.

vina quaedam rerum spectacula Nobis oblata sunt: cum Redemptor Noster Iesus Christus sub Eucharistiae velis delitescens, per urbem Romam, confertissimo piorum, qui undique confluxissent, comitatu, triumphantis ritu, circumferretur, ut in possessionem sibi debiti honoris, tamquam hominum et civitatum Regi, restitutus videretur; cum sacerdotes bonique laici, tamquam si delapsus iterum in eos Paraclitus esset, precum spiritu et apostolatus studio inflammatos animos vulgo ostenderent; cum vivax populi Romani fides, praeclaro Dei gloriae animarumque salutis emolumento, denuo, ut olim, annuntiaretur in universo mundo. Interim Maria Virgo Deipara eademque nostrum omnium benignissima Parens, quae quidem in suis aedibus vel Czenstochowae, vel Ostrabramae vel in illo prodigiali specu Lapurdensi, maxime autem Mediolani ex aëreo templi fastigio itemque ex propinquo sanctuario Rhaudensi Nobis olim arrisisset, gratum acceptumque habere visa est illud Nostrae pietatis officium, cum sacerrimae aedi Lauretanae, reparatis iis, quae vis incendii corruperat, venerabile ipsius simulacrum, apud Nos affabre refectum, Nostrisque manibus et consecratum et corona redimitum, restituendum curavimus. Omnino magnifice splendideque triumphasse et ipsam dixeris augustam Virginem: namque a Vaticano Lauretum usque, quacumque sancta imago transvecta est, perpetua quadam gratulationum serie religio populorum eam celebravit, omnibus ordinibus ex vicinia obviam effusis, qui sua in Mariam et in Vicarium Iesu Christi pientissima studia demonstrabant.

Horum vel laetabilium vel tristium eventorum admonitu, quorum hic memoriam commendatam volumus posteritati, sensim factum est ut magis magisque menti Nostrae pateret, quid Nobis in Pontificatu maximo deberet esse antiquius, quidque primum scribendo ad vos ediceremus.

De vera pace sollicitus malum praesens eiusque causas scrutari cogitat.

Hoc enimvero nemini est obscurum; nec hominibus singulis, nec hominum societati, nec populis, post illam belli calamitatem, adhuc pacem veri nominis esse quaesitam; actuosamque et fructuosam tranquillitatem, quam omnes expetunt, adhuc desiderari. Sed huius mali accurate primum attendenda est magnitudo et gravitas, tum causae et semina perscrutanda si quis velit, ut Nos volumus, opportunam ei medicinam admovere; idque aggredi, pro Apostolici officii conscientia, habemus Nobis propositum in his litteris, quod ipsum deinceps persequi numquam cessabimus. Nimirum eadem perseverant tempora, quae Benedicti XV, desideratissimi decessoris Nostri, animum toto Pontificatus cursu sollicitarunt; consequens est, ut easdem,

quas ille in hoc genere cogitationes habuit et consilia, Nosmet ipsi suscipiamus. Optandum est vero ut omnes boni idem sentiant idemque velint, ac Nos, operamque et studium Nobis navent ad veram diuturnamque hominibus reconciliationem a Deo impetrandam.

I. MALORUM DESCRIPTIO. *Inimicitiae externae.*

Mirum quam apte ad hanc aetatem quadrant illae voces prophetarum : *Expectavimus pacem, et non erat bonum ; tempus medelae, et ecce formido.* (1) *Tempus curationis, et ecce turbatio.* (2) *Expectavimus lucem, et ecce tenebrae :.... iudicium, et non est ; salutem et elongata est a nobis.* (3) Etenim, positis dudum per Europam armis, tamen scitis ex Oriente proximo novorum pericula bellorum ingruere ; ibidemque per immensos terrarum tractus, ut diximus, omnia plena horrorum esse et miseriarum, cum ingens calamitosorum quotidie multitudo, senum praesertim mulierumque et puerorum, fame, pestilentia, vastationibus intereat : quacumque autem nuper belligeratum est, veteres nondum quievisse simultates easque exerceri vel dissimulanter in politicis, vel tecte in rei nummariae varietatibus, vel patenter in quotidianis periodicisque scriptionibus ; vel in ipsos invadere fines earum rerum, quae suapte natura nihil habent acerbae contentionis, ut sunt artium studia et litterarum. Hinc inimicitiae offensionesque rerum publicarum mutuae populos respirare non sinunt ; nec solum victi cum victoribus populis, sed etiam qui vicerunt, ipsi inimice inter se agunt, cum alteri se a maioribus oppressos et exhaustos, alteri se minorum odiis insidiisque appetitos conquerantur. Incommoda autem confecti belli omnes omnino sentiunt civitates ; maxima quidem eae quae subactae sunt, sed non exigua vel illae quae bello abstinuerunt. Eademque, ob medicinae moram, in dies intolerabiliora fiunt ; praesertim cum ea quae ab hominibus politicis pluries usque adhuc instituta sunt consilia et conata, rebus medendi causa, nullum atque etiam opinione deteriorem exitum habuerint. Quare, ingravescente formidine ne calamitosiora posthac oriantur bella, necessitas quaedam omnibus civitatibus nascitur in bellico apparatu vivendi : ex quo cum exhauriuntur aeraria, tum generis robur consumitur, tum etiam et doctrinae studia et religionis consuetudo et morum disciplina perturbantur.

Ad externas autem populorum inimicitias adiunguntur, quod

---

(1) Ier. VIII, 15.
(2) Ier. XIV, 19.
(3) Ier. LIX, 9, 11.

peius est, intestina discidia, quibus et status civitatum et ipsa societas civilis periclitatur.

Discidia intestina, in re publica,

Primo loco ponenda est illa ordinum inter ipsos dimicatio, quae quasi ulcus mortiferum iam inveteravit in sinu nationum, operas, artificia, commercia, omnia denique privatae publicaeque prosperitatis elementa vulnerans. Atque huiusmodi labem usque reddit perniciosiorem accrescens bonorum externorum hinc aviditas, illinc tenacitas, et commune utrique parti habendi studium et imperandi. Inde operum vel voluntariae vel coactae cessationes saepe gignuntur: inde etiam populares motus coercitionesque publicae magna cum molestia omnium et detrimento.

Deinde in re publica fere solent partes, non, pro opinionum varietate, commune bonum sincere spectantes, inter se contendere; verum propriis servientes utilitatibus in perniciem ceterorum. Ergo cernere licet ut coniurationes increbrescant, ut insidiae, ut latrocinia in cives in ipsosque magistratus, ut terrores ac minae, ut apertae seditiones, ut alia id genus eveniant, quae quidem eo sunt graviora, quo amplius rem publicam populus, ut in his reipublicae formis, participat. Quas formas etsi Ecclesiae doctrina — ut cetera quae iure et ratione sunt instituta — non reiicit, tamen inter omnes liquet eas factionum improbitati facile patere.

in convictu domestico,

Iamvero valde dolendum est huiusmodi luem alte ad ipsas humanae societatis radices penetrasse, id est ad convictum domesticum, cuius quidem eversionem iam pridem inchoatam, multum promovit immensa belli clades, patres filiosque familias procul dissipando, morumque corruptelas multis modis augendo. Ita neque in honore solet esse patria potestas, neque in pretio consanguinitas, heri famulique hostium loco inter se habent, ipsa coniugii fides nimio saepius violatur, et sancta coniugum officia erga Deum civilemque societatem negliguntur.

in relationibus privatis

Atque uti, cum quodpiam corpus aut nobilem eius partem male habere contigerit, vel minima etiam ipsius membra non bene valeant necesse est, sic eas res, ex quibus consortionem humanam societatemque domesticam aegrotare vidimus, in homines singulos consentaneum est redundare. Etenim nemo ignorat, ex omni aetate omnique ordine, quam inquieti consueverint esse animi, quam morosi difficilesque; quantum obediendi fastidium quantaque laboris impatientia vulgo incesserit; quemadmodum fines verecundiae transierit, in vestimentis choreisque praesertim, feminarum puellarumque levitas, quarum luxuriosiore cultu inopum odia concitantur; denique ut crescat aeru-

mnosorum numerus, ex quo agmini seditiosorum perpetuae ingentesque accessiones fiunt.

Ergo pro fiducia et securitate ancipites curae sollicitique metus, pro sollertia et labore inertia et desidia, pro tranquillitate ordinis, quae res pacem continet, rerum omnium perturbatio et confusio dominatur. Quapropter iacent, ut vidimus, industriae civilis incepta; languent populorum inter se commercia; hebescunt litterarum artiumque studia; desideratur, quod longe est gravius, multis partibus, quae sit christianis digna, consuetudo vivendi, usque eo ut humana societas non modo non progredi ad omnem excellentiam, quemadmodum gloriari homines solent, sed ad barbarorum feritatem regredi videatur.

Inde regressus cultus civilis

His vero omnibus malis, quae memoravimus, addenda sunt quasi in cumulum ea quae quidem *animalis homo non percipit*, (1) sed tamen in maximis horum temporum numerari debent. Damna dicimus proprie facta in genere rerum spiritualium et supernaturalium, quibuscum animarum vita coniungitur, eaque, ut facile intelligitur, tanto sunt magis deploranda, quam bonorum externorum detrimenta, quanto concretionem mortalem spiritus exsuperat. Nam, praeter eam, quae modo dicta est, late fusam christianorum officiorum oblivionem, quantus Nobis, isque communis vobiscum, venerabiles fratres, est dolor, quod e compluribus templis in profanos usus bello conversis, non pauca sunt nondum sacris reddita; quod clausa illo ipso tempore clericorum plura seminaria, educandis in religione ducibus populorum et magistris, adhuc non adest facultas aperiendi; quod sacerdotum — quorum alios vis belli, in divinis ministeriis occupatos, interemit, alios offensionum magnitudo, sanctae immemores disciplinae, perdidit — fere ubique extenuata copia est; quod propterea nimis multis locis ea quae *in aedificationem corporis Christi* (2) omnino est necessaria, divini verbi praedicatio silet.

Damna ordinis spiritualis

Quid, quod ex ultimis terris atque ex intimis barbariae regionibus nostri Missionales ad belli labores adiuvandos, domum frequenter evocati, cum uberrimos campos, ubi utilissime, religionis humanitatisque causa, desudabant, reliquissent, haud ita multi ad stationes suas salvi reverterunt? Quamquam huiusmodi iacturas cum optimis etiam fructibus, aliqua ex parte, compensari vidimus: nam et evidentius apparuit — contra quam

in ipsis missionibus: haec tamen temperata.

(1) I *Cor.* II, 14.
(2) *Ephes*, IV, 12.

calumniari vulgus adversariorum consuevit — in animis sacricolarum patriae caritatem omniumque officiorum conscientiam vigere maxime; et militum plurimi, ipsis in faucibus mortis constituti, cum in sacrorum administris, ex quotidiana consuetudine, magnanimitatis et diligentiae eximia documenta suspicerent, cum sacro ordine Ecclesiaque in gratiam redierunt. Sed enim in hoc bonitas et sapientia Dei est admiranda, qui unus ex ipso malo bonum eliciat.

II. MALORUM CAUSAE

Hactenus de malis horum temporum. Nunc in causas, unde exstitere — tametsi de iis aliquid necessitate quadam iam attigimus — data opera inquiramus.

Concupiscentiae terrenae.

Principio videmur, venerabiles fratres, divinum humanarum infirmitatum consolatorem et medicum audire, sic iterum affirmantem: *Omnia haec mala ab intus procedunt.* (1) — Utique solemni pacto inter belligerantes convenit pax; sed illa consignata est publicis tabulis, non in animis inscripta hominum: vivunt ibi etiamnunc bellici spiritus atque inde civilem in convictum perniciose quotidie magis redundant. Diutius enim usque quaque violentiae ius exsultavit atque in hominibus eos natura insitos, quos christianae caritatis lex perfecerat, benignitatis misericordiaeque sensus paullatim obstupefecit; eosdemque haec pacis reconciliatio specie facta, non re, minime redintegravit. Ita apud longe plurimos diuturna invidendi consuetudo vim naturae iam obtinet; et coeca illa lex dominatur, quam Paulus Apostolus in membris suis legi mentis repugnantem ingemiscebat. Frequentius igitur evenire solet, ut homo homini non, ex Christi praecepto, frater, sed extraneus videatur et hostis; dignitatis ipsiusque personae humanae ratio paene habeatur nulla, vis dumtaxat valeat et numerus; alteri alteros opprimere contendant ob eam causam, ut bonorum huius vitae, quantum possint, potiantur. Scilicet nihil pervulgatius est inter homines quam bona sempiterna, quae Christus Dominus per Ecclesiam suam continenter proponit omnibus adipiscenda, negligere, et fluxarum et caducarum adeptionem in. satiabiliter appetere.

Atqui hoc habent bona externa ut, si immoderate appetantur, omne genus malorum pariant, depravationem morum imprimis et discordias. Etenim, ut per se vilia sunt et abiecta, animum sane non possunt explere hominis, quem a Deo factum destinatumque ad Dei fruendam gloriam, necesse est

(1) Marc. VII, 23.

sollicitum semper et inquietum vivere, donec in Deo conquiescat.

Praeterea, cum eadem sint angustis plane finibus circumscripta, quo plures fuerint qui ea participent, eo minus singuli accipient ; contra, ea quae sunt spiritus, etsi inter plures dispertita, tamen, omnes locupletando non ideo deminuuntur. Ex quo efficitur, ut terrenae res, quia nec omnibus aeque satisfacere nec plene exsaturare ullum possunt, idcirco et discidiorum evadant causae et aegritudinum, vereque *vanitas vanitatum.... et afflictio spiritus*, (1) quemadmodum eas sapientissimus omnium Salomon expertus appellavit. Id quod societati hominum accidit non secus ac singulis. *Unde bella et lites in vobis ?* inquit Iacobus Apostolus, *nonne hinc, ex concupiscentiis vestris ?*

Nam *concupiscentia carnis*, idest voluptatum cupitatibus, nullam capitaliorem pestem dixeris cogitari posse, non solum ad domus sed ad ipsas civitates perturbandas; *ex concupiscentia oculorum*, idest habendi cupiditate, acerbae illae nascuntur contentiones civilium ordinum, suis cuiusque commodis plus nimio inservientium ; *superbia vitae* autem, idest studio ceteris omnibus dominandi, adductae partes politicae sic inter se digladiari consueverunt, ut nec crimine maiestatis, nec perduellione, nec ipso patriae parricidio abstineant.

inter quas ipse immoderatus propriae nationis amor numeratur.

Atque huic quidem intemperantiae cupiditatum, specie scilicet se boni publici et caritatis patriae obtegenti, tribuendae profecto sunt quae inter nationes solent inimicitiae simultatesque existere. Etenim haec quoque patriae gentisque suae caritas, quamquam non parum habet ad plures virtutes atque ad fortia facinora incitamenti, si quidem lege christiana regatur, fit tamen multarum iniuriarum et iniquitatum semen, cum, aequi rectique fines praetergressa, in immoderatum creverit nationis amorem. Quo qui abrepti sint, ii profecto obliviscuntur, non modo populos omnes, ut partes familiae humanae universae, fraterna inter se consuetudine copulari, et aliis quoque gentibus ius esse vivendi et ad prosperas aspirandi fortunas, sed etiam nec licere nec expedire utile ab honesto seiungi. Nam *iustitia elevat gentes, miseros autem facit populos peccatum*. (2) Quod vero familiae vel civitati vel reipublicae comparatae sint, cum ceterorum detrimento, utilitates, id hominibus egregie magnificeque factum videatur, at nec stabile fore nec sine ruinarum metu, sapienter admonet Augustinus : « *vitrea*

(1) Iac. IV, 1.
(2) *Prov.* XIV, 34.

laetitia fragiliter splendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur ». (1)

Apostasia a Deo et a Christo.

Verum, quod pax abfuerit hodieque, cum tot sanatione malorum, desideretur, id altius etiam, quam adhuc fecimus, repetendum est. Iam enim multo ante quam Europa bello flagraret, vitio hominum civitatumque, praecipua tantarum calamitatum effectrix causa invalescebat, quam ipsa conflictus immanitas submovere de medio ac tollere certe debebat, si quidem omnes intellexissent quid maximis eiusmodi eventis significaretur. Illud Scripturarum quis ignorat? *qui dereliquerunt Dominum, consumentur;* (2) nec nota minus Iesu, Redemptoris hominum et magistri, ea gravissime dicta: *sine me nihil potestis facere,* (3) itemque: *qui non colligit mecum, dispergit.* (4)

in ordinanda re publica,

Quae Dei iudicia cum omni tempore ad effectum adducta sint nunc maxime sub omnium oculis efficiuntur. Quod enim homines a Deo et Iesu Christo misere desciverunt, idcirco de pristina rerum felicitate in hanc malorum colluviem demersi sunt, et hac ipsa de causa cadit plerumque irritum quidquid ii moliuntur ut damma reparent, et quantum ex tot ruinis reliqui est, tueantur. Itaque Deo et Iesu Christo a legibus et re publica submoto, iam non a Deo derivata sed ab hominibus auctoritate factum est ut - praeterquam quod legibus verae solidaeque sanctiones interceptae sunt summaque iusti principia, quae vel ethnici philosophi, Cicero, tantummodo lege Dei aeterna contineri perspiciebant - ipsa praeterea auctoritatis fundamenta convellerentur, principe sublatâ causa, cur aliis ius esset imperandi, aliis autem oficium parendi. Ex quo totam oportuit concuti societatem humanam, nullo iam solido fultam columine et praesidio, factionibus de imperio certantibus, ut suis, non patriae, commodis prospicerent.

familia,

Decretum pariter est, iam non Deum, non Christum Dominum constituendae primum familiae praesidere, reiecto inter civiles pactiones matrimonio, quod Christus *sacramentum magnum* (5) fecerat figuramque voluerat esse sanctam ac sanctificantem vinculi illius perpetuo mansuri, quo ipse cum Ecclesia coniungitur sua. Quamobrem vidimus religionis obscurari passim in populo intelligentiam sensumque obtundi, quem Ecclesia primo societatis germini, quod familia est, offuderat; domesti-

(1) S. August. *De Civ. Dei,* lib. IV, c. 3.
(2) Is. I, 28.
(3) Io. XV, 5.
(4) Luc. XI, 23.
(5) *Eph.* V, 32.

cum ordinem, domesticamque pacem, everti ; familiae communionem stabilitatemque cotidie magis labefieri, eiusque sanctitudinem tam frequenter sordidarum cupiditatum aestu ac mortifero viliorum utilitatum amore violari, ut fontes ipsi vitae cum familiarum, tum etiam populorum inquinarentur.

nstitutione entutis

Denique ab institutione iuventutis Deum et Christum eius segregari visum est : at necessario est consecutum, ut religio non tam a scholis abesset quam in scholis tacite vel etiam aperte oppugnaretur, et pueri sibi persuaderent, nihil aut certe parum ista omnia ad bene vivendum valere, de quibus aut nullus haberetur sermo aut verba utique plena contemptionis fierent. Ita vero, Deo eiusque lege e disciplina studiorum exsulantibus, iam non intelligitur quo pacto adolescentulorum animi ad malum devitandum atque ad aetatem honeste sancteque agendam instituti possint ; et simul, quemadmodum domestico et civili convictui copia suppetat hominum, qui sint bene morati, ordinis pacisque amatores et ad communem idonei utilesque prosperitatem.

Posthabitis igitur christianae sapientiae praeceptis, non est cur miremur, discordiarum semina ubique, tamquam opportuno in solo, sata, tandem in teterrimum illud erupisse bellum, quod vi et sanguine odia inter populos atque ipsos civium ordines vehementius aluit, nedum lassitudine restingueret.

II. REMEDIA.

Quoniam autem, venerabiles fratres, causas malorum, quibus societas hominum premitur, breviter perstrinximus, iam videamus quae ex ipsorum natura coniicere liceat apta societati sanandae remedia.

n cordibus tituta pax risti

Primum igitur omnium necesse est animos pacari hominum. Neque enim valde profutura sit ea exterior pacis species, qua, quasi comitate quadam, eorum inter se consuetudo regitur atque informatur ; sed tali opus est pace, quae pervadat tranquilletque animos, eosque ad fraternam erga ceteros benevolentiam inclinet et componat. Eiusmodi autem non est nisi pax Christi : *et pax Christi exsultet in cordibus vestris* ; (1) nec alia et dissimilis esse queat pax, quam dat ipse suis, (2) cum, Deus ut est, vel in medullas intueatur (3) inque animis regnet. Bene suam, ceterum, Dominus Iesus appellare hanc potuit pacem, qui primus hominibus edixerit : *omnes vos fratres estis ;* (4) et

(1) *Col.* III, 15.
(2) Io. XIV, 27.
(3) I *Reg.* XVI, 7.
(4) Matth. XXIII, 8.

legem promulgaverit mutuae inter universos omnes caritatis et patientiae, suo ipsius sanguine veluti obsignatam: *hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos* (1) - *alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi.* (2)

quae iustitiam supponit, caritate tamen temperatam;

Inde profecto consequitur, germanam Christi pacem non posse ab iustitiae norma deflectere, tum quia est Deus ipse qui *iudicat iustitiam,* (3) tum quia *opus iustitiae pax*; (4) verum nequit eadem tantummodo dura et quasi ferrea constare iustitia, sed temperari utique debet haud minore caritate, quae quidem virtus nata apta est ad homines cum hominibus placandos. Itaque huiusmodi pacem Christus humano generi comparavit, immo etiam, ut tam nervose Paulus, *Ipse est pax nostra,* quia, cum divinae satisfaceret iustitiae in carne sua per crucem, interfecit *inimicitias in semetipso,... faciens pacem,* (5) et omnes atque omnia Deo in se reconciliavit; atque in ipsa redemptione Paulus non tam iustitiae, ut demum est, quam divinum reconciliationis et caritatis opus considerat atque agnoscit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*; (6) *sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* (7) Ad rem aptissime, ut solet, scribit Angelicus Doctor, veram germanamque pacem ad caritatem potius quam ad iustitiam pertinere, cum haec quaecumque pacem impediant removeat, ut iniurias, ut damna; pax vero sit proprie ac peculiariter caritatis actus. (8)

bonis spiritualibus honos redditus;

Ad pacem igitur Christi, quae, a caritate profecta, penitus in animo insidet, ea iure accommodantur quae de regno Dei, qui sane per caritatem animos possidet, habet idem Apostolus: *non est regnum Dei esca et potus*; (9) id est pax Christi non caducis bonis, sed spiritualibus sempiternisque alitur, quorum excellentiam ac praestantiam Christus ipse, cum patefecit mundo, tum hominibus suadere non cessavit. Propterea enim dixit: *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?.* (10) Et docuit deinceps qua Christianus debeat

(1) Io. xv, 12.
(2) *Gal.* vi, 2.
(3) *Ps.* ix, 5.
(4) Is. xxxii, 17.
(5) *Eph.* ii, 14 et ss.
(6) II *Cor.* v, 19.
(7) Io. iii, 16.
(8) 2.a 2.ae q. 29, iii, ad 3.um.
(9) *Rom.* xiv, 17.
(10) Matth. xvi, 26.

esse constantia ac firmitate animi : *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* (1)

Non quo pace eiusmodi qui frui velit, is bona huius vitae repudiare debeat ; quin etiam his, ex ipsa Christi promissione, affluet : *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* (2) At vero : *Pax Dei exsuperat omnem sensum,* (3) et hac prorsus de causa caecis imperat cupiditatibus, et dissensiones discordiasque devitat, quas libido habendi necessario gignit.

Refrenatis igitur virtute cupiditatibus, redditoque honore suo iis quae sunt spiritus, illud sponte sequetur commodi, ut christiana pax, cum integritatem morum afferat, tum humanae personae dignitatem illustret ; quam quidem, postquam suo Christus redemit sanguine, Patris caelestis adoptio fraternaque cum ipso Christo necessitudo consecrat, orationes et sacramenta divinae tum gratiae participem tum naturae consortem efficiunt usque eo, ut, mortalis vitae bene actae praemio potita, in sempiternum divinae gloriae possessione perfruatur.

redintegrata
ra potestatis,
re publica et
milia.

Quoniam autem supra demonstravimus praecipuam quandam causam turbidarum rerum, in quibus vivimus, eam esse quod, valde imminuta sit vel iuris auctoritas vel verecundia potestatis - nimirum ex quo negari placuit ius potestatemque a Deo, mundi conditore et gubernatore, profectam - huic etiam incommodo pax Christiana medebitur, cum eadem divina sit pax, eoque ipso ordinem, legem imperiumque salva esse iubeat. Haec enim habent Scripturae : *Disciplinam in pace conservate.* (4) *Pax multa diligentibus legem tuam Domine.* (5) *Qui timet praeceptum in pace versabitur.* (6) Dominus vero Iesus non modo illud edixit : *reddite quae sunt Caesaris, Caesari* ; (7) sed etiam in ipso Pilato revereri se professus est potestatem ei datam desuper ; (8) quemadmodum discipulis praeceperat revererentur eos qui *super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei.* (9)

(1) Matth. X, 28 ; Luc. XII, 14.
(2) Matth. VI, 33 ; Luc. XII, 31.
(3) *Phil.* IV, 7.
(4) *Eccli.* XLI, 17.
(5) *Ps.* CXVIII, 165.
(6) *Prov.* XIII, 13.
(7) Matth. XXII, 21.
(8) Io. XIX, 11.
(9) Matth. XXIII, 2.

Mirabile est autem quantum in domestico convictu patriae potestati tribuerit, Mariae et Ioseph subditus in exemplum : cuius etiam est illa per Apostolos promulgata lex: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo.* (1)

Ad quae plurimum valet Ecclesia,

Quod si quis animadvertat, quae Christi consilia atque instituta essent de humanae dignitate personae, de morum innocentia, de obediendi officio, de societatis hominum ordinatione divina, de sacramento matrimonii deque familiae christianae sanctitudine, haec, inquimus, et talia dogmata quae de caelo in terras detulisset, ipsum Ecclesiae dumtaxat suae tradidisse et quidem cum pollicitatione solemni opis praesentiaeque numquam defuturae, eidem mandasse ut universis gentibus usque ad finem saeculorum, magistra fallendi nescia, nuntiare non desisteret, is profecto intelliget, quid et quantum afferre remedii ad res mundi pacificandas Ecclesia catholica et possit et debeat.

Nam quia una divinitus constituta est harum veritatum praeceptorumque interpres et custos, in ipsa unice vera et inexhausta quaedam facultas inest, ut cum a communi vita domesticaque societate et civili *materialismi* maculam, quae tanta ibi iam fecerat damna, prohibeat, christianamque disciplinam de spiritu, seu de animis hominum immortalibus, philosophia multo potiorem, eodem insinuet: tum ut omnes inter ipsos ordines civium ac plebem universam altioris quodam benevolentiae sensu et *quadam quasi fraternitate* (2) coniungat, ac singulorum quoque dignitatem hominum, iure vindicatam, ad Deum ipsum extollat; tum denique curet, ut, publicis privatisque moribus emendatis, sanctiusque institutis, omnia Deo qui *intuetur cor*, (3) plene subiecta, eiusdem et doctrinis et legibus penitus informentur atque ita omnibus sacri conscientia officii imbutis animis hominum, sive privatorum sive principum, ipsisque ordinibus publicis civilis societatis, *sit omnia et in omnibus Christus.* (4)

Quamobrem cum unius Ecclesiae sit, ex veritate qua pollet et virtute Christi, hominum recte conformare animos, ea sola potest veram Christi pacem non modo in praesens conciliare sed etiam confirmare in posterum tempus, nova, quae ingruere

(1) *Rom.* XIII, 1.
(2) S. August., *De moribus Ecclesiae Catholicae*, I, 30.
(3) *Reg.* XVI, 7.
(4) *Coloss.* III, 11.

diximus, bellorum pericula propulsando. Una enim, divino mandato iussuque, docet Ecclesia ad aeternam Dei legem omnia debere homines exigere, quaecumque ipsi agant, publice aeque ac privatim, singuli pariter ac societate coniuncti. Quae autem ad salutem multorum pertinent, apparet longe maioris esse momenti.

Cum igitur et civitates et respublicae sanctum et solemne habuerint, vel in domesticis vel in externis rationibus, doctrinis praescriptisque Iesu Christi obsequi, tum demum et apud se pace fruentur bona et mutua utentur fiducia, controversiasque, si quae forte suboriantur, pacifice diriment.

Quod si in hoc genere aliquid ad hunc diem tentatum est, id aut nullum aut exiguum sane successum habuit, maxime in iis rebus quibus inter se acerbius populi conflictantur.

quae divinum est institutum quo humanum, inter gentes, suppleri potest.

Etenim nullum est institutum hominum quod universis imponere gentibus queat communium quendam Codicem legum, his consonum temporibus; cuius generis habuit, aetate media, vera illa nationum societas, quae christianorum populorum communitas fuit. In qua, etsi re saepius omnino violabatur ius, ipsius tamen iuris sanctitas manebat in causa vigens, tuta veluti norma ad quam nationes ipsae iudicarentur.

At divinum est institutum, quod iuris gentium sanctitatem custodire potest; institutum scilicet et ad nationes omnes pertinens et nationibus supereminens omnibus, maxima quidem praeditum auctoritate ac plenitudine magisterii venerandum, Ecclesia Christi: quae una ad tantum idonea munus apparet tum ex divino mandato, tum ex natura ipsa et constitutione sua, tum denique e tanta saeculorum maiestate, ne belli quidem tempestatibus oppressa, sed potius mirabiliter aucta.

Remediorum summa est regnum Christi

Sequitur igitur ut pax veri nominis, nimirum optatissima pax Christi exsistere nulla possit, nisi Christi doctrinae, praecepta, exempla fideliter teneantur ab omnibus, in publicis privatisque vivendi rationibus; atque ita, hominum recta instituta communitate, Ecclesia tandem, divino suo munere fungens, Dei ipsius, quotquot sunt iura, tum in singulos homines tum in hominum societatem tueatur.

in singulorum mentibus

His enim continetur, quod brevi dicimus, *Regnum Christi*. Regnat siquidem Iesus Christus in mentibus *singulorum hominum* doctrinis suis, regnat in animis caritate, regnat in omni hominum vita legis observantia suae suorumque exemplorum imitatione. Regnat idem in *societate domestica*, cum haec christiani matrimonii sacramento constituta, tamquam res quaedam sacra, inviolate consistit, in qua parentum potestas paternita-

in societate domestica,

tem divinam exprimat unde oritur ac nominatur ; (1) ubi filii obedientiam Iesu pueri aemulentur, atque omnis vitae ratio sanctimoniam redoleat Nazarethanae Familiae. Regnat denique Iesus Dominus in *societate civili,* cum, summis in ea Deo tributis honoribus, ab eodem auctoritatis origo et iura repetuntur, ne vel imperandi norma desit, vel parendi officium et dignitas ; ac praeterea in eo dignitatis gradu statuitur Ecclesia in quo a suo ipsius Auctore collocata fuit, perfectae societatis ceterarumque societatum magistrae ac ducis ; eiusmodi videlicet quae non potestatem ipsarum imminuat - sunt enim in suo quaeque ordine legitimae - sed quae opportune perficiat uti gratia naturam ; unde nimirum societates eaedem hominibus valido praesidio sint ad supremum finem attingendum, quae beatitas est sempiterna, ac securius hanc ipsam civium mortalem vitam fortunent.

in societate civili

Ex his liquet nullam esse Christi pacem nisi in regno Christi ; nec vero posse nos contendere efficacius ad pacem constabiliendam, quam Christi regnum instaurando.

IV. INTENTUM PONTIFICIS. *Proposita Pii X*

Cum igitur Pius X *instaurare omnia in Christo* niteretur, is, divino tamquam afflatu permotus, opus illud parabat *reconciliandae pacis,* quod deinde fuit Benedicti XV propositum. Nos, ea simul persequentes quae ambo decessores Nostri assequenda sibi proposuerunt, id maxima contentione studebimus, *pacem Christi in regno Christi,* quaerere, Dei scilicet gratia omnino confisi, qui Nobis, in hac summa potestate tradenda, perpetuo se affuturum polliceretur.

et Benedicti XV coniungens, Pontifex pacem Christi in regno Christi quaerere studebit.

In hanc rem, bonorum omnium auxilium expectantes, vos imprimis, venerabiles fratres, appellamus, quos ipse Dux noster et Caput Christus, qui Nobis universi gregis sui curam commisit, in partem sollicitudinis Nostrae vocavit sane praestantissimam, vos nempe positos a Spiritu Sancto *regere Ecclesiam Dei,* (2) vos *ministerio reconciliationis* praecipue insignitos *pro Christo legatione fungentes* (3) eiusdemque et magisterii divini participes et *dispensatores mysteriorum,* (4) ac propterea *sal terrae* nuncupatos et *mundi lucem,* (5) christianorum doctores populorum ac patres, *formam gregis factos ex animo* (6) et

Episcoporum operam appellans,

(1) *Ephes.* III, 15.
(2) *Act.* XX, 26.
(3) II *Cor.* V, 18, 20.
(4) I. *Cor.* IV, 1.
(5) Matth. V, 13, 14.
(6) I. Petr. V, 3

magnos etiam vocandos *in regno caelorum;* (1) vos denique omnes, quibus, veluti artubus praecipuis et aureis quibusdam nexibus *compactum et connexum totum corpus* Christi, (2) quod est Ecclesia, constitutum in Petrae soliditate, consurgit.

Eximiae autem sollertiae vestrae novum illud ac recens argumentum accessit, cum, per occasionem, quam sub initium harum litterarum commemoravimus, Romani Conventus Eucharistici et saecularium sollemnium S. Congregationis a Propaganda Fide, quam plurimi ex omnibus terrarum orbis regionibus in almam Urbem ad Apostolorum sepulcra convenistis. Tum vero coetus ille Pastorum celebritate et auctoritate amplissimus hanc Nobis mentem iniecit suo tempore cogendi in hanc eandem Urbem, orbis catholici caput, solemnem eiusdem generis consessum, qui collapsis rebus, post tantam societatis humanae turbationem, medicinam adhibeat peropportunam; huiusque rei spem bonam auget *Anni sancti,* qui appropinquat, auspicata faustitas.

et non alienus ab instaurando concilio occumenico Vaticano, sollemnem saltem consessum, occasione anni sancti cogere in animo habet.

Necdum tamen audemus in praesenti aggrediendam Nobis proponere illius Concilii oecumenici instaurationem, quod nostrae memoria iuventutis, sanctissimus Pontifex Pius Nonus inchoavit, sed eius partem dumtaxat, quamvis permagni momenti, perfecit. Cuius rei id profecto est causae, quod Nos quidem, ut dux ille Israelitarum clarissimus, precibus veluti suspensi expectamus dum bonus ac misericors Deus suae Nobis certius voluntatis consilium aperiat. (3)

Laudato episcoporum zelo,

Inter haec vero, quamquam optime novimus sollertiae vestrae ac navitati nullos esse stimulos admovendos, at meritissima potius laudum praeconia tribuenda, conscientia tamen apostolici muneris Nostrique in omnes paterni officii Nos admonet ac paene compellit, ut vestrum omnium quantumvis incensa studia novis quodammodo igniculis inflammemus: ex quo certo fiat ut, quas singuli singulas sortiti estis pascendas dominici gregis partes, eas impensioribus in dies curis prosequamini.

ipsis commendat pias consociationes

Equidem quam multa, quam praeclara quamque opportuna, decessoribus Nostris vobisque auctoribus, apud clerum omnemque populum fidelem et sapienter excogitata sint, et feliciter inchoata atque etiam salubriter perfecta et pro hominum adiunctis singulari cum laude absoluta, tum ex publica fama, editis etiam scriptis disseminata, aliisque monumentis confirmata, tum e privatis uniuscuiusque vestrum et aliorum complurium nuntiis

(1) Math. V, 19.
(2) *Ephes.* IV, 15, 16.
(3) *Iudic.* VI, 17.

ad Nos delatis cognovimus, et gratias immortali Deo agimus quantas maximas possumus. In his incepta praesertim suspicimus multa eademque providentissime ad animos vel sanis doctrinis instruendos, vel virtutibus ac sanctitate imbuendos: item coetus clericorum laicorumque, seu pias uniones quas vocant, sacris inter infideles expeditionibus sustentandis provehendis, ad regnum Christi Dei amplificandum salutemque et temporariam et sempiternam barbaris gentibus importandam ; tum sodalitates iuvenum, et numero auctas et pietate in beatam Virginem atque in sacram praesertim Eucharistiam singulari, cum eximia fidei, castimoniae, interque ipsos veluti fraternae benevolentiae laude coniuncta. Consociationes addimus alias virorum, mulierum alias atque eucharisticas in primis, quae augustum Sacramentum cum frequentioribus tum solemnioribus prosequendum honoribus curant, pompis etiam magnificentissimis vicatim per urbes deducendis, conventibus item cogendis celeberrimis vel e confluente vicinia vel e popularium multitudine vel denique ex externorum quoque legatis populorum prope omnium, omnibus tamen una fide, adoratione, prece, fruitione caelestium bonorum mirifice copulatis.

cultum divini cordis

Huic iam pietati acceptum referimus sacri spiritum apostolatus latius multo diffusum quam antea, id est studium illud ferventissimum precibus primum assiduis exemplisque vitae, deinde verbis bonis scriptionibusque frugiferis ac ceteris etiam caritatis operibus adiumentisque enitendi, ut cum in singulis animis hominum, tum in domestica ipsa et in civili communitate divino Cordi Christi Regis debitus in primis amor, cultus et imperium restituatur. Huc item spectat *bonum certamen*, veluti pro aris et focis, ineundum praeliumque multiplici e fronte committendum pro iuribus societatis religiosae ac domesticae, Ecclesiae ac familiae, a Deo naturaque profectis, de ipsa liberorum institutione. Huc denique pertinet omnium eorum summa seu complexio, institutorum, consiliorum, et operum quae nomine *actionis catholicae*, Nobis carissimae, perhibentur.

actionem catholicam

Iam haec omnia, aliaque id genus permulta, quae commemorare longum est, non modo firmiter retinenda sunt, verum etiam studiosius provehenda in dies, novisque incrementis augenda, prout rerum hominumque condicio postulat. Quod si ardua haec videantur et Pastoribus ac fidelium gregibus laboriosa, at eadem procul dubio necessaria sunt et in praecipuis sacri pastoris officiis ac vitae christianae rationibus posita. Iisdem de causis apparet, - et multo clarius nimirum, quam ut illustrari oporteat, - quantopere sint ea nexa inter se omnia et

coniuncta cum illa regni Christi instauratione quae in votis est pacisque reconciliatione christiana, quae huius est unius regni propria : *pax Christi in regno Christi*.

Laudat sacerdotes iisque coniunctionem cum episcopo suo commendat;

Atque illud velimus Sacerdotibus vestris renuncietis, venerabiles fratres, Nos, tot laborum impigre pro Christi grege susceptorum cum testes tum socios dudum atque participes semper maximi fecisse et facere eorum sive in laboribus perferendis magnanimitatem sive industriam in novis usque rationibus inveniendis, quibus novis necessitatibus occurratur quas temporum vices induxerint ; eosdemque Nobis eo arctiore unitatis vinculo, Nosque vicissim ipsis paterna benignitate coniunctos fore, quo libentius arctiusque Pastoribus, tamquam Christo ipsi, ducibus et magistris, et vitae sanctitate et obedientiae integritate adhaeserint.

merita effert cleri regularis.

Quantam vero, venerabiles fratres, pro nostris propositis cogitatisque ad rem deducendis in Clero regulari spem reponamus non est cur longo exsequamur sermone, cum compertum vobis sit quantum is quidem conferat ad Christi regnum et domi confirmandum et foris dilatandum. Etenim cum hoc suum habeant religiosarum familiarum alumni, ut Christi non modo praecepta sed etiam consilia servent exerceantque, iidem vel in sacrorum septorum umbratili palaestra rebus caelestibus operam dantes vel in apertum campum progredientes, dum perfectae christianae vitae speciem ad vivum sua vita exprimunt et sese totos bono communi devoventes, quo uberius spiritualibus bonis potiantur, a rebus omnibus terrenis suisque commodis abdicant, Christifideles, veluti exemplo continenter ob eorum oculos proposito, ad altiora appetenda provocant ; idque feliciter assequuntur, adiectis etiam praeclaris christianae beneficentiae officiis qua omnibus corporum animorumque languoribus medentur. Qua in re, ut ecclesiasticae historiae monumenta testantur, eo usque, divina urgente caritate, saepe sunt progressi ut in evangelii praedicatione pro animarum salute vitam profunderent, et sua ipsorum morte Christi regni fines, fidei unitate christianaeque fraternitatis propagata, amplificarent.

Nobilitatem exaltat universi populi christiani, qui et ipse de communi pace optime merert potest.

Illud porro in Christifidelium mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam tum demum maxime digni sunt qui salutentur *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ;* (1) tum demum, et ipsi Nobiscum et cum Christo arctissime coniuncti

(1) I *Petr.* II, 9.

Christi regno sua industria et navitate propagando et instaurando, de communi hominum inter se pace optime merentur. Haec enim vera quaedam iurium aequalitas in regno Christi viget floretque, ut omnes eadem nobilitate insignes, eodem Christi sanguine pretioso condecorentur; qui autem praeesse ceteris videantur, Christo Domino ipso suo exemplo praeeunte, communium bonorum administri ac proinde famuli omnium famulorum Dei, infirmorum praesertim atque omni ope destitutorum, et iure vocentur et sint.

V. CONSILIA VOTA, MONIT

Attamen, quae rei socialis commutationes id genus adiutorum in opere divino persequendo necessitatem vel induxerunt vel auxerunt, eaedem nova pericula nec pauca nec levia imperitis peperere. Etenim, teterrimo bello vix dissipato civitatibus deinde partium agitatione perturbatis, ea hominum mentes animosque studia effrenata pervaserunt, eaeque opinionum perversitates, ut iam sit extimescendum ne optimus quisque Christifidelium atque etiam sacerdotum, falsa veri bonique specie allectus, lugenda errorum contagione inficiatur.

Omnibus au tem vitanda sunt praesent. pericula:

Quot enim sunt qui catholicas doctrinas profiteantur in iis quae spectent vel ad civilis societatis auctoritatem debitumque obsequium eidem habendum, vel ad ius proprietatis, vel ad agricolarum et opificum iura et officia, vel ad necessitudines civitatum inter ipsas aut inter opifices et dominos vel ad rationes mutuas inter ecclesiasticam potestatem civilemque vel ad Sanctae Sedis iura Romanique Pontificis atque ad Episcoporum privilegia vel ad ipsa denique iura Christi Conditoris, Redemptoris ac Domini in homines singulos populosque universos? Iidem vero sermonibus, scriptis, omnique vivendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinae praeceptaque toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII praesertim, Pio X ac Benedicto XV, promulgata, aut nativum robur amisissent aut penitus obsolevissent.

Modernismu moralis, iurid cus et socialis

In quo genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum; quod quidem, una cum modernismo illo dogmatico, impense reprobamus.

Illae igitur doctrinae revocandae sunt ac praecepta quae diximus; excitandusque in omnibus idem fidei divinaeque ardor caritatis, qui unus possit et illarum plane sensum aperire et horum observantiam urgere. Quod potissimum in christiana iuventute instituenda praestari volumus, in illa maxime quae feliciter in spem sacri ordinis adolescit; ne ea videlicet in hac tanta rerum conversione atque opinionum omnium perturbatione, fluctuans, ut ait Apostolus, *circumferatur omni vento do-*

Excitandusq est fidei et c ritatis ardor, praecipue in i ventute, maxi clericali insti- tuenda.

ctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. (1)

Vota de reducendis hominibus ad ovile Christi;

Ex hac vero Apostolicae Sedis veluti specula et quasi arce circumspectantibus Nobis, venerabiles fratres, nimis adhuc multi occurrunt qui vel Christum penitus ignorantes vel non eius integram germanamque doctrinam, praescriptamque unitatem retinentes, necdum *sunt de hoc ovili,* ad quod tamen divinitus destinantur. Quamobrem qui Pastoris aeterni gerit vices, facere non potest quin et iisdem studiis inflammatus, easdem voces usurpet, brevissimas illas quidem sed amoris atque indulgentissimae pietatis plenas: *Et illas* (oves) *oportet me adducere;* (2) itemque memoria repetens, laetitiis omnibus excipiat eiusdem illud Christi vaticinium: *Et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus Pastor.* (3) Atque ita faxit Deus ut quod Nos vobiscum, venerabiles fratres, vestroque cum coetu Christifidelium concordibus votis precibusque imploramus, hanc suavissimam divini Cordis certamque vaticinationem quamprimum videamus optatissimo eventu comprobatam.

his favet principum revocata cum S. Sede amicitia.

Huius autem religiosae unitatis veluti auspicium quoddam affulsisse visum est cum illud accidit, quod minime vos latet, praeclare factum, hoc quidem postremo tempore, omnibus inexpectatum, nonnullis etiam fortasse iniucundum, Nobis certe vobisque iucundissimum: principes plerosque viros ac nationum rectores paene omnium, uno veluti instinctu pacis permotos, cum hac Apostolica Sede seu veterem revocare amicitiam, seu primum pacisci concordiam quasi certatim voluisse. Quod equidem Nos iure gaudemus, neque id propter amplificatam solum Ecclesiae auctoritatem, sed ob auctum etiam eiusdem beneficentiae splendorem, subiectamque omnibus experientia virtutis sane mirificae qua haec una Dei Ecclesia valet ad prosperitatem omnem, civilem etiam ac terrenam, hominum societati comparandam.

Quamquam enim ea, divino iussu, rectâ spiritualibus nec perituris bonis intendit, tamen, ut omnia sunt apta inter se ac nexa cohaerent, prosperitati etiam terrenae tum singulorum hominum, tum ipsius humanae societatis sic favet ut plus favere minime posset, si iisdem omnino provehendis instituta esse videretur.

Vindicatio iurium Ecclesiae.

Quod si terrenis hisce negotiis mereque politicis mode-

(1) *Eph.* IV, 14.
(2) Io. X, 16.
(3) Ibid.

randis, sine ratione, se immiscere nefas putat Ecclesia, eadem tamen iure suo contendit ne quid inde causae praetendat civilis potestas, sive altioribus illis bonis, quibus salus hominum sempiterna continetur, quoquo modo obsistendi, sive damnum perniciemve iniquis legibus iussisque intentandi, sive divinam Ecclesiae ipsius constitutionem labefactandi, sive denique sacra Dei iura in civili hominum communitate conculcandi.

Eodem igitur prorsus proposito, iisdem etiam verbis usi, quibus desideratissimus, quem saepius appellavimus, decessor Noster, Benedictus XV, in extrema illa sua Allocutione die XXI Novembris superioris anni habita, quae de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem societatem ordinandis fuit, sancte professus est, et ipsi Nos profitemur ac denuo confirmamus : « in pactiones huiusmodi Nos minime passuros ut quidquam irrepat quod sit ab Ecclesia alienum dignitate aut libertate ; quam quidem salvam esse atque incolumem, vehementer interest, hoc maxime tempore, ad ipsam civilis convictus prosperitatem ».

Discidium inter Italiam et S. Sedem deplorans, expostulationes decessorum suorum ad iura Ap. Sedis dignitatem que defendendam renovat.

Quae cum ita sint, quo animi dolore in tot nationum numero, quae cum hac Apostolica Sede amicitiae vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere ; Italiam inquimus, patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam, in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma urbs, domicilium quondam imperii, amplissimi sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet ; quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius Principatus et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanae potestati, nullis legibus (licet hae Romani Pontificis libertatem quibusdam praesidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, at sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat.

Verum illa libertatis praesidia, quibus divina ipsa Providentia, humanarum rerum gubernatrix atque arbitra non solum sine detrimento, sed magno cum Italiae emolumento, Romani Pontificis auctoritatem communiverat ; praesidia illa quae tot saeculis divino eiusdem libertatis tutandae consilio apte responderant, quorum nec divina hodiedum Providentia indicavit neque hominum consilia quidquam simile invenerunt quod eadem praesidia congruenter compensaret ; praesidia illa hostili vi

protrita atque etiamnum violata absonam eam Romano Pontifici vitae condicionem effecerunt quae omnium Christifidelium per orbem universum animos gravi perpetuaque tristitia perfundat. Nos igitur, decessorum Nostrorum heredes ut consiliorum ita et officiorum, eademque praediti auctoritate, cuius solius est de re tanti momenti decernere, non equidem inani quadam terreni regni cupiditate adducti, qua vel leviter moveri prorsus Nos puderet, verum de humano exitu Nostro cogitantes, memores severissimae rationis, quam divino Iudici reddituri sumus, pro Nostri sanctitate officii, quas iidem decessores Nostri ad iura Apostolicae Sedis dignitatemque defendendam expostulationes fecerunt, easdem Nos hoc loco renovamus.

Nihil tamen rimenti Ita- a S. Sede tuendum ha-

Ceterum nihil erit umquam Italiae ab hac Apostolica Sede metuendum detrimenti; siquidem Pontifex Romanus, quicumque demum ille fuerit, is profecto semper erit qui illud Prophetae ex animo usurpet: *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis,* (1) pacis, inquimus, verae ac propterea minime a iustitia seiunctae, ut iure possit subdi: *Iustitia et pax osculatae sunt.* (2) Dei autem omnipotentis miserentisque erit efficere ut haec laetissima dies tandem illucescat, bonorum omnium fecundissima tum regno Christi instaurando tum Italiae rebus universique orbis componendis: ne vero id frusta fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam diligenter.

Hortatio ad andum

Quae pacis munera suavissima quo citius hominibus tribuantur, omnes Christifideles enixe adhortamur ut una Nobiscum sanctis precibus insistant, per hos praesertim dies Natalis Christi Domini, *Regis Pacifici,* quo mundum ingrediente, angelicae militiae primum concinuere: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* (3)

Benedictionis postolicae gnus

Huius denique pacis quasi pignus volumus esse, venerabiles fratres, Apostolicam benedictionem Nostram, quae et singulis e clero populoque fideli et civitatibus ipsis domibusque christianis fausta omnia portendens, tum vivis prosperitatem afferat tum vita functis requietem et beatitatem sempiternam: eamque benedictionem vobis et clero populoque vestro, testem benevolentiae Nostrae, amantissime impertimus.

Dies (23 dec.. 23).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Decembris MDCCCCXXII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. XI

---

(1) Ier. XXIX, 11.
(2) *Ps.* LXXXIV, 11.
(3) Luc. II, 14.

ANNOTATIO

Praeclari istius monumenti commentarios facere, a nostro proposito alienum est. Ita autem summulas marginales conficere studuimus ut eius ordinis ac divisionum ratio sub oculis legentium poneretur.

---

2. — PII PP. XI

Litterae encyclicae 26 ian. 1923 de S. Francisco Salesio (Excerpta)

(A. A. S. 1 feb. 1923, XV, 49)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Memorantur ltt. Enc. **Ubi Arcano,** *Pontifex missionem sanctificandi qua Ecclesia apud singulos et soc. civilem fungitur.*

Rerum omnium perturbationem, quae nunc adest, cum proxime in Encyclicis Litteris consideraremus medendi gratia, vidimus in ipsis hominum animis inhaerere malum, eiusque sanationem tum demum sperari posse si Iesu Christi medica per Ecclesiam sanctam manus invocetur. Etenim haec tanta cohibenda est intemperantia cupiditatum, quae, bellorum litiumque causa princeps, sicut communem vitae consuetudinem, ita nationum commercia pervertit; deducendae simul a fluxis caducisque bonis mentes singulorum, atque ad sempiterna et immortalia, quorum incredibilis incuria plerisque incessit, convertendae. Cum autem singuli fere officium sancte servare instituerint, eo ipso melius erit humanae societati. Atqui huc omne spectat cum magisterium tum ministerium Ecclesiae catholicae, ut homines et traditae divinitus veritatis praedicatione erudiat et uberrimis divinae gratiae effusionibus sanctificet; atque ita hanc ipsam civilem societatem, quam olim ad christianos spiritus conformavit et finxit, ubi de via deflectentem animadverterit, revocare in pristinum contendat.

Ecclesia vero huiusmodi sanctificationis opus apud universos omnes felicissime persequitur, quoties, Dei beneficio ac munere, ei contingit alios ex aliis egregios filios ad imitandum vulgo proponere, qui in omnium exercitatione virtutum admi-

rabiles exstiterunt. Quod quidem admodum ea facit suae ipsius naturae congruenter, cum a Christo auctore suo sancta constituta sit et sanctitatis effectrix, cumque omnes, qui ea duce magistraque utuntur, ex Dei voluntate ad vitae sanctimoniam niti debeant. *Haec est voluntas Dei*, ait Paulus (1), *sanctificatio vestra ;* quam quidem cuius generis esse oporteat, Dominus ipse sic declarat : *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est.* (2) Nec vero quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos id pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere. Tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto ; nec, ceteroquin, quotquot ad christianae perfectionis fastigium perveneruntur, quos quidem paene innumerabiles ex omni aetate atque ordine fuisse testatur historia, iis aut non eadem, quae reliquis, naturae infirmitas obtigit, aut non similia fuerunt pericula obeunda. Scilicet, ut praeclare Augustinus : *Non Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis.* (3)

Universalis lex sanctificationis,

Cuius studium excitatur celebratis sanctorum saecularibus festis anno superiore, et nunc trecentesimo natali S. Fr. Salesii, qui vita et doctrina errorem profligavit existimantium nimis arduam sanctitatis catholicae semitam.

Iamvero, Venerabiles Fratres, quae peracta est superiore anno commemoratio sollemnis de nostris illis heroibus Ignatio Loyoleo, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, Theresia a Iesu et Isidoro Agricola, qui tertio ante saeculo in album Sanctorum adscripti essent, ea non parum visa est ad christianae vitae studium in populo excitandum valuisse. Nunc autem auspicato accidit caelestis natalis trecentesimus sanctissimi viri, qui non solum ipse virtutum omnium excellentia eluxit, sed etiam magisterio ac disciplina sanctitatis. Franciscum Salesium dicimus, Episcopum Genevensem et Ecclesiae Doctorem, qui quidem, non secus atque illa christianae perfectionis sapientiaeque lumina quae memoravimus, videtur oppositus esse a Deo Novatorum haeresi, unde illa exorta est humanae societatis ab Ecclesia defectio, de cuius tristibus acerbisque eventibus hodie optimus quisque merito conqueritur. Atque etiam videtur Salesius singulari Dei consilio Ecclesiae datus, ut et actione vitae suae et doctrinae facultate opinionem illam profligaret eius temporibus iam inveteratam, quae ne hodie quidem refrixit, veri nominis sanctitatem, qualem catholica proponit Ecclesia, aut adaequari non posse, aut certe tam arduam esse ad assequendum, ut in plerosque fidelium minime cadat, sed paucis

(1) I *Thess.*, IV, 3.
(2) MATTH., V, 48.
(3) S. AUG., I, *De natura et gratia*, c. 43, n. 50.

tantummodo, iisque magno atque excelso animo praeditis, conveniat ; eandem, praeterea, tantis implicare fastidiis ac taediis, ut ad viros mulieresque extra claustra degentes neutiquam accommodetur. Itaque desideratissimus decessor Noster Benedictus XV, cum de illis quinque caelitibus sollemnem sermonem haberet, beatum Francisci Salesii obitum attingens proxime celebrandum, proprias hac de re Litteras se ad Ecclesiam universam daturum pollicebatur. Hoc Nos decessoris propositum, tamquam hereditate acceptum, libentissime exsequimur, eo magis quod sperare licet, futurum, ut commemorationis haud ita multo ante habitae fructus huius propediem ordiendae fructibus cumulentur.

. . . . . .

Ascetica opera S. Francisci laudibus efferuntur

Iam videamus, Venerabiles Fratres, quemadmodum Salesius, cum se ipse praeberet amabile exemplum sanctitatis, idem tutam expeditamque omnibus christianae perfectionis viam scribendo commonstraverit, atque ut, in hac quoque re, Iesum Dominum, qui *coepit facere et docere*, (1) imitatus esse videatur. Plurima quidem sunt quae hoc ipso consilio edidit eaque nobilissima scripta ; in iis vero duo illi eminent vulgatissimi libri, quorum alter *Philothea*, alter *Tractatus de amore Dei* inscribitur. Ad priorem autem quod attinet, postquam Salesius germanam pietatem ab ea distinxit asperitate quae animos in virtutis exercitatione terrendo debilitat, licet non illo exuat aequo rigore qui christianae disciplinae congruit, in eo totus est ut ostendat, sanctitatem cum omnibus civilis vitae officiis condicionibusque conciliari optime, atque in media saeculi consuetudine quemvis accommodate ad salutem posse degere, modo ne mundi hauriat imbibatque spiritum. Ipso interea magistro discimus id quidem facere - culpa nimirum excepta - quod omnes solent, at simul, quod plerique non solent, id ipsum sancte facere et ea quidem mente ut Deo placeamus : praeterea docemur decorum servare, quod ipse venustum virtutum ornatum appellat ; naturam non abolere, sed vincere, et paullatim parvoque nisu in caelum evolare, columbarum more, si aquilarum non licet, id est vitae sanctimoniam communi assequi via quando ad singularem perfectionem non destinamur. Idem gravi eoque expedito scribendi genere, subtilique et festiva verborum sententiarumque usus varietate, qua praecepta commendantur fiuntque gratiora legentibus, postquam exposuit, esse nobis ab omni culpa, malis a propensionibus,

(1) Act., I, 1.

a rebusque inutilibus ac noxiis abstinendum: dicere aggreditur quibus exercitationibus animum excolere et qua ratione cum Deo coniungi debeamus. Deinde, hoc posito, peculiarem aliquam deligendam nobis esse virtutem, ad quam sine intermissione contendamus donec eius compotes simus, tum de singulis virtutibus agit, de decentia, de honestis probrosisque colloquiis, de licitis periculosisque oblectamentis, de fidelitate erga Deum retinenda, deque coniugum, viduarum virginumque officiis. Idem denique praecipit, quibus artibus pericula, tentationes voluptatumque illecebras cum dignoscamus, tum superemus, et quo pacto animi statum per sancta proposita redintegremus quotannis ac renovemus. Atque hic liber, quo quidem nullum in hoc genere absolutiorem prodiisse aequales eorum temporum censuerunt, utinam hodie ab omnibus pervolutetur, uti olim in manibus omnium tamdiu versatus est; tum vero christiana ubique gentium pietas revirescceret et communi filiorum suorum sanctitate Ecclesia Dei laetaretur. Eo etiam maioris momenti ac ponderis est *Tractatus de amore Dei*, in quo sanctus Doctor, quasi quandam Dei caritatis historiam scribere aggressus, narrat quae eius fuerit origo et quae progressiones, atque etiam quare in animis hominum defervescere ac languere coeperit; tradit deinceps, quomodo in ea exerceamur ac proficiamus. Oblata vero opportunitate, difficillimas quaestiones dilucide explanat, ut de gratia efficaci, de praedestinatione, de vocatione ad fidem; et, ne ieiuna currat oratio, eam - quae erat illius ingenii ubertas et celeritas - tam festiva iucunditate tantoque pietatis odore conspergit, ea similitudinum varietate iisque et exemplis et locis aptissimis ornat, e Scriptura sacra plerumque depromptis, ut liber non tam ex eius mente quam ex visceribus medullisque manasse videatur. Principia autem spirituatis vitae, quae in duobus hisce voluminibus explicaverat, in usum animarum ipse convertit cum in cotidiano ministerio, tum in admirandis illis, quas exaravit, *Epistolis;* eademque ad gubernationem accommodavit Sororum a Visitatione, quarum Institutum, ab ipso conditum, eius adhuc spiritum religiosissime retinet. Etenim moderationem ac suavitatem in hac sodalitate, ut ita dicamus, spirant ac sapiunt omnia: cuius sodalitatis est proprium, ut virginibus feminisque viduis ac matronis vel debilibus atque aegris vel aetate provectis pateat, quarum vires incitatum animi studium haud exaequare videantur. Non enim ibi vigiliarum et psalmodiae diuturnitas, non paenitentiae vel expiationum asperitas, sed legibus tam mitibus tamque remissis obtemperatio, ut moniales etiam, quae

minus valent, omnia sibi imperata explere facile possint. Verum eiusmodi facilitas atque in agendo iucunditas eo informari debet caritatis igne, qui efficiat, ut religiosae mulieres, quae Salesio auctore gloriantur, cum se penitus abnegent, tum modestissime pareant, et, non speciosas sed solidas persequendo virtutes, sibimet moriantur ut Deo vivant. In quo quis non agnoscat singularem illam suavitatis cum fortitudine coniunctionem, qualem in legifero Patre admiramur?

. . . . . .

Vota Pontificis de celebranda memoria S. Francisci, ut populus ad officium colendae sanctitatis revocetur.

Itaque, Venerabiles Fratres, cum de Francisci Salesii rebus gestis et scriptis aliquid delibaverimus, reliquum est ut vos cohortemur ad saecularem eius memoriam in singulis vestris dioecesibus salubriter celebrandam. Neque enim velimus eiusmodi sollemnia sterili quadam praeteritarum rerum commemoratione absolvi, aut paucos ad dies contrahi, quin cupimus, ut hoc vertente anno ad diem usque octavum et vicesimum mensis Decembris, quo die is ad caelestia evolavit, quam accuratissime poterit, de virtutibus et praeceptis Sancti Doctoris fideles edocendos curetis. Vestrum igitur in primis erit, haec verba Nostra ad clerum populumque vobis concreditum perferre, atque illustrare diligenter. Illud enim praecipue Nobis in optatis est, ut fideles ad sanctitatis uniscuiusque propriae colendae officium revocetis, cum nimis multi sint qui vel nunquam de vita aeterna recogitent vel salutem animae suae prorsus neglegant. Alii enim, operosis negotiis implicati, nihil curant nisi de pecunia congerenda, dum animus misere esurit; alii vero, voluptatibus dediti, sic se abiiciunt in terram, ut gustatus earum rerum, quae supra sensus sunt, obtundatur in iis atque hebescat; alii denique ad tractandam accedunt rem publicam, de civitate quidem solliciti, at sui ipsorum immemores. Quare vos, instituto Salesii, efficite, Venerabiles Fratres, ut populus intellegat, vitae sanctimoniam haud esse singulare beneficium, quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium; virtutum vero adeptionem, etsi in labore posita est - qui labor voluptate animi solaciisque omne genus compensatur - esse tamen unicuique parabilem divinae gratiae praesidio, quod nulli denegatur. Potissimum autem fidelium imitationi Francisci mansuetudinem proponite; haec enim virtus, quae tam pulcre reddit atque exprimit Iesu Christi benignitatem ac tantum potest ad alliciendos homines, si semel animos vulgo pervaserit, nonne publicae privataeque rationes facile componantur? Nonne hac cum virtute, quam recte dixeris exteriorem divinae caritatis

ornatum, in domestico convictu atque etiam in civitate summa tranquillitas et concordia consistat? Atque apostolatui, quem vocant, cum sacerdotum tum laicorum, si quidem christianam lenitatem praeferat, numquid non ingens accedat vis ad societatem hominum emendandam? Videtis igitur quanto opere intersit, ut populus christianus Francisci et sanctissima exempla mente animoque complectatur et praecepta veluti vivendi disciplinam teneat. Quod ut detur effectum, mirum quantum proderit libros et opuscula, quae diximus, in vulgus quam latissime propagari; eiusmodi enim scripta, ut sunt facilia intellectu atque ad legendum iucunda, in fidelium animis germanae solidaeque pietatis studium excitatura sunt, quod sacerdotes fovebunt aptissime, si quidem ipsi Salesii doctrinam in sucum et sanguinem converterint dulcissimamque eius eloquentiam erunt imitati. Qua in re, Venerabiles Fratres, memoriae traditum est, decessorem Nostrum Clementem VIII iam tum praenuntiasse quam mirificam essent Francisci et verba et scripta in populo habitura virtutem. Cum enim Pontifex, Purpuratis Patribus doctissimisque viris assidentibus, Salesii, ad episcopatum electi, sacrarum disciplinarum scientiam expertus esset, tanta affectus est admiratione, ut hominem peramanter amplexus, iis verbis sit allocutus: Vade, fili, et *bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* (1) Ita sane Franciscus contionabatur, ut eius praedicatio tota esset *in ostensione spiritus et virtutis*, cum, ex Bibliis et Patribus hausta, non modo sanis doctrinae theologicae nutrimentis aleretur, sed etiam ex caritatis delinimento mollior ac suavior exsisteret. Non est igitur cur miremur, ab eo tam plurimos numero haereticos ad Ecclesiam revocatos esse, eodemque magistro ac duce tot fideles, hoc trium saeculorum intervallo, perfectum vitae institutum tenuisse.

Pontifex, speciali utilitate motus scriptorum, S. Fr. Salesium iis ut patronum dat seu confirmat.

Sed praecipuum quemdam utilitatis fructum ex hisce sollemnibus percipiant optamus omnes ii catholici viri, quotquot vel diariis vel aliis scriptis in vulgus edendis christianam sapientiam illustrant, provehunt, tuentur. Qui quidem Francisci in disputando vim cum temperantia et caritate coniunctam imitentur oportet ac retineant. Quid enim ipsis agendum sit, sanctus Doctor exemplo suo aperte monet: ut scilicet doctrinam catholicam perdiligenter explorent et pro viribus calleant; vera ne depravent, neve, per speciem devitandae

(1) *Proverb.*, V, 15, 16.

adversariorum offensionis, extenuent aut dissimulent; ipsam sermonis formam ac venustatem accurent, et cogitata sic luminibus verborum distinguant atque ornent, ut veritate lectores delectentur; si quos autem oppugnare debeant, sciant errata refellere malorumque hominum improbitati obsistere, ita tamen, ut se recte animatos in primisque caritate instinctos exhibeant. Quoniam vero iis, quos memoravimus, catholicis scriptoribus non constat ex publico ac sollemni Apostolicae Sedis documento Salesium datum esse Patronum, hanc Nos faustam occasionem nacti, de certa scientia ac matura deliberatione, auctoritate Nostra apostolica, per hanc Encyclicam Epistolam, Sanctum Franciscum Salesium, Episcopum Genevensem et Ecclesiae Doctorem, iis omnibus Caelestem Patronum damus seu confirmamus, ac declaramus, non obstantibus contrariis quibuslibet.

. . . . . .

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXVI mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri primo.

Dies (26 ian. 1923).

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Praeclara documenta de universali hominum vocatione ad sanctitatem et de communi obligatione ad eam contendendi, causa fuerunt cur copiosa istarum Litterarum excerpta in nostra Periodica iuseremus.

---

3. — S. C. S. Officii

Litterae 22 mart. 1923

AD ORDINARIOS LOCORUM DE IEIUNIO EUCHARISTICO ANTE MISSAM

(A. A. S. 5 apr. 1923, XV, 151)

Ill.me ac Rev.me Domine,

Severitas legis de ieiunio ante missam pro necessitate populi christiani prudenter temperabitur.

Optime novit Amplitudo Tua qua diligentissima cura legem ecclesiasticam ieiunii eucharistici, praesertim quod attinet ad sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium celebraturos, Sancta haec Apostolica Sedes semper tuita sit; nec dubitandum

quin et in posterum eius observantia generatim urgeri debeat. Sed ne forte ex lege ecclesiastica qua reali Corpori Christi debitum praestatur obsequium, Corpus Christi mysticum seu animarum salus detrimentum capiat, Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, ex animo perpendens multitudinem officiorum quibus sacerdotes diebus festis incumbere debent ad commissum sibi gregem salutari pabulo enutriendum; et quod ob cleri penuriam multi ex eis Sanctae Missae celebrationem iterare coguntur; idque non raro in locis longe dissitis, aditu difficilibus, inclementi aeris temperie divexatis, vel in aliis contrariis rerum et locorum adiunctis; decrevit in certis casibus et sub determinatis conditionibus eamdem ieiunii legem per opportunas dispensationes aliqua ex parte mitigare.

Dispensationis causae, forma, condiciones

Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 806, 2, Missam eodem die iterare aut etiam tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant, siquidem sine gravi damno ieiunii eucharistici legem, vel infirmae valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant; Supremæ huic Congregationi locorum Ordinarî, omnibus rerum adiunctis diligenter expositis, recurrere poterunt. Quae pro diversitate casuum (sive cum singulis Ipsamet dispensando, sive, quando vera ac probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo) opportune providebit. Quae quidem facultates pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S Sedem, iam ex nunc Amplitudini Tuae conceduntur, per Te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendas: hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; efficaciter scandalum removeatur; ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

Privata devotio vel utilitas excluditur.

Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.

Haec ad pastorale Tibi ministerium facilius utiliusque reddendum, probante Ss.mo Domino Nostro Pio PP. XI, decreta, dum libens tecum communico fausta quoque ac felicia Tibi adprecor a Domino.

Dies (22 mart. 1923).

Romae, ex aedibus Sancti Officii, 22 martii 1923.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*

ANNOTATIONES

1. Praesenti decreto, quo diu iam expressis votis satisfit, potius quam dispensatio vel facultas generalis dispensandi (exceptis casibus urgentioribus) concedatur, spes opportunas dispensationes obtinendi offertur.

II. Decreti initio simul ratio legis de ieiunio et ratio temperamenti brevissime indicantur. *Ratio legis*: per ieiunium eucharisticum reali Christis corpori obsequium praestatur. *Ratio temperamenti*: praecavendum est detrimentum corporis Christi mystici, seu animarum.

Quare, a causis dispensandi omnis privata devotio vel utilitas expresse excluditur.

III. *Quibusnam* dispensatio obtinebitur vel concedi potest? - Sacerdotibus qui, propter populum, vel missam iterare, *vel* eam tardiore hora celebrare debent, et qui *simul*, sine gravi damno, ieiunii eucharistici legem servare nequeunt. His in adiunctis, grave damnum tam ex infirma valetudine quam ex nimio s. ministerii labore, vel alia rationabili causa oriri potest.

Rationabilem causam praebere potest superanda distantia, incommoditas itinerum, inclemens aeris temperies, et alia similis.

IV. *Quomodo* obtinebitur dispensatio? *a*) Ad S. Sedem debet ipse Ordinarius recurrere, exposita difficultate. *b*) Tunc, vel ipsa S. Congregatio S. *Officii* cum singulis dispensabit, vel etiam habitualibus facultatibus Ordinarios muniet.

V. Iam in praesenti facultas datur Episcopo vel Quasi-Episcopo pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem. Usum autem non potest concedere nisi substantiae quae per mo-

dum potus sumatur, excluso quoque omni potui nebriante. Redeunt huc declarationes factae de dispensatione ieiunii ante communionem. Itaque, ex decl. 7 sept. 1897, sumere licebit « iusculum, caffaeum, lac, aut alium cibum liquidum, etsi ei permixta substantia aliqua, ex. gr. leves pastilli farinae (*semolino*), panis radula tritus (*pangrattato*), ovum dilutum, etc. dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi ». - Scandalum efficaciter removendum est. Scandalum hic potissimum offensio piorum intellegitur. Removebitur autem si sufficiens intervallum ante missam praescribatur et omnis publicus cibi liquidi usus prohibeatur. Quam primum autem S. Sedes de licentiis datis monenda est. Cum in pluribus dioecesibus non pauci sacerdotes in adiunctis versentur propter quae dispensatio videatur concedenda, nec dispensatio ante opportunum usum impetrari queat, iam poterunt nunc episcopi sua facultate uti, ita ut simul S. Sedem certiorem faciant de concessione facta et confirmationem concessae dispensationis petant.

Facultas autem per ipsum Antistitem exercenda est, ita ut non sit subdelegabilis, nec Vicario generali communicata videatur.

---

4. — S. C. S. Officii

Monitum 15 mart. 1923

DE VIGILANTIA IN SCRIPTORES CATHOLICOS EXERCENDA

(A. A. S. 5 april. 1923, XV, 152).

Factum scandalosum et damnosum.

Accidit non infrequenter ut scriptores, etiam qui ut boni catholici vulgo habentur, in foliis quotidianis vel periodicis laudent, magnificent, adprobent libros, scripta, picturas aliave id genus ingenii et artis opera catholicae doctrinae seu christiano sensui contraria, quandoque etiam a Sancta Sede expresse reprobata.

Pastorum vigilantia excitatur.

Quam grave inde, si Pastores animarum haec inobservata et impunita relinquant, fidelium scandalum cum fidei morumque detrimento oriri possit, facile intelligitur. Quod ne fiat, Suprema haec S. Congregatio S. Officii, adprobante Ss.mo D. N. Pio Pp. XI, locorum Ordinarios admonendos censet, ut pro eorum munere erga scriptores huiusmodi, si quos forte inter proprios subditos adesse compererint (praecipue si de clero seu saeculari seu regulari), sive per se sive adhibita quoque Consiliorum vigilantiae cooperatione, non omittant quas efficaciores in Domino iudicaverint, nulla interiecta mora, providentias adhibere.

Dies (15 mart. 1923).

Romae ex aedibus S. Officii, 15 martii 1923.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*

ANNOTATIO

Etsi monitum de solis operibus non laudandis sermonem habeat, liquet tamen etiam imprudenti vel indiscreta laude eorum qui opera a sensu catholica aliena conficiunt peccari posse. In qua re probe etiam separandi sunt auctores boni nominis catholici ab auctoribus qui aperte vel subdole catholicae Ecclesiae sunt infensi.

5. — S. C. S. Officii (1)

Responsa edita 22-23 novembris, 1 decembris 1922

DE CONFESSARIO CONSULENTE DIMIDIATAM COPULAM

Oratores

Beatissime Pater, - Infrascriptus episcopus Harlemen. ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quae sequuntur:

Probati auctores docent coniuges non exercere onanismum coniugalem, quoties vir vas uxoris penetrat quidem, sed parum, v. g. pro dimidia vel tertia parte, et semen in vagina deponit. Hic modus coeundi conceptionem reddit quidem difficilorem, at non impossibilem.

Proposita doctrina auctorum, usu confessariorum atque usus incommodis,

Ad notitiam episcoporum huius provinciae pervenit, non nullos confessarios hanc doctrinam arripere velut remedium contra onanismum coniugalem. Paenitentibus quos metu prolis

(1) Ex Periodico *Nederl. Kathol. Stemmen* febr. 1923.

numerosioris vel onanismi vitio deditos, vel ad illud proclives inveniunt, sponte et promiscue suadent copulam, - ut vulgo dicitur, - dimidiatam, seu penetrationem vaginae partialem, aperte docentes coniuges hoc modo iure coniugali utendo non peccare, probabilitatem vero prolis simul valde diminuere.

Haec autem confessariorum praxis timoratis clericis et laicis, inter quos etiam sunt medici catholici, ita offensioni est ut de illa apud episcopos conquesti sint, rogaverintque an hoc scandalum possit tolerari. Gravamina quae afferunt sunt haec:

1. Quamvis theologi doceant copulam cum partiali penetratione non infici labe onanismi coniugalis, minime tamen eam ab omni peccato immunem esse declarant. Ut copula dimidiata licite exerceatur, omnes theologi exigunt causam saltem vere rationabilem et urgentem: quae causa rationabilis et urgens apud christianos, quorum matrimonium sit imago foecundi coniugii Christi cum Ecclesia, difficile esse potest solus timor ne proles numerosior nascatur. Qui ergo coniugibus ob hoc solum motivum, quod prolem non amplius desiderant, suaderet copulam cum penetratione incompleta, imprudenter ageret, dando consilium moribus christianorum connubii non tantum alienum, sed prorsus contrarium et nocivum, quod adhuc patebit ex iis quae sequuntur.

2. Modus ille copulandi, etsi theologi malitiam onanismi ab illo abiudicent, eundem tamen effectum producit: ut nempe prematur numerus liberorum qui nascuntur. Hunc effectum fautores et propagatores copulae dimidiatae non intendunt quidem sed de facto illum attingunt. Si haec praxis ubique divulgetur, haud dubium quin numerus nativitatum multum decrescat. Hic praesertim effectus excitat offensionem timoratorum, cum copula dimidiata sub hoc respectu neomalthusianismo plane aequiparanda sit.

3. Illa praxis coeundi promiscue et imprudenter promulgata invitat et conducit coniuges (praesertim si experirentur copulam dimidiatam conceptionem non semper praecavere) ad alium modum utendi coniugio, adhuc peiorem, quo nempe vir absque ulla penetratione semen ad ostium vaginae effundit, qui modus, ubi alius perfectior possibilis est, ab omnibus probatis auctoribus peccati mortalis accusatur, cum hoc idem sit ac moraliter impedire generationem: hoc enim modo rarissime et per accidens tantum sequitur praegnatio.

Narrant quid ipsi censuerint

Ill.mi et Rev.mi Episcopi Provinciae ecclesiasticae Neerlandiae, die 28 septembris huius anni congregati, haec omnia perpenderunt et unanimi consensu censuerunt: hunc congrediendi

modum, nisi in casu particulari adsit vere urgens causa, reprobandum esse et peccaminosum, perniciosum et scandalosum, eumque tam parum esse remedium coercendi neomalthusianismum ut potius ad illum sollicitet et viam sternat.

Item praxim confessariorum sponte docendi copulam dimidiatam, eamque promiscue suadendi paenitentibus ob solam hanc rationem quod hi prolem amplius non desiderant, esse reprobandam uti imprudentem, temerariam, piarum aurium offensivam, christianis moribus relate ad matrimonii sanctitatem et foecunditatem contrariam.

Propter rei gravitatem vero praefati episcopi, ne temere procedant, expedire duxerunt S. Sedis sententiam super hanc quaestionem exquirere. Quare dubia sequentia humiliter iudicio S. V. submittunt: *Inde* **dubia** *submittunt*

Dubium I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscue omnibus paenitentibus, qui timent ne prole numerosiore graventur. *I.*

Dubium II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad paenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo frustra tentatis, DOCET exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda. *II.*

Dubium III. An carpendus sit confessarius qui, in circumstantiis sub II, copulam dimidiatam paenitenti aliunde notam SUADET, vel paenitenti interroganti, num hic modus licitus sit, respondet simpliciter « licere », absque alla restrictione seu explicatione. *III.*

Harlemi, 30 novembris 1921.

Responsio

Suprema Sacra Congregatio S. Officii. (N. prot. 428/1921). *Responsio*

Ill.me ac Rev.me Domine.

In generali consessu habito feria IV, die 22 elapsi novembris, proposita fuerunt tria dubia ab Amplitudine Tua nomine episcopatus Neerlandiae ad hanc Supremam Congregationem S. Officii transmissa. Id est: *Die 22 nov. 1922* *Repetitis dubiis*

I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscue omnibus paenitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur. *I.*

II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad paenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda. *II.*

III, III. An carpendus sit confessarius qui, in circumstantiis sub II, copulam dimidiatam paenitenti aliunde notam suadet, vel paenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione.

Et Emi ac Rev.mi Cardinales una mecum Inquisitores Generales, quaestione diligenter perpensa, praehabitoque DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Ad I dubium, Negative. Ad II et III, Affirmative.

Ad tria dubia. Approbatio Pontificia Insequenti vero feria V, die 23 dicti mensis, SS. D. N. Pius div. Prov. PP. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori huius S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit.

Haec pro meo munere Amplitudini Tuae significans, prospera cuncta atque felicia Tibi a Domino apprecor.

Amplitudini Tuae Rev.mae Addictissimus
R. Card. Merry del Val

Ill.mo et Rev.mo Domino episcopo Harlemens.

ANNOTATIONES

I. Sicut in opere *De Castitate*, n. 240 monuimus, qui vaginam parum penetrat consulto, ut vitetur generatio, peccat venialiter. Non pecat mortaliter, quia probabilitas foecundationis hac ratione non aufertur; peccat tamen venialiter, quia *positivam* difficultatem creat generationi, quando copiam alius melioris modi habet.

Quare, venialis ista labes rationibus, etiam iustis, quas coniuges habere possint optandi sterilitatem minime tolletur. Non ideo enim quidquam positive contra generationem agere possunt.

II. Hac data explicatione, responsa ad I et ad III facile capiuntur.

De I, dicendum est: confessarium suasorem peccati etiam venialis esse non posse.

De III valet istud: falsum respondet confessarius, dum, quod est moraliter malum dicit esse licitum.

De II tantum dubitari potest, propter controversam quaestionem: an liceat minus malum suadere ei

qui ad maius est determinatus. Quod licere communiter admittunt, cum malum, sicut in casu proposito, est eiusdem generis.

Verum, in sua praefatione, episcopi Neerlandiae indicarunt cur, in concretis adiunctis, consilium istud esset scandalosum, quatenus ad neomalthusianas artes viam sterneret, et, propter obtentum effectum sterilitatis, pias aures offenderet. Iam vero, minus malum *scandalose* suadere minime fas est.

III. Observes meram appositionem seminis ad ostium vaginae notari tamquam peiorem modum utendi coniugio.

IV. Responsa ista non attingunt solutionem communiter datam de moralitate imperfectae penetrationis vaginae, in coniugii usu.

---

6. — S. C. Concilii

Rescriptum 14 ian. 1922

DE TRANSLATIONE MISSARUM EXTRA DIOECESIM

Ultraiecti, 4 nov. 1921

Beatissime Pater,

Oratores quid petant,

Arch. Ultraiectensis et episcopi suffraganei, sc. Harlem. Ruremonden. Bredan. necnon Buscoducen. ad pedes S. V. humillime provoluti, petunt suppliciter facultatem qua, non obstante C. I. C. can. 630, exigere valeant ab omnibus quibus missarum manualium stipendia concredita sunt ne, absque Ordinarii loci permissione, stipendia huiusmodi extra uniuscuiuque dioecesis ambitum tribuant sacerdotibus sibi acceptis.

Cur petant

Rationes sunt: 1. Quia in his dioecesibus praecipuas partes honestae sacerdotum sustentationis ipsa constituunt missarum stipendia, ita ut offerentium voluntas atque intentio non in solam feratur ss. sacrificii celebrationem atque applicationem, neque in sacerdotum personas tantum, sed in propriorum sacerdotum subsidium atque honestam vitae sustentationem, qua-

tenus universae animarum curae sese dederint: unde et melius et plenius huic voluntatis intentioni satis fieri, si sacra quae obtulerint stipendia non sine proprii Episcopi licentia aliis sacerdotibus tradantur; neque omnino libere disponere quis posse videtur de stipendiis sic acceptis, nisi prius de arbitrio sui Episcopi, propriis sacerdotibus provisum fuerit; — 2. Quia in hisce dioecesibus, ubi omnes clerici ad titulum servitii Ecclesiae ordinari solent, semper exsistunt non nulli sacerdotes qui, varias ob causas, nisi S. Missam litando, nullum Ecclesiae servitium praestare valeant; atque adeo, nisi Episcopus iis stipendia sacra praebeat, gravissimo erunt oneri eidem Episcopo, quippe qui, ob ordinationis titulum, tenetur congruae eorum sustentationi providere; 3. quia, limitata quidem per petitam facultatem opportunitate libere transmittendi sacra stipendia manualia, caritas tamen erga indigentes sacerdotes exteros variis aliis modis et potest et solet haec exerceri; teste Austria, Hungaria, Germania, teste ipsa S. C. de Prop. Fide; 4. quia exploratum est in hisce dioecesibus non defuisse sacerdotes bonae fidei, qui, nil mali suspicati, ab hominibus fraudulentis in tradendis missarum eleemosynis turpiter decepti sint, quasi veteratores isti essent sacerdotes omni exceptione maiores; - 5. quia si missae manuales non sine Episcopi licentia extra dioecesim tradantur, ipse Episcopus poterit caritatem in indigentes sacerdotes exteros exercere, vel tribuendo, si qua petita fuerit, licentiam tradendi sacra stipendia extra dioecesis ambitum vel ipse eadem sic tradendo: id quod hucusque semper locum habuit, teste iterum S. C. de Prop. Fide. Et Deus, etc.

Dies (14 ian. 1922). Gratia facta

Die 14 ian. 1922.

In plenario conventu habito in palatio Apostolico Vaticano, Em. ac Revmi Patres, relatis precibus responderunt: - Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia, facto verbo cum Sanctissimo, ad quinquennium. Factaque de praemissis relatione ab infrascripto secretario in audientia diei subsequentis, S. S. impertitam gratiam approbare et confirmare dignata est.

I. Mori, *Secretarius*

Annotationes

I. Petitio ista conectitur cum reformata dispositione Conc. Provincialis quae translationem missarum extra dioecesim absque Ordinarii licentia prohibuerat. Cf. *Per.* X, p. 294, n. 140.

II, Observes ex rationibus allatis esse quae, cum sint generalioris rationis, ipsam Codicis reformationem suaderent. Ad has autem S. C. non respexit.

III. Rescripto isto nulla competentia Episcopis data est ad prohibeudam istam translationem religiosis exemptis.-Nec ipsi fideles prohibentur sive sponte, sive rogati, eleemosynas suas sacerdotibus etiam exteris destinare.

---

7. — S. C. De Religiosis

Declaratio 29-30 dec. 1922

DE PROFESSIONE RELIGIOSA IN ARTICULO MORTIS NOVITIIS VEL POSTULANTIBUS PERMISSA.

(A. A. S. 5 apr. 1923, XV, 156)

Dubii occasio

Iam inde a Codicis promulgatione dubium exortum est: « An decretum quod incipit *Spirituali consolationi*, a Sacra « Congregatione de Religiosis editum sub die 10 septembris 1912, adhuc vigeat », praecipue cum in Codice iuris canonici nulla mentio de professione in articulo mortis fiat. Cumque instantissime ab hac Sacra Congregatione peteretur, tam in particularibus casibus, quam in novis Constitutionibus condendis, ut facultas per supradictum concessa renovaretur, res definienda visa est.

Deliberatio et resolutio 29 dec.

Quapropter, plurium Consultorum praerequisito voto, Emi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 29 decembris 1922, re mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuerunt: « *Affirmative*, at declarandum, si « ita SS.mo placuerit, quod facultas recipiendi professionem « de qua in n. 2 decreti, praeter Superiorem monasterii aut « domus novitiatus vel probandatus, intelligatur competere « etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta Constitutiones, « et ad praedictorum omnium delegatos ».

Approbatio pontificia, 30 dec.

Quam sententiam SSmus D. N. Papa div. Prov. Pius XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 decembris eiusdem anni, in omnibus approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Superioris decreti accommodati repetito

Opportunum autem visum est praedicti decreti dispositiones ad sensum resolutionis Emorum Patrum accommodatas, in memoriam revocare eum in finem ut tam benigna Sedis Apostolicae concessio omnibus interesse habentibus prodesse valeat.

Illae autem sunt tenoris sequentis: (1)

Quibusnam gratia prosit

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur more Religiosorum, liceat exinde Novitios seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novitii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet:

1. Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint.

Quinam eam concedant.

2. Superior qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, praeter Superiores Majores respectivos, quibus ex praescripto Constitutionum competit, esse possit etiam ille qui monasterium, vel novitiatus aut probandatus domum actu regat, aut praedictorum Superiorum delegatus.

Qua formula utendum sit

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

Professionis factae effectus.

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceditur.

5. Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum.

Proinde:

Corollaria.

A) Si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Insti-

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, IV (1912), pag. 589 s.

tutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnimo conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque: *a)* libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et *b*) Superiores illum dimittere valent; *c*) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet sit ultra annum, explere debet; *d*) hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Conceditur insertio

Declarat denique haec Sacra Congregatio, nihil obstare quomimus praedictae dispositiones etiam in Constitutiones Ordinum et Congregationum inseri valeant, si hoc Instituta ipsa postulent.

Dies (30 dec. 1922).

Romae, ex Sacra Congregatione de Religiosis, die 30 decembris 1922.

L. ✠ S. C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

Maurus M. Serafini, A. O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

I. Declaratione ista confirmatur sententia quam tum in *Summa Novi Iuris* n. 208, tum in *Epitome iuris canonici* I, 573, proposuimus, i. e. decretum *Spirituali consolationi* rationem habere privilegii quod, qua tale, Codice non supprimitur.

II. Praesenti declaratione continetur nova promulgatio istius decreti cui haec sola verba in numero 2 adduntur: « praeter Superiores maiores respectivos, quibus ex praescripto Constitutionum competit, esse possit etiam ille qui monasterium vel noviciatus aut probandatus domum actu regat, aut praedictorum Superiorum delegatus ». Hi omnes sunt competentes ad professionem istam permittendam.

Quia autem Superior domus noviciatus directam competentiam a S. Sede obtinet, haec non possit religionis Constitutionibus ipsi auferri.

III. Quamvis nullus sit effectus *canonicus* istius

professionis, manet, ut observat R. P. GOYENNECHE (*Commentarium pro religiosis* I, p. 52), effectus theologicus holocausti Deo oblati, quod nec merito caret, nec consolatione pro moriente vacuum est.

IV. Insertio istarum dispositionum in Constitutiones non ipso iure permittitur, sed petentibus facultas facile fiet.

Quaeres utrum necne sit discrimen inter praesentem professionem in articulo mortis et professionem primitus concessam Monialibus Domicicanis. Discrimen quodpiam admisimus in *Epitome*, I, n. 573. Sed, re melius perpensa, ambae professiones nullo effectu canonico inter se differunt, ac proin eiusdem essentiae esse videntur.

Decretum *Spirituali consolationi* legi potest in *Per.* VI, p. 288; privilegium familiae Fratrum Praedicatorum in opere *De religiosis*, etc. II, p. 153. 154.

---

8. — Rescripta de missa sine ministro

I. S. C. de Sacramentis

DE MISSA DICENDA IN MARI

Dies (24 dec. 1922) Gratia cum clausulis

Ex audientia SS.mi, 24 dec. 1922.

SS. D. N. PIUS Pp. XI. audita relatione infrascripti RR. DD. Secretarii S. C. de Sacramentis, suprascriptis oratoris precibus benigne annuere dignatus est durante enuntiato itinere maritimo, dummodo locus ad Missae celebrationem delectus, nihil indecens aut indecorum prae se ferat, mare sit adeo tranquillum ut quodcumque absit periculum effusionis sacrarum specierum e calice et adhibeantur necessariae cautelae ut haberi possit minister seu inserviens missae.

M. Card. LEGA, *Praef.*

A. Capatosti, Ep. The. Secret.

II. S. Rituum Congregationis

Missa in parochia ubi non habetur nisi unus puer qui S. Missae ut ministrans assistere possit.

Ordinis Praemonstratensis, seu Auxitana.

Gratia cum clausulis

S. R. C. vigore facultatum sibi specialiter a SS. BENEDICTO Pp. XV tributarum, attentis expositis et R.mi Procuratoris Generalis Ord. Praemonstraten. commendationis officio, benigne indulsit ut, ob defectum ministri et in casu necessitatis supradictus sacerdos religiosus et parochus celebrare valeat missam sine ministro. Curet tamen idem orator habere aliquem puerum vel famulum quem instruat saltem pro responsis celebranti, aut saltem aliquem virum aut mulierem qui intersit sacrosancto missae sacrificio et populum repraesentet. Praesenti rescripto ad biennium valituro et Curiae episcopali Auxitanae exhibendo. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 ianuarii, 1920.

Dies (30 ian. 1920).

A. Card. VICO, *ep. Portuen. Praef.*

Alexander Verde, S. R. C. Secretarius.

ANNOTATIO

Observes a S. *Rit. Cong.* facultatem istam etiam religiosis concedi, quamvis ipsa S. C. *de Religiosis* sit pro ipsis competens. Clausula qua commendatur ut aliquis saltem fidelis missae intersit naturam publicam omnis Missae opportune memorat.

---

9. — Peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium

Responsa 13 et 27 nov. 1922, edita 7 dec 1922.

DE SINGULARUM CONGR. COMPETENTIA

(A. A. S. 15 ian. 1923, 15,.39).

Dispensatio ieiunii ante communionem pro religiosis.

« Utrum facultas concedendi sodalibus religiosis utriusque sexus, dispensationem super lege ieiunii eucharistici ad sacram Synaxim recipiendam, pertineat ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum an ad Congregationem de Religiosis ».

Obligationes religiosorum ex ordinatione.

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

II. « Utrum quae respiciunt obligationes Ordinibus maioribus adnexas vel validitatem sacrae Ordinationis, quoad sodales religiosos, decernenda pertineant ad Sacram Congregationem de Sacramentis an ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Sacramentis, ad normam can. 1993 C. I. C. ».

III. « Utrum Sacra Congregatio Consistorialis an Sacra Congregatio Concilii sit competens ad decernendum circa ea quae respiciunt:

De sacerdotibus in scholis laicalibus,

1) sacerdotes sive alumnos sive magistros in scholis laicalibus;

De associationibus cleri,

2) associationes inter clerum earumque foederationem;

De erectione vel suppressione dignitatis.

3) erectionem et suppressionem unius vel alterius dignitatis in Capitulis constitutis;

De reditibus et bonis mensae episcopalis.

4) reditus et bona ad mensas episcopales spectantia ».

Resp: Ad 1um: « Competentem esse Sacram Congregationem Concilii ».

Ad 2um: « Competentem esse Sacram Congregationem Concilii. Haec tamen, in iis quae respiciunt associationes vel earum foederationes inter clerum alicuius nationis universae, informationem petere a Sacra Congregatione Consistoriali ne omittat ».

Ad 3um et 4um: « Competentem esse Sacram Congregationem Consistorialem ».

De alienatione bonorum seminarii dioecesani

IV. « Utrum concessio facultatis alienandi bona quae spectant ad Seminaria dioecesana, pertineat ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus an ad Sacram Congregationem Concilii ».

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus ».

Approbatio Pontificia

Quas responsiones, SS.mus D. n. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia diei 5 mensis decembris, anni 1922, infrascripto Secretario concessa, approbare dignatus est.

Dies (7 dec. 1922).

Romae, die 7, mense decembri, anno 1922.

Fridericus Cattani Amadori, a Secretis

ANNOTATIONES

I. Postquam zelo et curis Pii X nova, C. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908, facta est Romanae Curiae

ordinatio, S. Sedem non latuit futurum esse ut de distributione negotiorum inter varias Romanas Congregationes dubia et controversiae nascerentur. Quae dubia C. *Sapienti Consilio*, S. Congregationi *Consistoriali* dirimenda commiserat. Mox autem satius visum est ut singulis vicibus specialis coetus constitueretur Cardinalium, qui de singulis casibus sententiam diceret. Quod ius sancitum est c. 245 Codicis canonici.

Praesens itaque coetus a BENEDICTO XV electus et a SS. D. N. PIO Pp. XI confirmatus, varia dubia solvit quorum quattuor in A. A. S. relata sunt. De singulis pauca obserbanda veniunt.

II. Ad I. Ratio dubitandi fuit ipsa C. *Sapienti Consilio*, quae dispensationes a ieiunio eucharistico pro communione S. C. de disciplina Sacramentorum tribuerat, dum rursus ex c. 251, § 3 S. C. de Religiosis reservat dispensationes a iure communi pro religiosis, sola exceptione facta pro dispensatione a ieiunio eucharistico pro sacerdotibus celebrantibus. Quae peculiaris dispositio causa fuisse videtur cur coetus specialis S. C. *de Religiosis* competentem declaraverit pro dispensatione a ieiunio eucharistico concedenda religiosis. Hactenus, ambae Congregationes dispensationem religiosis concedebant.

Ad II. Per se, quaestio de obligationibus ordinum maiorum et de validitate ordinationis, poterat non minus quam dispensatio a ieiunio eucharistico, addici S. C. *de Religiosis*, pro religiosis. Quia tamen, in c. 1993, libellus quo impugnantur (nisi de vitio substantiali ritus quaestio moveatur) mittendus dicitur ad S. C. *de Sacramentis*, omnis huiusmodi causa huic Congregationi tribuitur. Ceterum iam antea solebat S. C. *de Religiosis* causas istas ad S. C. *de Sacramentis* remittere.

Ad III. Disciplina cleri saecularis et populi chri-

stiani, propter expressa c. 250, § 1 verba competunt S. C. *Concilii*. Quatenus tamen statum dioecesis afficere potest quod sacerdotes in scholis laicorum partem sumant, vel inter se associationes efficiant, maxime si sint foederationes, intellegitur cur dubium natum sit. Quod tamen in favorem S. C. *Concilii* solutum est. Prudenter simul cautum est ut a S. C. *Consistoriali* informatio sumeretur, si associationes vel foederationes ad universam nationem extenderentur.

Ad III, n. 3 et 4. Constituere capitulum pertinet ad S. C. *Consistorialem* ex c. 248, § 2. An etiam ad eam pertinet mutatio partialis quae ex erectione vel suppressione alicuius dignitatis in capitulo exoritur?

Competentia quam S. C. *Consistorialis* habet in constitutionem et actionem episcoporum estne protendenda ad reditus et bona quae ad mensam episcopi spectant, an contra, haec pertinent ad S. C. *Concilii*, quae in ecclesiastica bona tutelam gerit? - Atque utrumque caput addictum est S. C. *Consistoriali*.

Ad IV. Cum agitur de bonis seminariorum, idem dubium de competentia S. C. *de Seminariis* moveri potuit quod de competentia S. C. *Consistorialis*. Pari enim, immo fortiore ratione res tributa est S. C. *de Seminariis*, cum, ex c. 256 sibi etiam quae ad temporalem seminariorum administrationem pertinent vindicare possit.

---

10. — Pont. Opus a Prop. Fide.

Monita 6 ian. 1923

CIRCA PECUNIAM COLLECTAM ET TRANSMITTENDAM
(A. A. S. 1. feb. 1293, XV, 77).

Varia monita:

I. Iuxta monitum iam editum, sub finem vertentis mensis ianuarii Praesides Consiliorum Nationalium, vel ubi Consilia Nationalia nondum sunt constituta, Moderatores Dioecesani aliive, qui Operi a Propagatione Fidei incumbunt, notitias mittent ad Consilium Superius Generale de pecunia collecta pro Missionibus. Iam vero non abs re videtur hic aliquid addere de

modo disponendi de ipsa pecunia, quum multipliciter fieri posse videatur.

Expedit originariam pecuniae formam non mutare.

Praemittendum quod generatim expedit immutatam servare pecuniae formam originariam, quin convertantur, ex. gr., *francs* vel *dollars* vel *sterlings* in libellas italicas, quum huiusmodi conversiones, ut plurimum, imminutionem aliquam pecuniae ipsius secum ferant. (Quam regulam, ad pecuniae formam quod attinet, sequetur ordinario ipsum Consilium Superius in subsidiis elargiendis, ratione simul habita nummorum, qui usuveniunt in variis Missionum locis.)

Quibus positis, haec proponenda videntur:

Quo modo pecuniae possint in mensis nummulariis deponi.

a) Fas esto pecuniam collectam, praesertim si sit copiosa, collocare apud unam vel plures Mensas nummularias, quibus fidere sit prudentium ac versatorum in re virorum. Tali autem ratione collocanda erit ut Consilium Superius Generale possit semper et pro lubito de ipsa disponere. Quare sub iis nominibus erit collocanda, quae a Consilio Superiore determinabuntur, quorum authenticae subscriptiones simul erunt deponendae. Ordinario signaturae dabuntur Praesidis, Secretarii et Arcarii, hac tamen lege, ut ex tribus duorum sufficiant subscriptiones pro disponendo de ipsa pecunia.

Ea vero inter tutissimas seligatur Mensa, quae domus habeat filiales vel, ut dicuntur, correspondentes in praecipuis orbis civitatibus, ita ut, ipsis mediantibus, facile sit pecuniam quocumque mittere pro adiuvantis Missionibus.

De summis ibidem collocatis continuo notitia danda est Consilio Superiori Generali, cui similiter tradendus est libellus schedularum (vulgo *chèques*), quarum ope ad Missiones mitti possint tum annuae subventiones, tum extraordinaria subsidia, si qua decernantur.

Alia methodus, schedulae nummariae mittendae, quandonam praeferenda sit.

b) Alia methodus, quae praeferenda videtur quum exigua erit pecuniae summa, est eam mittere ope schedulae nummariae (*chèque*), hac tamen adhibita cautione, ut ipsa solvenda sit in ipso loco, ubi est emissa: quum eo modo vitentur incommoda, quae, ut innuimus, ex conversione oriri possunt.

c) Restat demum et alia via, ut nempe pecunia ipsa Romam mittatur modo consueto: quo in casu hic Romae nobis solvetur in nummis italicis ea quantitate quae respondeat nummis originariis, ratione habita temporis in quo fit conversio.

Quid si desit Consilium nationale?

II. Alterum fortasse monere iuvabit. Iis in nationibus, ubi nondum est constitutum Consilium Nationale, neque aliud iam exstat centrum aequipollens pro colligenda stipe, opportunum videtur, si Moderatores Dioecesani aliive pecuniam collectam

remittant omnes Moderatori praecipuae Dioecesis regionis, qui unus Romam mittat.

Ne differatur significatio depositae pecuniae.

III. Quum operationes, quibus deposita rite constituuntur, et transmittuntur tum subscriptiones, tum schedularum libellus, atiquid temporis requirant, enixe ii rogantur, qui primam methodum adhibeant, ut continuo id significent Secretario Generali, dum, hoc mense exeunte, notitias tradent de summis a se collectis et elargiendis, ita ut possibile sit de ipsis pecuniis disponere, quum, mense martio ineunte, annuae subventiones erunt definiendae et ad Missiones transmittendae.

De pecuniis datis pro peculiaribus Missionibus vel propiis domibus.

IV. Quoad pecunias pro particularibus Missionibus vel pro piis Domibus missionalibus oblatas, non est necesse quod Romam mittantur (nisi forsan facilior et tutior aliquando videatur transmissio per nos curanda). Rogantur tamen Consiliorum Praesides aliive Pontificii Operis Moderatores, ut notulam specialium huiusmodi oblationum seorsim nobiscum communicent, ut in summa totali inserantur: sunt enim subsidia in Missionum bonum, mediante Opere a Propagatione Fidei collata.

In primis promovendum est Pontificium Opus a Prop. Fide.

Ceterum, iuxta mentem Sedis Apostolicae, omnibus consulendum est ut, collatis viribus, hoc Pontificium Opus a Propagatione Fidei in primis et ante omnia promoveant, cum ipsum « non modo principem inter alia eiusmodi instituta obti-« neat locum, sed etiam providenter videatur hominibus com-« paratum, ne diutius id prorogetur ac distineatur quod tam « crebro Patrem, *divina institutione formati*, efflagitamus: *Adve-« niat regnum tuum* ». Quare est « ceteris anteferendum in-« ceptis, quae omnibus quidem laudibus digna, peculiare ali-« quid in hoc genere sibi propositum habeant ». (1)

Constitutio duorum Consiliorum in Canad. regione.

In consessu 18 dec. 1922, Consilium generale ratum habuit ut in Canadensi regione constituerentur duo Consilia centralia, alterum Orientale, alterum Occidentale.

Praeses in Germania.

Decreto 20 dec. 1922, D. Aloysius de Loewenstein Wertheim Rosenberg nominatus est Praeses Consilii Nationalis pro Germania.

Dies (6 ian. 1923).

Datum Romae, ex Secretaria Pontificii Operis a Propagatione Fidei, die VI mensis ianuarii anni MCMXXIII.

AUGUSTUS BOUDINHON, *Vice-praess.*
IOSEPH NOGARA, *Secretarius Generalis.*

(1) Ex epistola PII Pp. XI, data die XVII septembris MCMXXII ad S. R. E. Card. Bourne (*Acta Ap. Sedis*, XIV, n. 15, pag. 546).

ACTA SUMMATIM RELATA

11. — *SS. D. N. Pius PP. XI.*

A. *In urbe indicuntur preces pro pace.*

Ad Card. Vicarium de precibus pro pace, 31 ian. 1923.

Litteris autographis 31 ian. 1923, ad Em. Cardinalem Vicarium Urbis, mandat R. P. ut fideles sibi commissos ad orationem hortetur, quatenus « Dominus, *auctor pacis et amator*, inquietum genus humanum a novis flagellis servet, ac gentes earumque duces reducat ad sensus illos fraternitatis et amoris, iustitiae et aequitatis, quibus amice inter se convenire discant » (A. A. S., 5 mart. 1923 XV, 97).

B. *Litterae de dioecesibus dismembrandis, erigendis,*

Valentia, Coro, Cumana, S. Christophori, 12 oct. 1922.

Bulla 12 oct. 1922 decermuntut sequentes dismembrationes et erectiones dioecesium in ditione Venezuelana, sc.: territoria dismembrata ab archidioecesi Caracensi et dioecesibus de Basquisimeto, de Guyana et Emeritensi eriguntur in novas dioeceses respective *Valentinam in Venezuela, Corensem, Cumanensem* et *Sancti Cristophori* (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 99).

C. *Litterae de Vicariatu et Praefecturis Apostolicis dividendis, erigendis.*

Nova Guinea Orientalis, 23 nov. 1922.

Litteris 23 nov. 1922, Praefectura Apostolica Terrae Gulielmi Orientalis (in insula Novae Guineae) in Vicariatum erigitur cui nomen in posterum erit *Novae Guineae Orientalis* (A. A. S. 15 ian. 1923, XV, 27).

Tahiti, de Cook et Manihiki, 27 nov. 1922.

Litteris 27 nov. 1922, Vicariatus Apostolicus insularum *Tahiti* (in Oceania) in duas partes dividitur, quarum altera in Praefecturam *de Cook et Manihiki* erigitur (A. A. S., 15 ian. 1923, XV, 28).

D. *Litterae de Delegatione Apostolica erigenda.*

Africa meridionalis, 7 dec. 1922.

Litteris 7 dec. 1922 erigitur Delegatio Apostolica *Africae meridionalis*, quae curas suas extendat ad regiones vulgo dictas Cape, Orange, Natal, Transvaal, Africam meridionalem-occiduam, Basutoland, Bechuanaland (A. A. S., 1 feb. 1923, XV, 64).

E. *Litterae de ecclesiis.*

Erectiones in collegiatam, 15 et 16 iul. 1922.

1. Bullis 15 et 16 iul. 1922, in *collegiatam ad honorem* eriguntur ecclesiae paroeciales respective *S. Sosii* et *B. M. V. Immaculatae*, ambae in civitate *Frattamaggiore* dioecesis Aversanae sitae.

Servitium chorale, paucis diebus exceptis, parvas horas tantum cum missa conventuali comprehendet; atque praecipuum canonicorum officium erit incumbere curae animarum; mulctae itaque constituentur non tantum in eos qui chorale servitium sed etiam in eos qui munera paroecialia aliquatenus neglexerint (A. A. S., XV, 5 apr. 1923, 137 et 141).

Basilicae minores:

2. Ad dignitatem *basilicae minoris* evehuntur:

B. M. V. a Miraculis Saronno;

2 ian. 1923, sanctuarium B. M. V. a Miraculis, oppidi *Saronno*, archidiocesis Mediolanensis (A. A. S, 1 feb. 1923, XV, 65).

S. Maria Magd. Angers;

12 ian. 1923, ecclesia S Mariae Magdalenae Poenitentis in civitate *Andegavensi* in Gallia (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 144).

SS. Salvatoris, Bahia;

16 ian. 1923, ecclesia metropolitana SS. Salvatoris *Bahiae* in Brasilia (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 145).

B. M. V. a Valle Florum, Tremp;

23 ian. 1923, ecclesia B. M. V. a Valle Florum in civitate *Tremp*, dioecesis Urgellensis (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 146)

B. M. V. Perdolentis Rho.

3 feb. 1923, ecclesia B. M. V. Perdolentis in oppido *Rho*, archidioecesis Mediolanensis (A. A. S. 5 apr. 1923, XV, 147).

F. *Litterae de indulgentiis, privilegiis.*

Concessio indulgentiarum, 2 feb. 1923.

Litteris 2. feb. 1923, sociis, zelatoribus tam laicis quam sacerdotibus, moderatoribus Sodalitatis Nostrae Dominae a Bona Morte, cui praesunt presbyteri a S. Maria, vulgo *de Tinchebray*, indulgentiae variae, facultates, et privilegia respective concedentur. Inter plura « in hoc... potissimum, cum sodalium, tum praecipue zelatorum studiosam voluntatem desideramus advocatam, ut exitialem quoquo pacto profligent errorem, ex quo fit, ut, cum animae detrimento, sancto oleo non ante liniantur infirmi quam, morte imminente, sensus paene vel omnino amiserunt. Neque enim, ut sacramentum valide liciteque detur, necesse est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo iudicium... » (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 103).

12. — *S. Congr. S. Officii.*

A. *Opera damnata.*

Opera damnata, 15 dec. 1922.

Decreto 15 dec. 1922 libri: *Elementos de Lógica; - Elementos de Psicologia; - Elementos de Ética cientifica*, auctore *P.*

Sanz Boronat, praedamnati declaratur ad praescriptum c. 1399, atque in Indicem inseruntur (A, A. S., 15 ian. 1922, XV, 29).

B. *Sententia degradationis.*

Sacerdos degradatus.

Apud A. A. S., 5 apr. XV, 152, publici iuris fit sententia degradationis ad normam c. 2305 lata in sacerdotem Thomam Sasso, dioecesis Tranensis (Italia).

13. — *S. Congr. Consistorialis*

De cura Italorum migrantium.

Tessera ecclesiastica migrantium, 26 ian. 1923.

Die 26 ian. 1923, S. C. Ordinariis Italiae commendat ut eos qui ex patria in Americam aliasve regiones migraturi sunt imo iam migraverunt, muniri curent *tessera* quadam *ecclesiastica*, in qua indicetur nomen, locus originis, quando et ubi baptismum et confirmationem receperint, et quinam sit praesens eorum status, utrum sc. liberi sint, an coniugati, cum filiis vel non, an vidui. (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 112).

14. — *S. Congr. Concilii*

Dioecesis T, Stalli choralis 8 iul. 1922.

1. Die 8 iul. 1922 respondit S. C. C. in causa dioecesis T. *Stalli choralis*. Cum nempe in choro ecclesiae cathedralis T, duae exstarent cathedrae episcopales, una in ima abside, altera in presbyterio a cornu evangelii, decreverat episcopus ut ordo sedendi capitularium, initium sumeret, non iam, prout assolebat, ab altera cathedra prope altare, sed a priore in ima abside sita, addita sanctione amittendarum distributionum. Solus Decanus, etsi interim intercessit speciale mandatum S. C. C., pertinaciter obtemperare recusavit, ideoque distributionibus privatus est, alque ob ulteriorem agendi modum suspensus. Ad eius recursum respondit S. C. Sustineri decretum episcopale « ita tamen ut canonici post dignitates, ad tramitem canonis 408 § 1 », nulla ratione habita officiorum, sedeant hinc inde iuxta prioritatem possessionis ; item sustineri poenas reluctanti inflictas (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 115).

Ratisbonen. duelli, 10 feb. 1923.

2. Die 9 aug. 1890, in Wratislaviensi *irregularitatis*, ad quaesitum num ab ordinandis qui antea, dum in saeculo studiis vacabat, duellum quale inter Germania inter Universitatum alumnos solet, sic dictam nempe « *mensuram* », patraverant, irregularitas incursa esset, et quo titulo, rescripserat S. C .C. « Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris. »

Nunc autem quaerit Ordinarius Ratisbonen. *num haec resolutio adhuc valeat*. Quidam scilicet censent c. 2351 utpote stricte interpretandum « mensuras » non comprehendere, vel saltem, ex c. 2245 § 4 reservationem censurae urgeri non posse. Hinc non sine gravi scandalo alii sacerdotes aliam sequuntur praxim. Porro 10 feb. 1923, ad propositum dubium, S. C. C. respondit: *Affirmative*. Et ratio affertur inter animadversiones ab officio quod « nihil hac in re Codex innovavit de vetere disciplina, « multoque minus novam definitionem criminis duelli dedit; « quin imo eadem usurpavit verba, quibus Const. *Apostolicae « Sedis* usa est ad duellantes eorumque patrinos poena ple- « ctendos. » Sola siquidem verba « etsi regiae » post illa « cuiuscumque dignitatis » omisit Codex. (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 154).

15. — *S. Congr. de Propaganda Fide.*

A. *Vicariatuum Apostolicorum dismembrationes uniones.*

Léopoldville - Matadi, 22 feb. 1923.

Decreto 22 feb. 1923 definiuntur ad amussim novi limites Vicariatus Apostolici *Leopoldopolitani* et Praefecturae Apostolicae *de Matadi* (Congo belg.) in exsecutionem decreti dismembrationis et unionis diei 31 maii 1921 (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 122).

Uniamba, - Victoria Nianza 15 mart. 1923.

Decreto 15 mart. 1923 regio de *Bussambino* a Vicariatu Apostolico *Unianembensi* (in Africa centrali) separatur et finitimo Vicariatui *Victoriae Njanzensi* unitur (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 166).

B. *Attributio Vicariatus Apostolici.*

Attributio Vicariatus Kimberley, 28 nov. 1922.

Decreto 28 nov. 1922 Vicariatus Apostolicus *Kimberliensis* (in Australia occidentali) curis committitur Piae Societatis Salesianae (A. A. S., 15 ian. 1922, XV, 30).

C. *Nominatio.*

Praeses operis a Prop. Fide pro Germania, 20 nov. 1922.

Decreto 20 nov. 1922 Praeses consilii nationalis Operis a Propaganda Fide pro Germania renuntiatur D. Aloys de Loewenstein Wertheim Rosenberg (A. A. S., 1 feb. 1923, XV, 80).

16. — *S. Congr. Rituum.*

A. *Rescripta de re liturgica.*

De versiculo in fine Tertiae, 19 ian. 1923.

Ad quaesitum cuiusdam Capituli Collegiatae, num servari possit usus penes se « per plures annos vigens, omittendi ver-

siculum *Fidelium animae* in fine Horae Tertiae, quando post eam immediate canitur Missa conventualis », respondit S. C. R. die 19 ian. 1923 : « *Negative* iuxta Decr. n. 2366, Thelesina 24 apr. 1742 ; et serventur rubricae Breviarii romani, tum generales tit. XXX, 3, tum peculiares in respectivis horis canonicis ». (A. A. S., 1 feb. 1923, XV, 80).

De ultimo evangelio in missa coram SS. exposito, 26 ian. 1923.

Proposito dubio : « Utrum in missa, quae celebratur coram « SS. Eucharistiae Sacramento sollemniter exposito et in qua « oratio SS. Sacramento iuxta rubricas addenda est, sitne in fine « legendum evangelium ex missa votiva de SS. Eucharistia, « tamquam stricte proprium, annon ? », responsum est a S. C. R. die 26 ian. 1923 : « Neque ultimum evangelium, sicut neque « praefatio, erit ex missa votiva SS. Sacramenti ; oratio enim « in casu non tenet locum missae votivae impeditae ad mentem « decreti 17 nov. 1922, ad I » (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 123).

B. *Causae beatificationis.*

I. *Per viam non cultus.*

Introductio causae Valentini Paquay, O. F. M., 22 nov. 1922.

Die 22 nov. 1922, signata est commisio introductionis causae servi Dei *Valentini Paquay*, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum. In civitate Tungrorum (dioecesis Leodiensi in Belgio) die 17 nov. 1828 natus, ordinem Fratrum Minorum anno 1849 ingressus, vitam religiosam fere totam duxit in urbe Hasselt (eiusdem dioecesis) ibique 1 ian. 1905 cum fama sanctitatis obiit. Ministerio sacro per quinquaginta annos addictus, humilitate imprimis ac pietate enituit (A. A. S., 15 ian. 1922, XV, 31).

Laurentius a S. Francisco Xaverio, 28 feb. 1923.

Die 28 feb. 1923, signata est commissio introductionis causae Servi Dei *Laurentii a S. Francisco Xaverio*, sacerdotis professi Congregationis Clericorum regularium SS.ae Crucis et Passionis D. N. I. C. Natus Romae a 1782, religionem ingressus 1801, devotionis praesertim in Iesum infantem propagator exstitit. Obiit a. 1856 (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 173).

Virtutes heroicae Francisci a Camporubeo 18 dec. 1922.

Ex mandato SS.i XV cal. ian. (18 dec.) 1922 publici iuris fit decretum de virtutibus heroicis Ven. Servi Dei Fr. *Francisci* a *Camporubeo*, laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (A. A. S., 15 ian. 1922, XV, 35).

Miracula Theresiae a Iesu infante, 11 feb. 1923.

III idus febr. (11 febr.) 1923, publici iuris factum est decretum de duobus miraculis ad intercessionem Ven. Servae Dei *Theresiae a Iesu infante* obtentis, de instantanea sc. perfectaque sanatione sororis Aloisiae a S. Germano, e Congregatione Filiarum a Cruce, a gravissimo ulcere ventriculi, atque de instantanea perfectaque sanatione clerici Caroli Anne a tubercu-

losi florida, hemoptoica, in periodo cavitaria (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 168).

Michaelis Garicoits, 19 mart. 1923.

XIV. cal apr. (19 mart.) 1923, pronuntiatum est constare de utroque miraculo proposito in causa Servi Dei *Michaelis Garicoits*, fundatoris Congregationis presbyterorum a SS. Corde Iesu, vulgo de Betharram, sc. de instantanea perfectaque sanatione sororis Mariae Théodard ab osteo-periostite flegmonosa digiti indicis in manu dextera; ac de instantanea perfectaque sanatione puellae Mariae Ladebais ab organico sive intestina sive dorsalem spinam afficiente morbo, illico totius corporis redintegratis viribus, et libera praesertim recuperata deambulandi facultate (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 176).

II. *Per viam cultus seu casus excepti.*

Laurentii a Villamagna, 28 feb. 1923.

Die 28 febr. 1923, Summus Pontifex ratum habuit rescriptum S. C. Rituum iuxta quod constat de casu excepto in causa Ortonen, confirmationis cultus Servi Dei *Laurentii a Villamagna*, sacerdotis professi Ordinis Minorum, Beati nuncupati. Villaemagnae in Aprutio citeriori a 1476 natus, vitam religiosam totam transegit in laboribus sacri ministerii; obiit a. 1535. (A. A. S., 5 aprilis 1923, XV, 170).

17. — *S. Cong. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*

Provincia Goana Delegationi Indiarum annectitur, 30 ian. 1923.

Ex audientia SS. 30 ian. 1923, auctoritas Delegati Apostolici Indiarum Orientalium ad provinciam ecclesiasticam Goanam quoque extenditur, firma tamen competentia Nuntii Apostolici Ulyssiponensis pro iis negotiis de quibus cum gubernio Lusitano agere contingat. In iis quae respiciunt novam provinciam sibi commissam, praedicta Delegatio huic S. Congregationi subicietur (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 179).

18. — *S. Rota Romana*

A. *Causa in extenso relata.*

Tranen. conventionis, 30 ian. 1923.

Die 30 ian. 1923, in *Tranen. conventionis*, S. Rota motam ab archiepiscopo convento exceptionem incompetentiae reiecit. Archiconfraternitas nempe Immaculatee Conceptionis, in ecclesia S. Francisci civitatis Tranensis erecta, archiepiscopum huius dioecesis et parochum dictae ecclesiae convenit in exsecutionem contractus initi die 31 dec. 1908, vi cuius ipsa exigit ut

ecclesia S. Francisci, translata in alias aedes paroecia, libera sibi linquatur. Cum autem erectio paroeciae in illa ecclesia facta sit in virtute rescripti S. C. Concilii dati 16 sept. 1908, exsecutioni mandati 1 nov. eiusdem anni, excipit archiepiscopus quaestionem esse de competentia S. C. Concilii. Verum in casu non agitur de valore rescripti S. C. Concilii, sed de valore contractus, rescripto posterioris et qui videtur cum rescripto componi vix posse. Ipsi rescripto ceterum nulla apposita est clausula praeiudicialis qua competentiae tribunalium subduceretur. Legere iuvat in ipso textu ea quae *in iure* perpenduntur de sensu canonis 1683, quamvis decidendae causae necessaria non videantur (A. A. S., 5 mart. 1923, XV, 124).

B. *Causae anno 1922 actae, quarum sententia in sola parte dispositiva editur.*

Causae matrimoniales.

1. Ex capite *vis et metus* ex parte mulieris:

Declaratum est constare de nullitate: die 9 ian. in Mohilovien; 7 mart. in Romana; 31 mart. (N. N.); 11 apr (N. N.); 17 maii in Camenecien., confirmata sic sententia Rotali 4 aug. 1921; 29 iul. in Parisien.; 14 aug. in Tonkin. orient.; 19 dec. in Caiacen; 30 dec. in Romana.

Declaratum est non constare de nullitate: die 31 ian. in Parisien; 3 iul. item in Parisien.; 12 iul. item in Parisien; 14 aug. in Wratislavien.; 18 oct. in Bonaeren.

2. Ex capite *vis et metus* ex parte viri:

Declaratum est non constare de nullitate die 24 mart. (N. N.); 7 aug. (N. N.).

3. Ex capite *condicionis* appositae:

Declaratum est constare de nullitate: die 31 mart. (N. N.); 28 apr. in Catanen.; 18 maii in causa Montispessulani; 10 iun. (N. N.); 4 aug. in Blesen.; 23 dec. in Tornacen.

4. Ex capite *condicionis appositae* et ex capite *impotentiae* ex parte viri declaratum est 10 aug. (N. N.) non constare de nullitate.

5. Ex capite *impotentiae* ex parte mulieris:

Confirmata est die 29 apr. sententia Rotalis diei 28 maii 1921 (N. N.) declarans constare de nullitate.

6. Ex capite *defectus consensus:*

Declaratum est non constare de nullitate die 29 apr. in Harlemen.; constare autem, die 16 aug. (N. N.).

7. Ex capite *defectus consensus* et *clandestinitatis:*

Declaratum est. 30 iun. non constare de nullitate (N. N.).

8. Ex capite *amentiae*:

Declaratum est 1 iul. non constare de nullitate (N. N.); constare autem 3 iul. in Marianopolitana; 17 aug. (N. N.).

Iterum publicatur in parte dispositiva sententia 20 iun. in causa Aegypti, nullitatis matrimonii, quaestionis incidentalis de re iudicata, quae reperiri est in extenso apud A. A. S. 15 nov. 1922, XIV, 600 (cf. *Period.* XI, p. 199).

9. Ex capite *affinitatis ex copula illicita*:

Die 10 aug. in Tolosana, infirmata sententia Rotali diei 8 ian. 1921, declaratum est constare de nullitate.

10. Ex capite *clandestinitatis:*

Declaratum est 13 dec. in Westmonasterien. non constare de nullitate.

Causae varii argumenti.

1. Die 14 ian. in Mazarien. declaratum est non constare de *iure patronatus*.

2. 25 feb. in Ianuen, refectionis damnorum, quaestionis incidentalis *de re iudicata* reicitur actio et confirmatur sententia appellata quod ad solutionem expensarum.

3. 5 maii, in Placentina *iurium*, proprietas bonorum quorundam adiucatur Sodalitati, administratio vero ecclesiae cathedrali.

4. Iterum publicatur in parte dispositiva sententia Tarentina, *iurium* confraternitatum, 3 feb., quae plene relata est A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 395 (cf. *Period.* XI, p. 134); Vicentina Societatis, quaestionum incidentalium *de appellatione et competentia* quae A. A. S., 15 dec. 1922, XIV, 652 (cf. *Period.* XI, p. 200).

5. Die 9 aug. in causa *Sacrae Ordinationis*, declaratur non constare de mullitate Ordinationis nec de nullitate onerum annexorum.

6. Die 2. dec. in causa (N. N.) *poenae et restitutionis*, declaratum est sustineri poenam inflictam et N. N. teneri ad restitutionem.

C. Causae quae anno 1922 *transactae sunt, peremptae, vel aliunde, absque definitiva sententia, finitae.*

Die 27 ian. Cochabamben. *emolumentorum*, ob incompetentiam huius S. Tribunalis.

2. 25 feb. Premislien. latinorum *excommunicationis*, ob renuntiationem actoris.

3. 31 mart. S. Annae Americae centralis *restitutionis in integrum et conventionis*, ob inhabilitatem actoris standi in iudicio.

4. 5 maii Clodien. *diffamationis*, ob incompetentiam S. Rotae in prima instantia (c. 1559, § 1, 10), remissis actis ad Ordinarium dioecesanum qui, si subsit causa, ea et ipse remittat ad Metropolitanum.

5. 2 iun. in Lisbonen. *nullitatis sacrae Ordinationis*, quaestionis incidentalis *super competentia* Curiae Patriarchalis, reicitur appellatio contra sententiam qua iudex Lisbonen. se incompetentem declaravit, quia causa iudici Lisbonensi commissa fuit a S. C. de Sacramentis, et ad eandem spectat tribunal designare a quo causae de nullitate sacrae Ordinationis in prima instantia dirimendae sint (c. 1993, § 2).

6. 1 iul. Mediolanen. *ultimae voluntatis* finita declaratur ob renuntiationem actricum a reo convento acceptatam (c. 1740), accedente beneplacito Apostolico iuxta c. 534, 41, ad normam regul. serv. ap. S. Rot. § 219, 3.

7. 9. iul. altera Mediolanen. *refectionis damnorum*, ob eadem motiva.

8. 7 aug. Petrocoricen. *nullitatis matrimonii*, ex capite clandestinitatis, ob renuntiationem actricis, asserta coniugis morte.

9. 30 dec. Platien. *refectionis damnorum*, ob renuntiationem partis actricis. (A. A. S., 1 feb. 1923, XV, 81).

19. — *Signatura Apostolica*

Romana nullitatis matrimonii, quaestio incidens, 25 nov. 1922.

In causa quadam Romana nullitatis matrimonii, quae in gradu appellationis agitabatur coram S. Rota, per sententiam interlocutoriam reiecta erat petitio partis actricis obtinendi

supplementum inquisitionis. Recursu interposito contra hanc rotalem sententiam apud Signaturam, decreverat Congressus huius tribunalis concedendum esse petitum supplementum instructionis, servatis de iure servandis. Ast contra ipsum hoc decretum recursum ulteriorem instituit Defensor Vinculi S. Rotae, deducens rem non esse de competentia Signaturae, vel saltem Congressum potestate iudicandi carere. Porro, in plenaria 25 nov. 1922, rescripserunt E.mi Patres laudatam decisionem Congressus esse confirmandam.

Inter alia quae in iure considerata sunt, haec adverte : vi Chirographi Benedicti XV, 28 iun. 1915, competentia Signaturae circa nullitatem sententiarum Rotae « non coarctatur limitibus can. 1892 et 1894 signatis ; recursus enim quoque admittitur si lata sententia sit manifesto vel contra legem vel non satis perpensa factorum veritate » (A. A. S., 5 apr. 1923, XV, 180).

20. — *Provisiones Ecclesiarum.*

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt episcopi residentiales:*

Puno — 7 ian. 1923, R. D. Fidel. Cosio y Medyna, ep. Punien. (Perù).

Maceiò — 19 ian. 1923, R. P. D. Sanctinus Maria a Silva Coutinho, archiep. Maccien. (Brasilia) ex Belemensi de Parà.

Marseille — 19 ian. 1923, R. P. D. Dan. Champavier, ep. Massilien. (Gallia) ex titulari Sorensi.

Tegucigalpa — 3 feb. 1923, R. P. Augustin. Hombach, archiep. Tegucigalpen. (Honduras).

Messina — 10 feb. 1923, R. P. D. Angel. Paino, archiep. Messanen. et archimandrita Ss. Salvatoris (Sicilia) ex titulari Antinoensi.

Syracuse — 19 feb. 1923, R. D. Dan. Curley, ep. Syracusen (Stat. foed. Amer. sept.)

Calbayog — 22 feb. 1923, R. P. D. Sophron. Hacbang et Gaborny, ep. Calbayogonus (Ins. Philippinae), ex titulari Anemuriensi.

Ogliastra — 2 mart. 1923, R. D. Anton Videmari, ep. Oleastren. (Sardinia)

Bova — 2 » » R. D. Andr. Taccone, ep. Boven. (Italia).

Socorro — 2 » » R. D. Leonid. Medina, ep. de Socorro (Columbia) ex titulari Chamachen.

Valleyfield — 9 mart. 1923, R. D. Domin. M. Rouleau, ep. Campivallen. (Canada).

Tehuantepec — 16 mart. 1923 R. D. Ianuar. Mendez y del Rio, ep. Tehuantepecen. (Mexico).

26 mart. 1923, R. D. Franc. Howard, ep. Covingtonen. (Stat. foed. Amer. Sept.) *Covington*

27 mart. 1923, R. P. Sebastian, Cuccarolo, ep. Bovinen. (Italia). *Bovino*

4 apr. 1923, R. P. D. Mich. Zezza, archiep. Neapolitan. (Italia) ex Ancyrano. *Napoli*

B. *Decretis S. Concistorialis, Administratores Apostolici nominati sunt.*

2 apr. 1922 R. P. D. Ioan. de Borzatti, ep. tit. Milevitanus, partis archidiocesis quae regno Italico attributa est et ab eius exercitu detinetur; *Zara*

R. P. D. Hieron. Mileta, ep. Sebenicen., alterius partis eiusdem archidioecesis quae in territorio regni serbi-croati-sloveni sita est.

20 iun. 1922, Ordinarius Iadrensis, insularum *Cherso* et *Lussino*, dioecesis Veglen. *Cherso, Lussino*

10 aug. 1922 Ioan. de Borzatti, ep. tit. Milevitanus, insulae *Lagosta* dioecesis Ragusinae. *Lagosta*

C. *Ope S. Ç. de Propaganda Fide* nominati sunt:

24 nov. 1922, R. P. D. Franc. Wolf, ep. tit. Byblien., Vic. Ap. Novae Guineae Orientalis. *Nova Guinea Orient.*

28 nov. 1922, R. D. Ernest. Coppo, Vic. Ap. Kimberlien. (Australia). *Kimberley*

22 nov. 1922, R. P. Alex. Carlo, Praef. Ap. de Lang-Long (Cina). *Lang Long*

21 dec. 1922, R. P. Alois. Lempereur. Praef. ap. de Katanga septemtr. (Congo). *Katanga sep.*

15 feb. 1923, R. P. Gerard. Vesters, Vic. Ap. Rabaulen. (Oceania). *Rabaul*

15 feb. 1923, R. P. Gabr. a Stanz, in saeculo Ios. Maria Zelger, Vic. Ap. de Dar-es-Salam (Africa Orient.) *Dar-es-Salam*

19 feb. 1923, R. P. Ant. Fourquet, Vic. Ap. de Canton (Cina). *Canton*

1 mart. 1923, R. P. Bernardin. Castanié, Praef. Ap. de *Cook* et *Nanihiki* (Oceania). *Cook et Manihiki*

3 mart. 1923, R. P. Ios. Hoogers, Praep. Ap de Tatung-fu (Mongolia). *Tatung-fu*

16 R. P. Math. Eder, Praef. Ap. Magni Namaqualand (Africa merid.) *Namaqualana*

Nominatio Delegati Apostolici.

2 dec. 1922, R. P. Jordan. (Bern.) Gijlswyck, Deleg. Ap. Africae meridionalis. *Africa merid*

21. — *Necrologium.*

Tucson 9 nov. 1922, Ill. D. Henr. Régis Granjon, ep. Tucsonen. (Stat. foed. Amer. sept.).

Haileybury 14 dec. 1922, Ill. D. Elias Anicet, Latulipe, ep. Haileburen. (Canada).

Marseille 9 ian. 1923, Ill. D. Anton. Fabre, ep. Massilien. (Gallia).

Saint Brieunc 10. ian. 1923, Ill. D. Iul. Laur. Morelle, ep. Briocen. (Gallia)

Iaffna 20 ian. 1923, Ill. D. Iul. Andr. Brault, ep. Jaffnen. (Ceylan).

Pamplona e Tudela 31 ian. 1923, Ill. D. Ios. Lopez Mendoza y Garcia, ep. Pampelonen et Tudelen. (Hispania).

Napoli 4 feb. 1923, Em. Card. Jos. Prisco, archiep. Neapolitan. (Italia).

Verona 14 feb. 1923, Em. Card. Barthol. Bacilieri, ep. Veronen. (Italia).

Coloczae Bács 18 feb. 1923, Ill. D. Leop. 'Arpad Várady, archiep. Colocen. et Bacsien. (Hungaria).

la Rochelle 7 mart. 1923, Ill. D. Ioan. Aug. Franc. Eutrop. Eyssautier, ep. Rupellen. (Gallia).

S. Ioseph 18 mart. 1923, Ill. D. Maurit. Burke, ep. S. Ioseph. (Stat. foed. Am. Sept.).

Digne 18 mart. 1923, Ill. D. Joan. Jos. Martel, ep. Dinien. Gallia).

Port-Augusta 22 mart. 1923, Ill. D. Joan. Henr. Norton, ep. Portaugustan. (Australia)

BIBLIOGRAPHIA

Baron **Descamps** Ministre d'Etat, Vice-Président du Sénat, Membre de l' Institut de France, etc.

Le Génie des religions. Les origines, avec un essai liminaire sur La Vérité, la Certitude, la Science et la Révélation. Gr. in 8, XVII, 712 p.

Introduction. - ESSAI LIMINAIRE : La notion de vérité. Les catégories de la vérité. Le panorama de l' intelligibilité. La conquête de la vérité. La science. La civilisation.

TITRE I. *Le fait religieux envisagé a la lumière de l' expérience générale:* Définition expérimentale. Universalité et perennité du phénomène. Teneur et formes élémentaires. Facteurs généraux. Sémantique des noms divins. Morphologie divine.

TITRE II. *Les faux points de vue sur l' origine* : Les faux points de vue épistémologiques (Sensisme, Immanentisme, Pragmatismo, Idéalisme, Criticisme, Fidéisme, Sociologisme, Traditionalisme). Les faux points de vue ethnologiques (Naturisme, Animisme, Manisme, Mythisme, Magicisme, Totémisme, Tabouisme).

TITRE III. *Le phénomène religieux à la lumière des traditions archaïques :* Physionomie générale de la Tradition. La tradition hébraique. Les traditions parallèles.

TITRE IV. *Le phénomene religienx à la lumière de l' anthropologie racique :* L' élément racique. Fait naturel de l' existence des races : causes et portée. Catégories d' élements raciques. Typologie des races. Classification scientifique. Constitution des types fondamentaux. La religion et les races.

TITRE V. *Le phén. rel à la lumière de l'archéologie préhistorique :* Premiers signes matériels de la présence de l'homme. Epoque paléolithique. Epoque néolithique.

TITRE VI. *Le phén. rel. à la lumière de la paléontologie linguistique :* Office des langues. Langues et races. Evolution géographique et historique. Le congénérat des langues. L'idiome indo-européen. Évocation de sociétés disparues. Berceau des Indo-Européens. La vieille patrie aryenne. Climat. Vie économique, sociale, morale et juridique, religieuse.

TITRE VII. *Le phén. rel. à la lumière de l'ethnologie.* Ethnologie, anthropologie, histoire et science ethnographique. Système des postulats. Méthode objective et progressive. Énergie mentale comparée des primitifs et psychologie primordiale du phénomène religieux.

TITRE VIII. *Le phén. rel. à la lumière de la raison.* L'existence de l'Être divin. Sa Nature. L'Être divin et le monde de la nature. L'Être divin et le monde humain.

Cappello, F. M., S. I. Prof. in Pont. Univ. Greg. — *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis* iuxta Codicem iuris canonici. Vol. III. — *De Matrimonio* Taurinorum - Augustae, Marietti. 1923 - In 8, XII - 954 p. Lib. ital. 30. Praefatio. - Cap. I. Notiones generales matrimonii. - Cap. II. De sponsalibus. - Cap. III. De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent. - Cap. IV. De impedimentis in genere, de malitia fornicationis commissa a persona impedimento obnoxiis. - Cap. V. De dispensationibus. - Cap. VI. De impedimentis impedimentibus in specie. - Cap. VII. De impedimentis dirimentibus in specie. - Cap. VIII. De consensu matrimonii. - IX. De forma celebrationis matrimonii. - Cap. X. De effectibus matrimonii. - Cap. XI. De separatione coniugum. - Cap. XII. De usu matrimonii seu de debito coniugali - Cap. XIII. De matrimonii convalidatione. - Cap XIV De secundis nuptiis. - Cap. XV. De causis matrimonialibus. - Index rerum ordine alphabetico digestus.

D. Jaquet, O. M. C. *Praelectiones historiae sacrae* ad usum scholarum. 2 vol. Taurinorum - Augustae, Marietti, 1922. t. I. XII - 568 p. - t. II, 470 p. Veneunt. 30 lib. ital.

ORDINATIO OPERIS. Prooemium. - **Notiones praeviae.** — *Historia in genere. - Historia ecclesiastica. - Narratio explorata seu scientifica. - Narratio ordinata. - Status religiosus, moralis, civilis et socialis, ante Christi adventum, apud Iudaeos et apud Romanos.*

Iesus Christus et aetas Apostolica.

Sequitur historia per saecula divisa. - Singula capita sic dividuntur. *Scriptores. - Summi Pontifices. - Relationes Ecclesiae cum Statu. - Haereses et concilia.* Adduntur interdum quae sunt ipsius saeculi propria.

Officium maioris Hebdomadae " *Cum Cantu* „ *et octavae Paschae,* in 16 charact. rubris-nigris impressa in charta indica, 972 p. sine tegumento, 25 lib. ital. Contectum linteo, 32 l. ; chagrin, 38-40 ; maroquin, 45 lib. Petrus Marietti. Torino.

Valère Fallon, S. I, *Principes de morale sociale*. 1. vol. in -8 422 p. 2 ed Bruges, Beyaert 1923. Venit in Belgio 8 fr. alibi, 10 fr.

Arens, S. J. *De zalige* JULIE BILLIART, Stichteres der Congregatie van de zusters van O. L. Vrouw. (volgens het Duitsch). 1 vol. in 8, 408 p. — I. Julie Billiart tot aan de stichting. — II. Van de stichting tot aan de verdrijving int Frankrijk. — III. Van het vertrek naar Namen tot aan den dood. IV Dood en verhenerlijking.

Ex Periodicis

Commentarium pro Religiosis. Sept.-Oct. 1922. MAROTO, PH., *Acta et documenta*. — GOYENECHE, S., *Consultationes*. (cc. 544 § 2 coll. cum cc. 993, 40 ; 984 et 995 - 155 coll. cum c. 543 - 618 cum 1516. - 177 - 583, 2. - 630 - 131, § 3.) — SWIENLEK, A. *Elementa status religiosi in Scriptura*.

— Febr. 1923. GOYENECHE, S., *Responsa S. C. de Relig. 16 mart. 1922 cum commentariis*. — LARRAONA, A. *Commentarium Codicis* (c. 488 contin.) — GOYENECHE, S., *Consultationes* (De compromisso in electione cc. 577 - 488.)

— Mart. 1923. MAROTO PH., *Acta et Documenta - cum annotationibus*. — LARRAONA A., *Commentarium codicis* (c. 488). — GOYENECHE S., *Consultationes* (De Superiore *ad interim* - c. 574 De approbatione Constitutionum in forma communi vel specifica.

— Apr. 1923. MAROTO, PH., *Acta et documenta S. Congr. de Religiosis*, cum annotationibus. — LARRAONA, A., *Commentarium Codicis* (cc. 198 - 329 - 489). *Quaestio canonica*. De *Ordinario* pro Congr. cler. non exempta. — GOYENECHE, S., *Consultationes* (cc, 543 et 105. De quadam iurisdictionis limitatione).

Resena ecclesiastica. Nov - dec. 1922. PUIG. SEB., *Dos Códices gregorianos de la Catedral de Barcelona*. – SALVADOR RIAL, *La pietat cristiana en el poble*. — RICARDO ARAGÒ. El III centenario de la Canonización de S. Teresa de Iesús.

Collationes Brugenses, ian.-febr. 1923. HOSTEN, E. *De iure occupationis. De accessione*. - DE SCHEPPER, R. *De interpretatione authentica legis ecclesiasticae. De interpretationis authenticae promulgatione*. - CALLEWAERT C. *De missa Dominicae impedita*. - DE MEESTER, A., *De benedictione puerperarum*.

Collationes Gandavenses. Dec. 1922. CLAEYS BOUUAERT F. *Differentiae inter Congregationes iuris pontificii et congrega-*

tiones dioecesanas. - De religiosorum clausura. — STANDAERT, A. *Casus testamenti informis.* — LEJOUR, O., *De annotatione baptismi.*

— Mart. 1923. VAN IMSCHOOT P., *De visione Isaïae prophetae.* — STANDAERT A., *An accepta ob opus malum restituenda sunt? Ratio.* — LEJOUR O., *De absolutione pro defunctis. - Quaedam monita eucharistica.*

Revue ecclésiastique de Liège. Janvier. 1923. G. KISELSTEIN, *Théorie et Pratique de la* sanatio in *radice.* - H. RONGY, *Les interprètes de l' Apocalypse.* - E. LEROUX, *De apto tempore celebrationis missae.* G. KISELSTEIN, *De restitutione ob violatum contractum.* - G. SIMENON, *Facultas celebrandi bis in eodem die.*

Rivista dell' Unione missionaria del Clero in Italia. Mart. 1923. *Atti del Congresso di Napoli. - Documenti.*

PARS ALTERA

MONUMENTA

22. — SS. D. N. PII Pp. XI

Motu Proprio, *Post datam*, 20 apr. 1923

QUINQUENNALES REQUIRENDAE A S. C. CONSISTORIALI

(A. A. S. 5 maii 1923, 15, 193)

Occasio Motu Proprio.

Post datam instructionem et statutam normam pro facultatum quinquennalium concessione, complures episcopi, sive singulatim, sive coniunctim, a Nobis enixe efflagitarunt, ne inolitus iam et vetustus mos mutaretur has facultates obtinendi unico folio typis impresso et ab uno Officio distribuendo. Gravamen enim sibi esse dicebant, tot Officia adire, idque facere non posse nisi ope procuratorum et non sine incommodis atque dispendiis.

Decretum.

Quae quidem omnia quum Nobis visa sint digna consideratione, ad gratificandum episcopis et ad faciliorem ipsis reddendam suarum Ecclesiarum administrationem, praesentibus Litteris *motu proprio* et *certa scientia* statuimus et decernimus ut in posterum facultates quinquennales, intra limites praefinitos et sub formulis exhibitis die 17 martii 1922, ab una Sacra Congregatione tribuantur, apud quam omnes episcopi, non obnoxii iurisdictioni sive Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sive Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, relationes suas dioecesanas deferre tenentur, hoc est a Sacra Congregatione Consistoriali. Ministri autem Sacrae Congregationis Consistorialis, saltem ante initium cuiuscumque quinquennii, a singulis S. Sedis Officiis requirent an in « facultatibus quinquennalibus » aliqua mutatio perficienda sit eamque in formu-

lis, quae distribuendae deinde erunt, adamussim introducent. Praesentibus valituris, contrariis quibusvis, etiam peculiari mentione dignis, non obstantibus.

Dies (20 ap. 1923). Datum Romae apud S. Petrum, die XX mensis aprilis anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

ANNOTATIONES

I. Ante Codicem complures episcopi, etiam qui C. De Propaganda Fide non erant subiecti, facultates quinquennales, praecipue per S. C. *De Propaganda Fide* obtinebant. Decreto autem S. C. *Consistorialis* 25 april. 1918, facultates fori externi abrogatae sunt; sed cum mox necessitas demonstraretur muniendi Ordinarios habitualibus facultatibus, eadem S. Congregatio, post conventum variorum Praefectorum seu Secretariorum SS. *Congregationum* et S. *Paenitentiariae*, plures elenchos ad episcopos misit facultatum quinquennalium quas Ordinarii locorum non subiectorum S. C. *de Propaganda Fide*, anno quo ad S. Sedem referre debent a SS. Congregationibus vel a S. Paenitentiaria obtinere possent.

II. Pro his facultatibus tres classes regionum distinctae sunt: 1. Italia; 2. Europa, excepta Italia et Russia; 3. Russia et reliquae orbis partes.

Vis tamen istius divisionis non est nimis urgenda. Sic S. C. *de Sacramentis* unicam formulam confecit quam etiam dioecesibus amplis Europae, v. g. dioecesibus Belgii concedit; unica quoque est formula S. *Officii*, quae plus vel minus plene communicatur.

III. Ut istas facultates impetrarent, Ordinarii debebant per procuratorem singula dicasteria adire. Hanc necessitatem multiplicis instantiae supprimere volens, S. Pontifex, praesenti Motu Proprio statuit ut omnes facultates a S. C. *Consistoriali* tribuerentur.

IV. Intactam tamen esse voluit exclusivam sin-

gulorum Dicasteriorum competentiam concedendi facultates. Quare iussit ut officiales S. C. *Consistorialis* identidem, et saltem ante initium cuiuscumque quinquennii, se certiores redderent si qua in formulis mutatio facienda esset.

Cum quotannis recurrat initium quinquennii pro episcopis cuiuspiam regionis (Cf. c. 340, § 2), dubitari potest utrum notitia ista sumenda sit singulis annis pro episcopis qui illo anno facultates renovandas habent; an tantum quinto quoque anno a primum concessis ac dein renovatis facultatibus. Ac priorem interpretationem magis veri similem putamus.

V. Itaque episcopi regionum quibus imperat S. C. de *Propaganda Fide*, ab hac S. Congregatione; ceteri a S. C. *Consistoriali* quinquennales facultates pro foro tam externo quam interno impetrabunt. Pro foro tamen interno, episcopi seu Ordinarii locorum qui S. C. de Propaganda Fide subiecti sunt S. Paenitentiariam directe adire non vetantur. Praesenti autem Motu proprio nulla optio esse sinitur adeundi singula dicasteria, sed dirigendus est supplex libellus ad S. C. *Consistorialem*, quae sic evasit quasi officium centrale distributionis facultatum.

---

23. — S. C. de Religiosis

Responsum 14 maii 1923

HABITUS TRANSEUNTIS DURANTE NOVICIATU

(A. A. S. 1 iun. 1923, 15, 289)

Dubium

S. Congr. de Religiosis propositum fuit sequens dubium pro opportuna solutione:

« Religiosus, qui in quadam religione professus, obtento indulto Apostolico, ad aliam religionem transit, teneturne ad habitum noviciorum religionis *ad quam* suscipiendum et gestandum perdurante noviciatu in nova religione? »

Responsum

Sacra autem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prout respondet: *Affirmative*.

Dies (14 maii 1923) Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 14 maii 1923.

C. Card. LAURENTI, *Praef.*

Maurus M. Serafini A. O. S. B. *Secretarius.*

ANNOTATIO

Casum istum, cum manifesta responsi ratione, examinavimus p. (16) huius t. XII.

---

24. — S. Rituum Congr.

Responsa 13 et 20 april. 1923.

I. DUBIA DE CEREO PASCHALI
(A. A. S. 5 maii 1923, 15, p. 238).

Orator A. R.mo Procuratore generali Ordinis Fratrum Minorum sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exhibita sunt, videlicet:

memorato decreto 1879 Per decretum n. 3479 *Societatis Iesu*, die 8 februarii 1879, ad II, proposito dubio: « Num quoties datur benedictio SS.mi « Sacramenti cum Ostensorio, tempore paschali, cereum pa- « schalem toties accendere liceat? » responsum fuit: *Negative.*

Quaerit Nunc quaeritur circa sensum huius responsi:

« I. An cereus paschalis accensus in Vesperis debeat ex- « stingui etsi Benedictio cum SS.mo Sacramento immediate « sequatur? ».

« II. An, si Missae solemnes aut solemnes Vesperae, tem- « pore paschali, celebrentur coram SS.mo Sacramento solem- « niter exposito, cereus paschalis accendendus sit, vel non? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Responsum Ad I. Posse cereum paschalem retineri accensum.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Dies (13 apr. 1923) Atque ita rescripsit ac declaravit, die 13 aprilis 1923.

† A. Card. VICO, *Episcopus Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

N. B. De istis responsis in proximo fasciculo agetur.

II. DE TRANSLATA SOLLEMNITATE ET ANTIPHONA FINALI

Orator

Sacerdos Antonius Garcia Ribeiro de Vasconcellos, Cathedralis Ecclesiae Conimbricen. in Lusitania Archidiaconus et dioecesis Calendarista, de sui Rev.mi Episcopi Ordinarii licentia, Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, pro authentica resolutione, sequentia dubia:

Dubia:
I. De SS. Cordis sollemnitate

I. Die in quam ab Ordinario transferiur externa solemnitas festi Sacratissimi Cordis Jesus (sic), manetne privilegium celebrandi Missam solemnem et Missas lectas de eodem festo, iuxta decretum Sacrae Rituum Congregationis N. 3960 in una *Romana* diei 23 iulii 1897, aut observari debet quod de Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa statuunt « Additiones et variationes in Rubricis Missalis ad normam Bullae *Divino afflatu*, tit. II, n. 3 »?

II De antiphona finali B. M. V.

II. Cum Officium divinum privatim persolvitur, nulla post Laudes et ceteras Horas, ob rationabilem causam, interruptione facta, an finalis Antiphona Beatae Mariae Virginis semel tantum debeat dici, nempe post Completorium? Et quatenus affirmative, an etiam idem dicendum in recitatione chorali, si officium non terminetur, nec discedatur a Choro nisi Completorio expleto, uti solet a plurimis annis in Ecclesia Cathedrali Conimbricensi?

Responsa

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I.

Ad I. quoad dies in quibus permittuntur Missa cum cantu et Missae lectae servetur Decretum N. 3960 *Romana* 23 iulii 1897. Quoad Commemoratioues et Orationes in eisdem Missis et quoad Commemorationem Missae impeditae, serventur novae Rubricae Missalis, tit. V, n. 3 et 4, et tit. VI, n. 1, et 4.

Ad. II.

Ad II. In utroque casu sufficit ut Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis semel tantum, post Completorium, recitetur.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 20 Aprilis 1923.

† A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius

ANNOTATIONES

Duplex argumentum attingitur: facultatem celebrandi etiam lectas missas in die in quam non cuiuslibet festi, sed festi SS. Cordis sollemnitas transfertur,

idque propter privilegium ; ac recitationem antiphonae finalis B. M. V. in fine Horarum canonicarum.

I. **De translata sollemnitate SS. Cordis.** Decreto 23 iul. 1897, firma obligatione recolendi in die propria, cum Officio et missa propriis festum SS. Cordis, eius externa sollemnitas, singulis annis ab Ordinariis locorum in aliam diem transferri potest, cum privilegio Missae propriae, quae ab omnibus tunc sacerdotibus dici potest, his tamen legibus, ut Missa *sollemnis* excludatur a duplicibus primae classis et a Dominicis privilegiatis etiam primae classis ; Missae vero lectae etiam a duplicibus secundae classis et a Dominicis, Feriis, Vigiliis octavisque privilegiatis excludantur, et numquam omittatur Missa conventualis vel parochialis officio diei respondens ubi eam celebrandi adsit obligatio. Per « Additiones autem et variationes in rubricis Missalis », loco indicato, unica Missa cani et unica legi potest de sollemnitate translata.

Inde **quaeritur** utrum privilegium vigere pergat an ad communes regulas sit redactum.

S. vero Rituum Congregatio declaravit privilegium quod ad dies et numerum Missarum vigere intactum ; novas autem Missalis rubricas de commemorationibus et orationibus, et de commemoratione Missae impeditae esse servandas.

II. Opinio satis communis erat ut qui uno moraliter tractu officium unius diei recitaret, bis tamen finalem B. M. V. antiphonam dicere deberet : i. e. semel in fine ultimae parvae horae, et semel post Completorium. Benigniori sententiae adhaerens, S. R. C. declarat, in isto casu, sive de privata sive de chorali recitatione agatur, antiphonam semel tantum, post Completorium recitandam esse. Ac ratio satis manifesta sententiam istam confirmat. Antiphona in discessu a choro recitanda est. Si semel tantum disceditur, cur

bis recitanda foret? Privatim autem recitans, si nullam moram inter officii partes interponit, semel tantum et ipse discedere (moraliter) existimatur.

---

25. — S. Rituum Congr.

Recentes formulae benedictionis nuptialis vel precum

I. Benedictio nuptialis extra Missam

(*De speciali Indulto S. Sedis*)

Benedictio nuptialis extra missam

Expleto ritu celebrandi Matrimonii sacramentum (*Ritual. Rom., tit. VII, cap. 2*) *post Orationem*: Réspice, *etc., si non dicatur Missa, sacerdos ad neo-coniugatos conversus, dicit Psalmum sequentem:*

PSALMUS 127.

Beáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuae.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensae tuae.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae.

Et videas fílios filiórum tuorum: * pacem super Israël.

Glória Patri, et Fílio, * et Spíritui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in saécula saeculórum. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera non a malo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

ORÉMUS.

Béne ✠ dic, Dómine, et réspice de caelis super hanc conjunctiónem: et sicut misísti sanctum Angelum tuum Raphaël pacíficum ad Tobíam et Saram, fíliam Raguélis; ita dignéris,

Dómine, míttere benedictiónem tuam super hos cónjuges, ut in tua benedictióne permáneant, in tua voluntáte persístant, et in tuo amóre vivant. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde, elevatis manibus et extensis super capita eorum, ministro librum tenente, dicit:

Dóminus Deus omnípotens benedícat vos, impleátque benedictiónem in vobis, et videátis fílios filiórum vestrórum usque in tértiam et quartam generatiónem et progéniem, et ad optátam perveniátis senectútem. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

II. - Preces recitandae extra Missam super coniuges quando benedictio nuptialis non permittitur.

(De speciali indulto S. Sedis).

Preces quibus benedictio supletur.

Si sponsa sit vidua iam in primis nuptiis benedicta, vel etiam si prima vice nubat, sed tempore clauso, expleto ritu celebrandi Matrimonii sacramentum (Rit. Rom., tit. VII, cap. I) post Orationem Réspice. *etc. sacerdos ad neo-coniugatos conversus dicit Psalmum sequentem:*

PSALMUS 127.

Beáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuae.

Fílii tui sicut novéllae olivárum, * in circúitu mensae tuae.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in saécula saeculórum. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentationém.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Praeténde, quaésumus, Dómine, fidélibus tuis déxteram caeléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, et quae digne póstulant assequántur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

ANNOTATIONES

1. Valde utilis esse potest usus istarum formularum, quando, v. g. propter locorum distantiam, vix sperari potest ut coniuges intra missam benedictionem umquam petant; vel ad compensandum viduae solatium quod ex benedictione accepisset. Verum speciale indultum est necessarium. Concessio tamen continetur in quinquennalibus facultatibus quas S. Rit. Cong. concedit episcopis Russiae et regionum extra Europam.

2. Sollemnis benedictio extra missam exceptionem continet regulae c. 1108, quae sollemnem benedictiom non permittit nisi intra missam.

---

26. — Pontif. Commissio Interpretando Codici

Responsa 17 aug. 1919.

DE EPISCOPO PROPRIO, INCARDINATIONE ET ABSOL. A RESERVATIS

Em. Princ. (*Card.* LOGUE *arch. Armacan. qui dubia proposuerat*).

Dubia. *Ep. proprius vagorum. Incardinatio ordinati pro servitio alius dioecesis. Reservationes pro peregrino*

Ad dubia proposita ab Em. Tua Rev.ma, nempe:

1. Quisnam sit episcopus proprius pro ordinatione illorum qui nullum domicilium habent (c. 956).

2. Utrum ille qui ordinetur a proprio episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta canonem 111, § 2, an potius dioecesi proprii episcopi iuxta canonem 969, § 2.

Et quatenus *negative* ad primam partem.

3. Quonam tempore incardinari debeat dioecesi cuius servitio ordinetur.

4. An peregrinus teneatur reservationibus loci in quo sit.

Responsa E.mi Patres huius Pontificiae Commissionis, in plenario coetu diei 3 aug. 1919, responderunt :

Ad 1. Ad 1. Prout dubium exponitur, est episcopus loci in quo fit ordinatio, modo tamen ordinandus praevie acquirat domicilium cum iuramento ad normam c. 956.

Ad 2. Ad 2. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3. Ad 3. Provisum in responsione ad 2.

Ad 4. Ad 4. Affirmative.

Quae dum Eminentiae Tuae Rev.mae nota facio, manus E. T. R. reverenter deosculor, meque profiteor.

Humillimum et addictissimum famulum.

Romae, 17 augusti 1919

P. Card. GASPARRI

Al. Sincero, Secretarius

ANNOTATIONES

I. Responsa ista prodierunt primo in *Irish Theological Quarterly*, 1919, p. 391 ; dein in *Monitore ecclesiastico*, 32, p. 57. Cum non fuerint in A. A. S. promulgata, neque auctoritatem neque stabilitatem legis per se habent. Excipias tamen postremum responsum de peregrinis, quod dein, 24 nov. 1920, confirmatum est responsionibus insertis in A. A. S. XII, 573 (*Per.*, X, 251). Donec tamen nihil diversum authentice declaretur, magna iisdem inest vis, et tutam normam agendi praebent.

II. Responsa ista, si excipias secundum, quocum tertium conectitur, manifesta ratione confirmantur. Observes tantum ad primum fuisse aequivalenter responsum, nullum esse episcopum proprium pro iis qui nullum domicilium habent, cum, in responsione, praevia domicilii acquisitio requiratur.

III. De secundo responso, haec difficultas moveri potest. Canon 969, § 2 proprio ordinandi episcopo permittit ut pro servitio alius dioecesis ordinet subditum qui in futurum, praevia excardinatione et incar-

dinatione isti dioecesi incorporetur. Nullam ergo supponit incardinationem quae ipsa promotione facta sit.

Quaeritur ergo utrum necne c. 111, § 2 praeterea locum det incardinationi immediatae per primam tonsuram collatam ab episcopo proprio pro alia dioecesi.

I. e. cum Codex duplicem incardinationem et excardinationem distinguat, alteram formalem et explicitam, de qua c. 112, alteram virtualem, cuius c. 114 exemplum nobis dat beneficii residentialis obtenti in aliena dioecesi cum scripto proprii Ordinarii consensu, quaeritur utrum collatio primae tonsurae pro servitio alius dioecesis clericum alienae dioecesi incardinare queat, necne.

Dum negativum responsum a postulante exspectabatur, sicut ex tertio quaesito colligi potest, datum est affirmativum, quo tertium quaesitum factum est inutile. Pro sententia opposita observari potest, canone 936, qui agit de ordinatione pro servitio alius dioecesis reici ad solum c. 969, § 2, qui postea faciendam incardinattonem supponit. Nec c. 112 ordinationem pro servitio alius dioecesis excipit a regulari excardinationis et incardinationis ratione casum c. 111, ubi agitur de receptione primae tonsurae pro alius dioecesis servitio. Dixeris ergo, in c. 111, § 2 de sola dioecesi ubi candidatus iam habebat domicilium sermonem fieri.

Post responsum Commissionis, duplex iam collatio tonsurae pro aliena dioecesi distinguenda erit: prior, ex communi consensu utriusque episcopi: proprii et Antistitis cui candidatus destinatur, collata, quae immediatam incardinationem virtualiter operatur; altera, sine isto consensu de immediata subiecti translatione peracta, quae subditum in propria dioecesi manere interea sinit: interea, i. e. donec bene visum erit alieno episcopo ordinatum recipere, et proprio episcopo, eundem excardinare.

IV. Non repugnat itaque ut episcopus qui novit semper esse dioeceses qui sufficienti numero sacerdotum priventur, idoneos quosdam subditos, sibi superfluos, ordinet indefinite pro servitio alienae dioecesis, quae petitione episcopi determinabitur.

---

27. — S. C. De Religiosis

Decretum 23 iun. 1923

CIRCA MONIALES IN GALLIA ET IN BELGIO

(A. A. S. 5 iul. 1923, 15, 357)

Memorata condicione monialium Belgii et Galliae post novas res Gallicas,

Religiosae sanctimonialium familiae , quae in Gallia et in Belgio post rerum publicarum conversionem, initio superioris saeculi, iterum coadunari coeperunt, ob nova civilium legum placita talibus in adiunctis constitutae sunt, ut Apostolica Sedes eas, nec ad antiquam communemque Ecclesiae disciplinam stricte moniales, nec votorum sollemnium vinculo aut clausurae papalis lege obstrictas aestimaverit, sed sub Episcoporum auctoritate cum votis dumtaxat simplicibus constitui siverit.

et resolutione 1919,

Ad hunc rerum statum referendum est dubium, quod anno 1919 huic Sacrae Congregationi propositum et, approbante s. m. Benedicto XV, resolutum fuit; nihil videlicet innovandum esse circa dependentiam monialium praedictarum ab Ordinariis locorum. (1) Cum tamen in ipsa responsione de talium monialium natura et statu nihil determinatum sit et aliunde plures gravesque oriantur difficultates, praecipue cum agendum sit de constitutionibus monialium, quae regulas Ordinum sequuntur, ad Codicem accommodandis, ita ut pax et tranquillitas monasteriorum turbari facile possit, haec Sacra Congregatio rem, diligenti studio subiectam, sollemniter definiendam esse censuit.

ut difficultates sollemni decreto amputentur,

Itaque EE. PP. Cardinales Sacrae Congregatiunis Religiosorum Sodalium Negotiis praepositae, in generali coetu ad Vaticanum habito die 1a iunii huius anni, re mature perpensa, censuerunt supplicandum SS.mo ut declarare et, quatenus opus sit, decernere dignaretur :

Em. Cardinales haec vota expresserunt, in generali coetu iunii

I. In Gallia et in Belgio moniales monasteriorum quae regulas Ordinum Regularium profitentur, seu quarum vota ex

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, XI (1919), p. 240.

instituto sunt solemnia, quamvis vota dumtaxat simplicia emittant, esse vere moniales iuris pontificii ad sensum can. 488 § 7, prout ceterae moniales in Ecclesia universa.

II. Ea tamen monasteria Superioribus Regularibus, salvo peculiari privilegio, minime esse subiecta, ideoque ad normam can. 615 exemptione non gaudere, sed esse Ordinariorum locorum iurisdictioni subiectas in iis quae canones Ordinariis ipsis circa moniales attribuunt. *II*

III. Nihil vero obstare in praesenti quominus, si quod monasterium id postulaverit, vota sollemnia, servata clausurae papalis lege, moniales emittere queant, dummodo id ab Apostolica Sede obtineant. *III*

Facta autem SS.mo D. N. Pio divina Providentia PP. XI de omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto P. Abb. Secretario die 4 eiusdem mensis iunii, Sanctitas Sua praefatas declarationes seu decreta ut supra approbavit et confirmavit, amplissima quoad praeteritum, quatenus opus sit, concessa sanatione; ac praesens decretum publici iuris fieri mandavit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. *Quae, adiecta amplissima sanatione SS. probata sunt*

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 23 iunii 1923. *Dies (23 iun. 1923)*

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. Quamvis non nulla verba praesentis Monumenti intentionem prodere videantur declarandi dubia potius quam decernendi nova, re vera tamen suaviore forma cuiuspiam enodationis vestitur sollemnis definitio qua, recedens a saeculari iam consuetudine, S. Sedes Moniales Belgii et Galliae ad ius commune revocare proponit.

Diu enim, in aestimanda istarum Monalium condicione, ad hoc initio proficiscebatur, religiosas istas non fuisse nisi cum votis sollemnibus approbatas, ita ut deficientibus istis votis novam quandam Congregationem efficerent cui, magis quam Congregationi votorum simplicium Romana approbatione ditatae,

S. Sedes extranea mansit. A monialibus veri nominis, cum differrent clausura, votis, obligatione chori, S. *Paenitentiaria*, 23 dec. 1835 declarabat: « a Sede Apostolica... non tamquam Ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur » (Cfr. BIZZARRI, *Collect.* p. 504, nota). Paulatim tamen magis ad communem monialium originem quam ad discrepantem sortem S. Sedes attendere coepit. Quem novum modum considerandi introductio votorum simplicium apud omnes moniales firmare debuit. Addas, in variis aliis regionibus, moniales cum votis simplicibus, coepisse exsisterere. Sic in America Septemtrionali, si pauca Visitationis monasteria excipias, vota omnium monialium; sic in Polonia, vota Ursulinarum non sunt nisi simplicia.

Codex demum, c. 488, § 7, communi monialium nomine et communi per se iure tam eas quae vota sollemnia iam non emittunt quam eas quae sollemniter sunt professae complexus est.

Anno tamen 1919, S. Sedes noluit quidpiam innovare circa dependentiam praedictarum monialium ab Ordinariis locorum Belgii et Galliae.

Verum, ut hodie fieri consuevit, de ipsa illa dependentia, quid inferret, coeperunt dubia S. Congregationi proponere et sic eam adducere ut, renovato iure, difficultates radicitus tolleret.

II. Itaque S. C. *de Religiosis* haec S. Pontifici declaranda vel decernenda proposuit:

1. Moniales Belgii et Galliae, quae regulas Ordinum regularium profitentur, seu quarum vota ex instituto sunt sollemnia, etsi vota dumtaxat simplicia emittant, sunt verae Moniales sicut ceterae in Ecclesia universali.

2. Monasteria ista non sunt per se exempta. Verum non iam usu sed Codicis canonibus aestimandum est quid Ordinarii locorum possint.

3. Monasteria sollemnitatem votorum a S. Sede postulare possunt; nec difficile obtinebunt, cum S. Sedes declaret nihil, in praesenti, tali sollemnitati obstare.

Quae vero Em. Patres suis suffragiis optarunt, id SS. Dominus confirmavit, amplissimam sanationem praeteritorum subiungens, ita ut de validitate vel efficacia actorum nulla dubitatio moveri queat, et moniales etiam ex licentia fortasse insufficienti, ius quaesitum consecutae sint.

II. De tribus decreti punctis pauca adnenda videntur.

1. Vi primi puncti moniales Belgii et Galliae, quod ad qualitatem, plene assimilantur ceteris Universae Ecclesiae monialibus, ita ut vere sint iuris Pontificii. Estne id de omnibus monialibus decretum? Ratio dubitandi oriri possit ex verbis « quae regulas Ordinum regularium profitentur ». Verba enim ista stricte vera sunt de monialibus S. Benedicti; dum Moniales S. Francisci propriam regulam secundi Ordinis sequuntur. Atque his etiam omissis, sunt moniales quae ad nullum Ordinem regularium virorum umquam pertinuerunt. Sic monasteria Visitationis, sic monasteria canonicarum quae, praeter regulam S. Augustini, propriis constitutionibus, sine ulla relatione ad Ordinem Eremitarum S. Augustini, reguntur. Suntne decreto comprehensae? Ratio dubitandi feliciter tollitur per verba « seu quarum vota ex Instituto sunt sollemnia »: haec vim habent universalem.

2. Ex altero puncto, moniales Belgii et Galliae, cum per se non subdantur Superioribus regularibus, etiam qua moniales subsunt Ordinariis locorum, qui proinde ipsis in virtute s. oboedientiae, ex potestate tamen iurisdictionis, imperare possunt.

Canones autem tribuunt Ordinariis: *a)* praesidentiam comitiorum eligendae Antistitae (c. 506, § 2); *b)* designationem cappellani et contionatorum (c. 529);

c) approbationem confessariorum (cc. 520. 521); *d*) determinationem finium clausurae (c. 597, § 3); et custodiam istius clausurae (c. 603); *e*) consensum praevium pro collocatione pecuniae (c. 533), pro collocatione dotis (c. 549); pro mutatione de dispositione usus, usufructus et cessione administrationis (c. 580, 3); pro alienatione bonorum (c. 535); *f)* acceptationem rationum reddendarum de administratione temporali (c. 535); *g)* explorationem voluntatis puellae ante noviciatum; et sororis ant e utramque professionem (c. 552); *h*) canonicam monasterii visitationem (c. 512, § 1, 1°).

Apostotae a religione contrahunt excommunicationem l. s. reservatam Ordinario loci in quo commorantur (c. 2385).

Sed Ordinariorum consensus erectioni monasterii non iam sufficit (c. 497); nec Ordinarii locorum possunt in votis despensare, indultum exclaustrationis vel saecularizationis concedere, dispensare in dote, electionem infirmare, permittere egressum e clausura (aliter atque in casu c. 601).

Nec Ordinarius est Superior ad quem spectat professionem perpetuam ultra primum triennium, ob iustas causas, differre.

Peculiaris provisio potest etiam monasterium Superioribus regularibus subicere. Sic moniales Benedictinae loci Maredret, Brevi 20 febr. 1920 (*Per.* X, 154) provisorie Abbati Primati Ordinis subiectae sunt.

3. **De concedenda sollemnitate votorum.** Re vera, cum a multis annis vota sollemnia a viris regularibus in Belgio et in Gallia nuncupentur, cur eadem vota monialibus prohibeantur seria ratio subsistere non videtur, praesertim cum, de facto, pleraeque strictam clausuram observent, et incapacitas acquirendi bona apte temperari queat.

De modo quo quaerenda erit et de condicionibus

quibus concedetur sollemnitas, nihil dicitur. Saltem opus est actu capitulari, rem ad maioritatem absolutam decernente (c. 101, § 1, 1). Dicendum erit in supplici libello quot moniales alius fuerint sententiae, ut S. Congr. omnia prudenter componere queat. Libellus utiliter ab Ordinario loci commendabitur; etsi directe ad S. Congregationem de Religiosis mitti possit.

Nova votorum nuncupatio non est per se necessaria. Facile tamen a S. Sede praescribi poterit. Nec, generatim, obligabuntur moniales nolentes ut sollemnia vota accipiant.

Ante vota sollemnia, si concedentur, testamentum faciendum non imponitur, sed fieri permittetur. Intra duos menses ante professionem sollemnem debebunt moniales bonis renuntiare, nisi usus faciendus sit indulti quo LEO XIII regularibus *utriusque sexus* in Belgio (et in Hollandia) permisit ut, dependenter a Superioribus, possent bona acquirere, administrare, cedere, tollendo incapacitatem voto sollemni paupertatis per se inductam. (Cfr. nostrum *De religiosis*, II, p. (81) ss.) Ex quo erit sollemne, votum castitatis dirimet matrimonium ratum et non consummatum, antea contractum, et futuro matrimonio opponet impedimentum dirimens. Sollemniter professis obligatio officii divini, si sint choro astrictae, fiet gravis. Excipe tamen moniales Visitationis B. M. V. quae mere officium B. M. V. recitant. Per se, quidquid monialis acquirit, monasterio acquiritur. - Demum propter attentatum matrimonium etiam mere civile, tam moniales quam qui cum iis contrahant, incident in excommunicationem l. s. Ap. Sedi simpliciter reservatam.

---

28. — S. C. S. Officii

Declaratio 31 maii, 1923

DE INQUISITIONE CIRCA PHAENOMENA CELEBRATA IN RELIGIOSO

(A. A. S. 5 iul. 1923, 15, 356).

Declarationis occasio.

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, fidei morumque integritati tutandae praeposita, peracta inquisitione super factis quae P. Pio vulgo da Pietralcina, Ordinis Minorum Capuccinorum, in conventu loci *San Giovanni Rotondo* dioecesis Fodianae commoranti, tribuuntur, declarat ex praefata inquisitione non constare de eorundem factorum supernaturalitate, ac fideles hortatur ut in propria agendi ratione huic declarationi se conforment.

Declaratio

Dies (31 maii 1922).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 31 maii, 1923.

Aloisius Castellano

Supremae S. Congregationis S. Officii, Sacretarius

ANNOTATIO

Observes quam prudenter simul et temperate declaratio ista sit confecta. Nulla persona damnatur; de factis id solum edicitur, ex inquisitione non constare de eorum supernaturalitate. Id tamen Supremae Congregationi satis esse videtur ut fideles ab incautis demonstrationibus (quae celebre fecerunt nomen humilis Franciscani a « Foggia ») et indiscreto concursu, efficaci hortatione avertat.

ACTA SUMMATIM RELATA

29. — *SS. D. N. Pius PP. XI.*

A. *Allocutio consistorialis.*

Oratio in consistorio, 23 maii 1923.

In consistorio secreto 23 maii 1923, Patres Cardinales alloquens, recolit R. P. laetos fructus congressuum eucharisticorum, qui hinc inde celebrantur ; pietatem quacum in orbe catholico exceptae sunt recentes Litterae encyclicae ; zelum multorum ad promovendam quae dici solet *actio catholica ;* spem bonam felicis successus « exhibitionis » illius Missionum totius orbis quae Romae fiet anno 1925. Hinc ad ea deveniens quae animum suum sollicitum tenent, memorat R. P. tristem sortem christianorum proximi Orientis, iura catholicorum in Loca sancta, discidia quae Europae gentes vexant ; insistit in acerbissima persecutione quam passi sunt et patiuntur praelati et sacerdotes catholici in Russia ; at « mirifice consolatur tum gloria « quae inde in religionem nostram Deumque ipsum redundat, « tum spes illa certissima qua sustentamur fore ut condemna- « tiones ipsae, iudicia, poenae ac sanguis in primis plurimo- « rum fiant optimorumque catholicorum semina, quemadmodum « sub ipsa Ecclesiae primordia *semen christianorum* exstite- « runt. » Quae quidem spes maior est de fratribus separatis, qui easdem poenas participant, quosque aeque atque ipsos catholicos R. P. opera sua adiuvare conatur. Nec desinet Vicarius Christi, secundum illud : *Noli vinci a malo, sed vince in malo bonum*, pro posse subvenire Russis fame laborantibus. « In haec nostra pacis vota et consilia singulari quadam fidu- « cia patrocinium imploramus... Beatae Teresiae a Iesu infante, « Beati Michaelis Garicoits, ac Beati Roberti Bellarmini. » (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 245).

B. *Beatificationes.*

Beatificationes :

Teresiae a Iesu infante, 29 apr. 1923 ;

1. Litteris 29 apr. 1923, Beata renuntiatur Ven. Serva Dei *Teresia a Iesu infante,* monialis professa Ord. Carm. excalc. Officium et Missa conceditur dioecesi Baiocensi et Lexoviensi atque Ordini Carmelitarum excalceatorum (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 202).

Michaelis Garicoits, 10 maii 1923;

2. Litteris 10 maii 1923, Beatorum honores decernuntur Ven. Servo Dei *Michaeli Garicoits*, fundatori Congregationis presbyterorum a Sacro Corde Iesu, vulgo de Bétharram. Officium et Missa conceduntur dioecesi Baionensi et Congregationi de Bétharram (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 263).

Roberti Bellarmini, 13 maii 1923.

3. Item litteris 13 maii 1923, Beatus renuntiatur Ven. S. D. *Robertus* Card. *Bellarminus* e Societate Iesu. Officium et Missa conceduntur Urbi eiusque districtui, archidioecesi Capuanae, dioecesi Montis Politiani et Societati Iesu (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 269).

C. *Constitutio patroni.*

Patronus missionum ad populum 17 mart. 1923.

Litteris 17 mart. 1923, *S. Leonardus a Portu Mauritio* patronus constituitur sacerdotum qui sacris missionibus ad populum in regionibus catholicis incumbunt (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 196).

D. *Dismembrationes, erectiones Vicariatuum, Praefecturae*

Diego Suarez - Maiunga, 15 mart. 1923.

1. Litteris 15 mart. 1923, pars occidentalis Vicariatus Apostolici de *Diego Suarez* insulae Madagascar, erigitur in novum Vicariatum de *Maiunga*, qui curis Patrum a Spiritu Sancto commissus manet (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 194).

Togo - Volta infer., 15 mart. 1923.

2. Litteris pariter 15 mart. 1923, pars Vicariatus Apostolici *Togonensis* in Africa occidentali, quae nunc ditioni anglicae subest, in novum Vicariatum *de Volta inferiore* erigitur, atque Societati Lugdunensi missionum ad Afros provinciae hollandicae concreditur (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 195).

Natal - Swaziland, 19 apr. 1923.

3. Litteris 19 apr. 1923, erigitur Praefectura Apostolica de *Swaziland*, seiuncta a Vicariatu Apostolico *Natalensi* (in Africa meridionali), sub cura Ordinis Servorum B. M. V. (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 201).

E. *Erectio Basilicae.*

S. Basilii Brugis, 13 apr. 1923.

Litteris 13 apr. 1923, ecclesia *S. Basilii* in civitate Brugensi (Belgium) in basilicam minorem evehitur (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 200).

F. *Erectio collegiatae ad honorem.*

Collegiata ad honorem, 18 feb. 1923.

Bulla 18 feb. 1923 ecclesia *S. Mariae a Ponte* loci *Lavagna*, dioecesis Clavarensis (Italia) in collegiatam ad honorem erigitur. Capitulum quatuor canonicis constat qui ministerio sacro in dicta ecclesia vacabunt (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 258).

G. *Concessio pallii.*

Concessio pallii, 1 mart. 1923.

Bulla 1 mart. 1923, hodierno episcopo *Suessionensi* (in Gallia) eiusque successoribus privilegium conceditur obtinendi usum Pallii. Privilegium autem Decani et Primi Suffraganei, quo decorabantur Suessionenses antistites, amplius iam non sustinetur (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 261).

H. *Restitutio abbatiae.*

Abbatia B. M. V. de Speinshart, O. Praem., 24 mart. 1923.

Litteris 24 mart. 1923, restituitur abbatia *B. Mariae V. de Speinshart*, Ordinis Praemonstratensis, in territorio dioecesis Ratisbonensis in Bavaria sita. Fundata a. 1145, ab Hussitis a. 1428 vastata, a Pio Pp. II, postulante capitulo generali a. 1459 in abbatiam erecta, prima vice a pseudo-reformatione a. 1556 suppressa erat, A. 1659 a canonicis regularibus redintegrata, a. 1691 in pristinum restituta, a. 1803 sic dicta saecularizatione, expulsis quoque religiosis Ordinis Praemonstratensis e Germaniae finibus, iterum spoliata est. Nunc autem, curis abbatis Teplensis, Ord. Praem., in Tceco-Slovachia, in possessionem denuo rediit perantiqui proprietarii atque instauratur in ea vita regularis (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 197).

I. *Ius erigendi Sodalitates.*

Sodalitates Divini Infantis Pragensis, 15 ian. 1923.

Litteris 15 ian. 1923, Praeposito generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum facultas exclusiva conceditur erigendi ubique terrarum *Sodalitates Divini Infantis Pragensis;* decernitur praeterea ut in posterum omnes illae sodalitates uno eodemque utantur statuto, quod nempe probavit S. C. Concilii 24 iulii 1913, omnesque, tam erectae quam erigendae iisdem gaudeant indulgentiis ac privilegiis; indulgentiae vero et gratiae, sodalitatibus hucusque concessae, revocantur (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 262).

K. *Opera zeli.*

Seminarium pro nigritis in America, 5 apr. 1923.

1. Quamvis simplices *Epistolae* in summarium redigi apud *Periodica* non soleant, liceat tamen illam commemorare qua R. P., die 5 apr. 1923, P. Guglielmo Gier, Superiori generali Societatis a Verbo divino, gratulatur de Seminario pro nigritis in America septemtrionali constituendo. Collegium nempe pro nigritis in *Greenville*, dioecesis Natchetensis, exsistens, mox in *Bay St. Louis* transferetur atque in domum missionis convertetur qua adulescentes ad Institutum Patrum a Verbo divino praeparentur (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 216).

Opera zeli in Venezuela, 25 apr. 1923.

2. Altera quoque quae plurium intersit data est 25 apr. 1923 ad episcopos reipublicae de *Venezuela*. Eos nimirum R.

P. hortatur ut iuvenes qui vocationis spem praebeant, in Seminaria quamprimum excipiantur ; ut ipsa Seminaria apte pro scopo suo instruantur et ordinentur ; ut scholae parochiales ubique condantur quo ignorantiae religionis remedium afferatur ; ut tuendae familiae sanctitati allaborent ; demum atque praesertim ut missiones inter indigenas promoveant (A. A. S., 1 iun 1923, XV, 275).

30. — *S. Officium*

A. *Opera prohibita.*

Opera prohibita, 4 maii 1923.

Decreto 4 maii 1923, in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandantur opera : *Historia interna documentada de la Compania de Jésus,* por Don MIGUEL MIR, Pbro, de la Real Academia Espagnola. Tomo I et II. - *Histoire intérieure de la Compagnie de Jésus d'après les documents, adapté par* I. DE RÉCALDE *du récent ouvrage espagnol de Don Miguel Mir :* I, « Les principes ». Paris, Librairie Moderne, 2, rue de l'Echaudé Saint-Germain, 1922 (A. A. S , 1 iun. 1923, XV, 287).

B. *Opus damnatum.*

Opus damnatum, 10 maii 1923.

Decreto 10 maii 1923, proscribitur et damnatur opusculum : *L'apparition de la très Sainte Vierge sur la sainte montagne de la Salette le samedi 19 septembre 1845. Simple réimpression du texte intégral publié par Mélanie,* etc. Société Saint Augustin, Paris-Rome-Bruges, 1922; atque mandatur ut ii ad quos spectat exemplaria e manibus fidelium retrahere curent (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 287).

ANNOTATIONES

1. Quamvis utrumque scriptum damnetur, solum tamen prius in Indicem referendum est. Cur alterum non sit inserendum, causa esse videtur exigua moles exiguumque libelli momentum.

2. Itaque, si praesens decretum cum decreto 15 - 16 martii 1922 conferamus, id colligere possumus. Suprema Congregatio, mitiore usa sanctione, ipsa librum non formaliter proscribit sed monet esse reprobandum (cf. *Per.* XI, 7) ; plerumque vero librum reprobandum ipsa damnat, iubendo ut in Indicem referatur ; sed cum operae pretium esse non videatur, librum Indice non inserit.

31. — *S. C. Consistorialis*

Abbatia suffraganea, 18 nov. 1922.

Decreto 18 nov 1922, abbatia *Sancti Petri de Muenster*, quae litteris apostolicis 6 maii 1921 constituta fuerat S. Sedi immediate subiecta, tamquam dioecesis suffraganea, provinciae ecclesiasticae Reginatensi unitur (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 288).

32. — *S. C. Concilii*

Cremonen. benedictionis sacri fontis, 10 iun. 1922.

Die 10 iun. 1922, datum est responsum in *Cremonen. benedictionis sacri fontis.* Ex institutis nempe S. Caroli in concilio provinciali Mediolanensi VI, quotannis in sabbato sancto et in pervigilio Pentecostes, tenebantur parochi benedictioni fontis assistere in respectiva ecclesia matrici seu plebana ; atque inde accipere aquam baptismalem, quam, comitantibus clericis cum luminaribus, in ecclesiam propriam deferrent, sollemniter iuxta peculiarem ritum fonti infundendam. Iamvero consuetudo inoluit haec omnia prorsus omittendi in pervigilio Pentecostes ; in sabbato sancto autem solent parochi, in sua quisque ecclesia, fontis benedictionem, modo alibi consueto, peragere usque ad oleorum infusionem exclusive ; tum superinfunditur parva quantitas aquae, e matrice privatim, plerumque ab aedituo, allatam. De consensu interesse habentium postulabat Ordinarius Cremonen. ut, firmo onere accipiendi a matrice in signum subiectionis Olea sancta feria V in Coena Domini, singulis paroeciis adiudicaretur ius peragendi benedictionem fontis omnino iuxta Missale romanum ; et annuit S. C. C. Ad alterum vero quaesitum « an, sc. tolerari possit consuetudo benedicendi aquam baptismalem semel in anno, seu sabbato sancto Paschatis dumtaxat, in casu », respondit *negative*. Ansam dubitandi reperiebat recurrens in verbis Ritualis romani : « aqua vero sollemnis baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancto Paschatis *vel* sabbato Pentecostes ». Verum inde minime sequitur alterutram tantum benedictionem esse de praecepto ; conferri possunt inter alia S. R. C. decreta 2878, 3331 et alia relata a S. C. C. in Lucan. et Oriminen. 22 apr. 1907 ; demum ex c. 462, 7 habetur tantum benedictionem in sabbato sancto esse parocho reservatam, nec corrigitur expresse (cf. c. 2) lex liturgica de qua agitur. Quodsi S. C. C. nonnumquam declaravit consuetudinem contrariam tolerari posse, id concessit ob peculiares casus circumstantias, ad modum privilegii contra ius, quod proinde (cf. cc. 49.50) ad casus non expressos extendi nequit (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 225).

33. — *S. Congr. Rituum.*

Causae beatificationis et canonizationis.

A. *Decretum de virtutibus.*

Marianus ab Arce Casali O. F. M., 3 maii 1923.

V non. maii (3 maii) 1923, decretum est constare de virtutibus heroicis Ven. Servi Dei *Mariani ab Arce Casali*, laici professi Ordinis Fratrum Minorum, in recessu prope Civitellam (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 292).

B. *Decretum de miraculis.*

Robertus Card. Bellarminus, 15 apr. 1923.

XVII cal. maii (15 apr.) 1923, edictum est constare de miraculis propositis pro beatificatione Ven. S. *D. Roberti Card. Bellarmini* e S. I., sc. de instantanea perfectaque sanatione pueruli Ignatii De Lazzaris a gravi cerebri commotione et a crasso haematomate in regione temporali dextera, quae duo ex eiusdem Ignatii ab alto in terram prolapsu fuerunt producta; atque de instantanea perfectaque sanatione Arsiliae Altissimi ab ulcerato tumore haemorrhoidali (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 234).

C. *Decreta « de tuto ».*

Teresia a Iesu, 19 mart. 1923;

1. XIV cal. apr. (19 mart.) 1923, decretum est tuto procedi posse ad sollemnem Ven. sororis *Teresiae a Iesu infante* beatificationem (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 228).

Michael Garicoits, 15 apr. 1923;

2. Item XVII cal. maii (15 apr.) 1923, ad beatificationem Ven. *Michaelis Garicoits* (A. A. S., 5 maii 1923, XV, 231).

Robertus Bellarminus, 3 maii 1923.

3. Item V non. maii (3 maii) 1923, ad beatificationem Ven. S. D. *Roberti Card. Bellarmini* (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 290).

34. — *S. C. pro Ecclesia Orientali.*

Indulgentia, 24 maii 1923.

Die 24 maii 1923, publicatur indulgentia tercentum dierum toties quoties, defunctis applicabilem, a SS.o die 24 maii 1922 concessa pro invocatione *Salvator mundi, salva Russiam, Spasitel mira, spasi Rossiu*, quae iam in usu est apud Russos emigratos tum catholicos tum dissidentes (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 295).

35. — *S. Rota.*

Dioecesis X, damnorum, quaestio incidens de competentia, 30 apr. 1923.

Die 30 apr. 1923, S. Rota sententiam dedit in causa dioecesis X., *damnorum, quaestione incidenti de competentia*. Sacerdos nempe N. N., canonicus cathedralis X., a suo Ordinario suspensionis poena ad biduum fuerat punitus propter absentiam a choro in festo B. M. V. in coelum assumptae; atque inter motiva suspensionis allegabantur tum habitualis absentia, tum

facta gravia de quibus iam saepius delinquens *fuisset admonitus*. Recurrit sacerdos ad S. C. Concilii, tum ut invalida declararetur poena inflicta, tum ut episcopus obligaretur facta ista gravia specificare. Verum S. C. Concilii, assumptis informationibus, bis atque ter recursum reiecit, nova superaddita in recurrentem admonitione. Hac sibi praeclusa via, disciplinari scilicet, sacerdos N. N. ad tramites stricti iuris, procedere se posse existimans, adversus episcopum actionem damnorum instituit apud S. Rotam. At episcopus incompetentiam huius tribunalis excepit, contendens agi de quaestione non stricto iure sed via tantum disciplinari dirimenda, quaeque proinde exclusive reservaretur S. C. Concilii. Quam exceptionem admisit S. Rota, et incompetentem se declaravit imprimis quia, in iis quae episcopi « agunt tamquam administratores aut disciplinae moderatores, nullos habent iudices, nisi SS. Congregationes » (de quo cf. c. 1601) ; dein quia iuxta Normas peculiares cap. III, n. 10 : « Quaestione semel instituta penes Congregationem ali- « quam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus « admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo, his iam « non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem insti- « tuere. Eoque minus, deliberata re atque ad sententiam de- « ducta, fas erit hoc agere. » (A. A. S., 1 iun. 1923, XV, 296).

36. — *Provisio ecclesiarum*

A. Archiepiscopi vel episcopi residentiales *in consistorio secreto* 23 maii 1923 nominati vel publicati sunt (praeter alios quorum nomina reperiuntur apud haec Period. XII, 1923, pp. 28-59):

R. P. D. Ioan Evang. de Lima Vidal, archiep.-ep. Villaeregalen. (Lusitania) ex archiep. Mytilenen. — *Villareale*

R. P. D. Rich. Carlesi, ep. Cortonen (Italia), ex Soanen.-Pitilianen. — *Cortona*

R. D. Elias Dalla Costa, ep. Patavin. (Italia). — *Padova*

R. P. D. Ign. Placencia, ep. de Zacatecas (Mexico) ex ep. Tehuantepecen. — *Zacatecas*

R. D. Rich. Ryan, ep. Geraldtonen. (Australia). — *Geraldton*

R. D. Dan. Curley, ep. Syracusen (Stat. foed. Amer. Sept.) — *Syracuse*

R. D. Carol. Sliwowski, ep. de Vladivostok (Russia). — *Vladivostok*

R. P. D. Ios. Tupinambà de Frota, ep. de Uberaba (Brasilia) ex ep. Sobralen. — *Uberaba*

R. D. Gul. Mac Neely, ep. Rapoten. (Hibernia). — *Raphoe*

Item ratam habuit R. P. provisionem Ecclesiae Tripolitanae (Syria) ritus Melchitici de R. P. D. Ios. Kallâs. — *Tripoli*

In consistorio secreto 25 maii 1923 nominati sunt:

Guastalla R. P. D. Iordan. Corsini, ep. Guastallen. (Italia) ex ep. Hebronen.

Verona R. D. Hieron. Cardinale, ep Veronen (Italia).

B. Vicarii et Praefectus Apostolici ope S. C. *de Propaganda fide* nominati sunt:

Majunga 20 mart. 1923 R. P. Paul. Pichot, Vic. Ap. de Majunga (Madagascar).

Volta inf. 20 mart. 1923 R. D. Aug. Hermann, Vic. Ap. de Volta inf. (Africa occ.).

Togo 22 mart. 1923 R. D. Io. Maria Cesson, Vic. Ap. Togonen. (Africa occ.).

Swaziland 27 apr. 1923 R. P. Peregr. Bellezze, Praef. Ap. de Swaziland (Africa merid.).

Nominationes

Decretis *S. Ç. pro Ecclesia orientali* nominati snnt:

Constantinopolis 31 mart. 1923, R. P. D. Ern. Filippi, archiep. tit. Sardicen., Deleg. Apost. Constantinopolitanus.

Ierusalem 18 apr. 1923, R. P. Paul. Voillard, Deleg. ad nutum S. Sedis in Seminario Graeco-melchit. in Ierusalem.

A S. C. *de Propaganda fide* praesides consilii nationalis operis a Propaganda fide nominati sunt:

pro Austria, R. D. Ios. Wolny;

pro Belgio, R. D. Aug. De Smedt.

37. — *Necrologium*

Lincoln 4 feb. 1923 Ill. D. Car. O' Reilly, ep. Lincolnen. (Stat. foed. Americae sept.)

Puebla de los Angelos 25 mart. 1923 Ill. D. Henr. Sanchez y Paredes, archiep. Angelorum (Mexico).

Popayan 1 apr. 1923 Ill. D. Emm. Anton. Arboleda, archiep. Popayanen. (Columbia).

Buenos Aires 8 apr. 1922 Ill. D. Anton. Espinosa, archiep. de Buenos Aires (Argentina).

British Honduras 14 apr. 1923 Ill. D. Frider. Hopkins, ep. tit. Atribi, Vic. Ap. Honduren. (America centr.).

Batavia 2 maii 1923 Ill. D. Edm. Luypen, ep. tit. Oropo, Vic. Ap. Bataviae (Iava).

BIBLIOGRAPHIA

S. d' Angelo (R. D. Professor) *Parroco e parrocchia nel Codice di diritto canonico* (Biblioteca canonico - giuridico - pastorale, diretta da Mons. Sosio d' Angelo prof. di diritto romano nella Pontificia Università di S. Apollinare in Roma) 1 vol. in- 8, VIII - 120 p. Giarre (Sicilia) 1923. Cap. I. *Doveri ordinari.* Cap. II. *Diritti ordinari.* Cap. III. *Diritti e doveri straordinari.* Cap. IV. *Avvertimenti pratici.*

G. Arendt, S. I. *Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae.* Diatriba pro sanctitate pacti coniugalis. 1. vol. in- 8, VIII - 104 p. Romae Pustet 1923. Cap. I. Accurata sententiae propositio. - Cap. II. Notiones praeviae. - Cap. III. Propositio de impossibili consensu valido, si mulier recisa cognoscitur. - Cap. IV. De traditione Patrum. - Cap. V. De revelatione et scholastica disciplina. - Cap. VI. De S. Bonaventurae sententia. - Appendices.

De Smet (R. D.) *De Sponsalibus et Matrimonio tractatus canonicus et theologicus.* in 8, Ed. IV. Tom. I, XLII - 440 p. Brugis, Beyaent 1923.

A. Vermeersch, S. I. *Theologiae moralis Principia, Responsa, Consilia.* Tom. III, De Personis, de Sacramentis, de Ecclesiae praeceptis et censuris, 1 vol. in. 8, XVI - 803 p.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses. Mart. - apr. 1923. G. I. EPISC. BRUGEN, *Introductio ad vitam mysticam.* Prologus. - E. HOSTEN. *De accessione. De successione.* - LAMIROY, H. *De membris Ecclesiae.* - LEGRAND, A. *De remediis scrupulorum.* - *Casus de conscientia scrupulosa. De privilegiis scrupulosorum.* - DE MEESTER, A. *De nominatione parochorum.*

Collationes Gandavenses. Iunii 1923. STANDAERT O. *De gravitate obligationis Officium divinum recitandi.* - LEIOUR O. *De benedictionibus.* - CLAEYS - BOUUAERT, F. *De quarta funeraria seu portione paroeciali.*

Commentarium pro religiosis iun. 1923. A. LARRAONA, Quaesita canonica, de demissione apostatae.

Resena Ecclesiastica. Maii - iun. 1923. VALLHONRAT, J. *Cuestiones practico - juridicas acerca se los parrocos.* - VAN STEENBERGHEN, L' opuscle de Sant Tomàs « De unitate intellectus ».

Revue ecclesiastique de Liège, mai 1923. LEROUX E. *Le devoir pascal.* - KISELSTEIN, G., *La légitimité de la grève.* - KERKHOFS, L , *De populari expositione gratiae sanctificantis.* - juillet 1923. L. KERKOFS, L' argument déontologique de l' existence de Dieu. - E. LEROUX. Les prodiges spirites. Mélanges théologiques.

Rivista dell' unione missionaria del Clero in Italia. mai 1923.

DRAGO, *All' indomani di una grande bufera.*

DON MARTINI, *Ciò che abbisogna alle Missioni Cattoliche.*

PARS ALTERA

MONUMENTA

38. — SS. D. N. PII Pp. XI

Epistola 28 maii 1923

DE ORDINE CISTERCIENSIUM REFORMATORUM

(A. A. S. Iul. 1923, 15, 345).

Laudato Ill. Decessore qui, bis Ordinis praefectus, bis munus abdicavit.

Dilecte fili (1), salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine animi aegritudine accepimus, venerabilem fratrem Augustinum, Episcopum titulo Constantiensem, se iterum munere Abbatis generalis Ordinis vestri abdicasse; qua in sententia cum perstitisset, qui in Capitulum generale convenerant, eos, quamquam invitos, tamen Antistitis egregii optatis obsequi communiter deliberavisse. Non sine animi aegritudine, dicimus; memineramus enim, qualem is Apostolicae Sedi continenter probasset observantiam officiosamque voluntatem, quamque studiose egisset, postquam tres Trappensium Congregationes in unum corpus nutu atque auctoritate Leonis XIII coaluerant, ut eiusmodi solidaretur compages arctissimaque animorum coniunctione compleretur. Huc praeterea accedebat quod ille idem abhinc satis multos annos, sapienti prudentique Ordinis gubernatione praeclare de vobis meritus erat. Sed iam reliquum est, quandoquidem in eius locum tu, dilecte fili, communibus subrogatus es suffragiis, ut qua Cisterciensis Ordo vester perfectione atque austeritate vitae Ecclesiam Dei nullo non tempore iuvit atque inlustravit, eam non modo integram incolumemque praestes, sed, cum exemplo ipse tuo, tum sarta te-

Pontifex successori animum adicit eumque hortatione iuvat

(1) R. P. Ioannes Baptista Ollitraut de Keryvallan, abbas Generalis.

ctaque sanctissimarum observatione legum, acrius in dies cures provehendam. Cuius quidem officii perfunctionem, etsi sollicitudinibus ea minime vacabit, attamen minus gravem operosamque sodales ipsimet tui efficient, ut sunt religiosae vivendi disciplinae retinentissimi. Non est profecto cur putemus, hortationibus eos indigere Nostris ; sed dubitare non licet, quin benigna communis Patris verba, si quid in eorum memoriam redegerimus, sint grata iidem voluntate accepturi. Itaque paterne monemus, praecipuae illae virtutes, quas a sodalibus coli diligenter Ordo vester, et natura ipsius sua et veluti transmissa a maioribus hereditate, sollemne ad hunc diem habuit, sic animis haereant vestris, ut in sucum ac sanguinem convertantur nec unquam per neglegentiam lassitudinemve depereant. Caritatem dicimus, quae in coenobiis istis, immutabilis concordiae effectrix, regnet oportet ex praescriptis et vel ex ipsa pulcherrima legum appellatione vestrarum, quae « Charta caritatis » inscribuntur. Dicimus obedientiam, quae nisi totam penitus religiosam vitam pervaserit, iam cetera omnia, quasi nullo subnixa fundamento, nutabunt ; quod ceteroqui, ut nostis, superiorum aetatum experimentis comprobatur, cum, quo magis eiusmodi virtus apud vos viguit, tanto se extulit patentius sanctorum operum fecunditas. Praeterea, ut vivitis a saeculo disiuncti ab hominumque consortione remoti, id ipsum corroborate propositum amore solitudinis et « novitatum profanarum » fuga, cum eo imbuti esse debeatis spiritu qui a mundi spiritu quam longissime absit. Quo in genere non ignoratis, horum praesertim temporum homines, in quibus tantum potest immoderatus sui suarumque rerum amor, cum paene exuerint caritatem nullamque patiantur disciplinam, tum intemperanter licenterque, abiecta rerum aeternarum cogitatione, se in medias saeculi voluptates deliciasque coniicere. Sit quidem, ut miserrimos mundi asseclas modice vestrum tangat moveatque exemplum ; in comperto tamen est, posse vos, et assidue orando et vitam degendo, ut facitis, paupertatis paenitentiaeque studiosissimam, eorum emendationi et saluti prodesse quam plurimum. Istas igitur virtutes, quae vos validissimos apud Deum deprecatores efficiant, in domibus vestris, dilecte fili, enervari et languere ne sinas. Quodsi temporum condiciones suaserunt, ut de pristino exterioris disciplinae rigore aliquantulum, Apostolica Sede probante, remitteretis, at paenitentiae spiritum, qui vobis est gloriae ac praesidio, servatote integrum, ne ab instituto ipsorum vestro gradatim, cum magno Ordinis populique christiani detrimento, degeneretis. Habes, dilecte fili, quae

Praecipue commendat

caritatem

oboedientiam,

solitudinis amorem et fugam profanarum novitatum.

Suo vitae genere quam plurimum emendationi et saluti proximi prodesse poterunt.

Etiam remisso aliquantulum pristino exterioris disciplinae rigore, spiritum paenitentiae servent. Praecepta hortiontis communicatione, Pontifex Ordini benedicit.

placuit ad te scribere, cum coenobiis et virorum et alumnarum communicanda ; ea quidem ut, pro optatis Nostris, usui Ordini vestro sint, caelestium donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et sodalibus, quibus praees, universis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis maii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo. *Dies (28 maii 1923).*

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

Postquam, per recentia Apostolicae sedis decreta, omnibus, tam saecularis quam regularis Ordinis clericis, profundiora theologiae studia ante sacerdotium indicta sunt, atque ipse reformatus Cistercensium Ordo, hortante Leone XIII, plures monachos in Africam tam quam missionarios misit, dubitari potuit, utrum magis operosum in ministeriis sacris vitae genus a Cisterciensibus reformatis assumendum esset, an contra, hactenus servatus tenor firmiter retinendus foret. De qua re in ultimo generali totius inclyti Ordinis conventu deliberatum est. Fere autem unanimi suffragio definitum est, ne latum quidem unguem ab hactenus calcata semita esse recedendum.

Cui deliberationi, S. Pontifex praesenti epistola suffragatus est. Quare avitas Cisterciensium virtutes inculcat, simulque memorat absconditam in Deo vitam contemplationi et paenitentiae devotam, valde ipsi proximorum saluti prodese posse.

Huius hortationis momentum causa est cur epistolam istam in haec periodica inseramus.

---

39. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola 10 iun. 1923

DE BELGIO

(A. A. S. 5 iul. 1923, 15, 351)

Bene acceptis litteris respondens Pontifex, ipsis pro multis vocatis gratulatur, dissipatque timorem ne propter studia instituendae iuventutis et missionum exterarum copia curionum defutura sit.

Docilitatem in sequendis documentis de seminariis et encyclicis Litteris laudat.

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres (1) salutem et apostolicam benedictionem. — Quam, ante mensem, communiter ad Nos dedistis epistulam, periucunda ea Nobis accidit cum ob singularem, quam redolebat, pietatem erga Nos vestram, tum tum ob multa ac praeclara quae de variis argumentis significabatis. Placet propterea testimonium illud observantiae vestrae publico rependere grati animi Nostri testimonio, nullamque earum rerum praeterire, quas tanto pastoralis animi ardore ad Nos attulistis. Vocari divinitus istic ad sacerdotium adulescentes bene multos non sine magna delectatione comperimus; quod autem plerique eorum huc spectent, ut vel iuventuti rite instituendae suo tempore se devoveant vel sacra Christi legatione in dissitis infidelium regionibus fungantur, non est profecto cur metuatis ne procuratio apud vos animarum ob curionum penuriam aliquando depereat. Dei enim providentiae est, ut vosmet ipsi facitis, perpetuo confidendum, quae minime iis de causis patiatur sacros suae quemque dioecesi deesse operarios. Quibus in excolendis, scribitis, velle vos, quoad fieri poterit, ea exsequi quae de Seminariis deque ratione sacras tradendi disciplinas monuimus, neque minus curaturos assidue, ut ad duas priores, quas dedimus, Encyclicas Litteras populus unicuique vestrum creditus conformetur. Et recte quidem: quid enim Ecclesiae, adeoque ipsius civitatis, magis ad prosperitatem intersit, quam ut, remotis praesentium malorum causis restitutaque inter gentes pace et tranquillitate ordinis, homines per evangelicum ministerium actionemque catholicam ad Deum revocentur, et, Salesio facilioris disciplinae magistro, ad assequendam vitae sanctimoniam contendant? Itaque confidimus verba per vos Nostra sic in Belgarum insidere animis, ut exploratissimam eorum voluntatem ad procurandam societatis humanae emendationem acrius incendant. Sed alia, quae pressius propiusque ad vos pertinent, grato quidem animo commemoratis: ea dicimus, quae, proximi decessoris vestigiis insistentes, Litteris Nostris *Quae tu,* die XVI mensis novembris

Commemorat monita litterarum de Actis Conc. Prov. iterumque inculcat ut ad superna-

(1) Em. Card. Mercier ceterique Belgii episcopi.

superiore anno datis adhibuimus benigne monita, cum *Acta et Decreta Concilii Provincialis Mechliniensis quarti* ad vos, legitime recognita, mitteremus. Ex ipsa sane communi epistula vestra luce clarius apparet, vos, ut Episcopos unius eiusdemque provinciae ecclesiasticae, in primis decet « fraterno amore inter vos cohaerere » atque idem sentire « nullo discrimine nec generis nec linguae ». Neque minus concorditer profitemini, curaturos vos diligenter, ut sacrorum alumni et clerus ad supernaturale vitae institutum, quemadmodum hortabamur, fingantur atque assuescant, seduloque caveant quicquid dissensiones et discidia inter cives commovere queat, ut controversias illas de rebus politicis deque linguae et generis varietate. In quo cum videamus vos Nobiscum uno animo consentire, hac in re diutius morari non attinet. Quod reliquum est, iterum vobis spem bonam, qua nitimur, aperimus, fore ut, deprecatrice Beata Virgine, quam suavissimo *gratiarum omnium Mediatricis* titulo in dioecesibus vestris, Apostolicae Sedis concessu, veneramini et colitis, religionis studium morumque integritas apud carissimos Nobis Belgicae filios florere ac vigere pergat.

turalia intentus clerus caveat causas dissensionum, ut controversias de genere et lingua. Probata devotione ad Mariam omnium gratiarum mediatricem, omnibus et populo benedicit.

Quod ut facilius e communibus optatis contingat, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster, venerabiles fratres, et clero populoque uniuscuiusque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

Dies (10 iun. 1923).

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Non paucis iam occasionibus usi sunt Pontifices ad fovendum in clero supernaturalem istum spiritum quo, a studiis partium alieni, ministri sacri, ut omnibus omnia fieri possint, sedulo vitent acres controversias quae hodierno « nationalismo », in non uno loco excitantur et agitantur. Huc etiam spectat praesens epistola, quam ideo hoc loco referre placuit.

40. — SS. D. N. Pii, Pp. XI.

Epistola 25 iul. 1923

DE LOVANIENSI MISSIONALIUM CONVENTU

(A. A. S. 1 oct. 1923, 15, 500)

Epistolae occasio.

Dilecte Fili Noster (1) salutem et apostolicam benedictionem. — Officiosissimam epistolam quam, tui ipsius commendatione fultam, ad Nos dederunt religiosi ii viri quibus constat Consilium apparando proxime Lovanii missionalium Conventui libenter perlegimus, eiusdemque et sententiam et summam libentius quidem probavimus. Neque enim alienum a Nobis esse queat, ut sumus catholicarum Missionum studiosissimi, quicquid ubique gentium fit provehendis earum utilitatibus. Immo etiam quisquis consideraverit, de quibus rerum capitibus ibidem videndum sit, is facile animadvertet haud dissimilia proximo decessori Nostro atque Nobismet ipsis curae iterum atque iterum fuisse. Etenim, a Lovaniensi Consilio isto proposita, haec, praeter alia, in deliberationem cadent: quae videlicet sint principia quibus apostolatus regitur; quo pacto infideles ad Christum allici et perduci, pro locorum, stirpium ingeniorumque varietate, queant; quo aptiore rerum temperatione constitui atque ordinari novae christianorum communitates debeant; quae agendi ratio missionalibus cum sui cuiusque territorii gubernatoribus aemularumque sectarum administris sit adhibenda. Quo in genere pro certo habemus, si quidem missionales undique frequentissimi Lovanium coeant et, quae diu experiendo didicerint, in commune conferant, fore ut talis inde exsistat ac congeratur cognitionum copia, quam ad usum transferre Missionum tirones percommode possint. Iis igitur missionalibus qui ad indictum conventum se conferent, ipse esto, dilecte fili Noster, testis Nostrae erga eos benevolentiae; quorum labores ut saluberrimos afferant fructus, efficiat apostolica benedictio, quam tibi iisque universis, caelestium munerum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Attento studioso suo missionum animo ac propositis argumentis tractandis, Pontifex bona sperat de proximo conventu eique benedicit.

Dies (15 iul. 1923).

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis iulii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

(1) Em. Card. Mercier, archiepiscopus Mechliniensis. Conventus autem non levi successu habitus est Lovanii, mense septembri 1923.

41. — S. C. Concilii

Litterae circulares 25 iul. 1923

AD REV.MOS EPISCOPOS, DE STATUTIS CAPITULARIBUS CONFICIENDIS VEL EMENDANDIS.

(A. A. S. 1 sept. 1923, 15, 457)

Litterarum occasio.

Quum Codex iuris canonici canone 410, § 1, decernat: « sua cuique Capitulo statuta ne desint, ab omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda », huic praescripto plura quidem Capitula sive cathedralia sive collegialia laudabiliter obtemperare sollicita fuerunt, sua statuta concinnando vel corrigendo.

Memorata competentia sua, S. C. mandat episcopis ut c. 410 § 3 efficaciter utantur.

Constat tamen alia haud pauca adesse Capitula, quae vel antiquis statutis aut solis consuetudinibus, quandoque lege reprobatis, adhuc reguntur. Quare haec Sacra Congregatio Concilii, cuius est moderari quae canonicos spectant, Episcopis mandat ut quisque proprio Capitulo terminum praestituat sex mensium ad sua statuta conficienda vel ad iuris tramitem emendanda; quo tempore frustra elapso, ipse Episcopus « eadem conficiat imponatque Capitulo ».

Praescripta relatio.

Vix autem transacto ab his litteris anno, Episcopi eandem Sacram Congregationem certiorem reddant de confectis aut emendatis statutis capitularibus deque eorum observantia.

Dies (25 iul. 1923).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Concilii, die 25 mensis iulii anno 1923.

D. Card. SBARRETTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. *I. Bruno, Subsecretarius.*

ANNOTATIONES

I. Competentia S. C. Concilii moderandi quae canonicos spectant canone 250 § 2, explicite tribuitur.

Ex paragrapho autem 3 canonis 410, « si, episcopo edicente ut statuta conficiantur, Capitulum id praestare neglexerit, exacto sexto ab intimatione mense, episcopus eadem conficiat imponatque capitulo ».

II. Nulla agitur nova potestas episcopis praesentibus litteris tribuitur; sed propria litterarum vis haec

tantum est, ut, facta iussione S. Congregatio episcopos cogat ad utendum sua potestate. Unde fiet ut, obtentis statutis ad normam iuris confectis, non paucis litibus et difficultatibus occasio eripiatur.

---

42. — S. C. De Religiosis

Decretum 20 iul. 1923

DE TEMPORE UTILI AD RECURRENDUM

(A. A. S. 1 oct. 1913, 15, 457)

Dubium seu declaratio de recursu contra decretum dimissionis Religiosi Professi a votis temporariis.

Dubii occasio et tenor.

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium pro opportuna solutione.

« Cum in can. 647, § 2 sancitum sit, ut Religioso professo « votorum temporariorum qui a Superioribus dimissionis de- « cretum recipit, sit facultas recurrendi ad Apostolicam Sedem, « et, pendente recursu, dimissio nullum iuridicum habeat « effectum », quaeritur:

« Quale spatium temporis concedatur ad recursum inter- « ponendum, quoad effectum suspensivum? »

Responsum S. Congr.

E.mi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 13 iulii 1923, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

« Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum « suspensivum, de quo in can. 647, § 2, esse decem dierum « ab intimatione decreti religioso dimisso facta, iuxta normam « traditam in similibus casibus, ut can. 1465, § 1 et 2153, § 1 ».

Approbatio Pontificia.

Facta autem relatione SS. D. N. Pio P. XI in audientia habita ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, die 17 iulii 1923, SS.mus dubii resolutionem approbavit.

Superadditae explicationes.

Ut autem omnis ambigendi locus tollatur, tam circa terminum huiuscemodi, quam circa ea quae exinde sequuntur, haec Sacra Congregatio sequentia prae oculis habenda et servanda animadvertit:

1. Recursum contra dimissionis decretum Religiosus interponere potest vel immediate per epistolam ad S. C. de Religiosis mittendam, vel mediate, videlicet per eum qui dimissionis decretum sibi communicavit.

2. Ad interpositi recursus probationem requiritur et sufficit vel authenticum documentum vel saltem duorum fide dignorum hominum testimonium.

3. Tempus utile decem dierum ab intimatione decreti Religioso facta supputandum erit ad normam can. 34, § 3, n. 3⁰, et ita ut non currat si dimissum recurrendi ius ignoret, aut agere non valeat iuxta dispositiones can. 35; quapropter expedit ut Superior de praedicto iure et de limite temporis dimissum edoceat in actu ipso intimationis.

4. Recursus utili tempore interpositus effectum habet suspensivum; ideoque donec decretum dimissionis a Sacra Congregatione de Religiosis confirmetur, ac de facta confirmatione Superior dimittens, authentico Sacrae Congregationis documento edoceatur, dimissionis decretum nullum sortitur effectum, et exsecutioni demandari nequit.

5. Pendente recursu, dimissus adhuc est Religiosus, ideoque eisdem ac ceteri tenetur obligationibus et potitur iuribus, et eodem prorsus modo ac ante dimissionem. Quapropter in domo religiosa commorandi ius et obligationem habet, et sub Superiorum obedientia manere debet, firmo praescripto can. 2243, § 2.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis die 20 iulii 1923. *Dies (20 iul. 1923).*

C. Car. LAURENTI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

N. B. Duo menda typographica in A. A. S. irrepserunt. In linea 2 Decreti, pro can. 657, legendum est c. 647; - et in l. 15, pro can. 2155, § 1, 2, legendum est can. 2153, § 1.

I. Decreto isti, quod Dubium vel Declaratio inscribitur, occasionem dedit recursus religiosi viri qui, silentio can. 647 § 2 usus, post annum elapsum a dimissione sua contra eam ad S. Sedem recurrit. Quod vix componi potest cum effectu suspensivo recursus. Potuit sic etiam fieri ut religiosus dimissus, manifestata intentione recurrendi ad S. Sedem, diuturnam moram, invitis Superioribus, in ipsa religione protraheret. Huic

incommodo ut prospicerent, Emi. Patres iusserunt ut quaestio de termino praefigendo recursui in suspensivo funditus examinaretur.

In devolutivo non est eaden ratio statuendi terminum *ad quem*. Via enim ad S. Sedem semper patere debet; et, cum interea decretum exsecutione compleatur, facultas ista vacua est incommodo recursus supensivi.

Praeceptae disquisitionis fructus est praesens decretum, quod argumento analogiae et iam ante Codicem recepto usui aequiperandi recursus iudiciales et non iudiciales nititur, dum ad praesentem causam applicat quod de causis quidem iudiciariis statutum est, sed iam ipso Codice ad recursus non iudiciarios explicite extenditur: ad recursum patroni contra iudicium Ordinarii (c. 1465, § 1), et ad recursum parochi contra decretum remotionis (c. 2153, § 1). Conceditur igitur tempus utile decem dierum ab intimatione decreti dimissionis.

II. De solo professo *votorum temporariorum* explicite agitur, quia de illo solo expresse in c. 679 sermo fiit. Ceterum, dimissio religiosorum votorum perpetuorum, si sunt iuris pontificii, postulat S. Sedis interventum: quod recursum suspensivum de se excludit.

De non nullis tamen professis *votorum perpetuorum* decretum valebit, Etenim, a) contra decretum quo episcopus decernit dimissionem professi votorum perpetuorum iuris dioecesani, recursus in suspensivo ad S. Sedem patet. Dimissio enim, canone 650 decernenda dicitur ad normam c. 647, qui recursum istum permittit. - b) Perinde dicendum videtur de Sororis, perpetuo professae dimissione, quam Ordinarius, vi c. 652 § 1, decreverit. Est enim perfecta analogia cum 650. - c) Idem servandum quoque erit, si in aliqua religione vota simplicia perpetua temporariis as-

similentur, quatenus dimissio fiat sine processu iuridico et vota ipsa dimissione solvantur.

III. **Quaeret** quispiam sitne praesens declaratio authentica canonis 647, § 2 interpretatio. Quominus id dicamus, obstat privilegium pontificiae Commissionis, cui soli competit canones authentice interpretari. Potius itaque suppeditatur nobis decretum quod, novae legis instar, praefatum canonem 647, § 2, 4, suppletiva declaratione complet.

IV. Maioris perspicuitatis causa, ipsa S. Congregatio quaedam sui decreti consectaria superaddit. I. e.

1. Quod ad recursus modum, recurri *immediate* potest ad S. C. de Religiosis, vel *mediate*, seu per eum qui decretum dimissionis ipsi significavit. Is itaque operam suam detrectare non potest, sed documentum de interposito recursu ad S. Congregationem transmittere debet.

2. Probatio recursus sive per authenticum documentum sive per duos testes fieri permittitur. Authenticum documentum supponit hic scripturam ab ipso recurrente saltem subscriptam, ita ut de genuina origine nullum dubium supersit. Si dubium timendum sit, recursus subscribatur coram duobus testibus. Habebitur sic documentum authenticum, sed privatum.

3. Quia temporis supputatio ad normam c. 34 facienda est, prima dies (in qua facta est intimatio dimissionis) non computatur; expleta autem decima die a die intimationem sequente, tempus per se finitur. Non raro tamen spatium erit magis amplum. *Utile* enim tempus concessum est. Quod tempus ignoranti vel agere non valenti non currit (c. 35).

Ignorantia quidem iuris non praesumitur (c. 16, § 2), verum demonstrari potest, atque, attenta plurium personarum qualitate haud aegre demonstratur. Pariter fieri potest ut illicita recurrendi prohibitio a Superiore facta pariat difficultatem agendi quae tem-

poris utilis lapsum impediat. Ad moras istas praevertendas, consilium ipso decreto datur, ut in ipso intimationis actu dimissus de iure suo et limite temporis edoceatur.

4. Si recursus tempestive factus sit, dimissionis decretum exsecutione compleri nequit, donec dimittens de confirmato suo decreto sit, per authenticum S. Sedis documentum, certior factus. Igitur non sufficit ut rem noverit, sed confirmatio dimissionis est per ipsam S. C. intimanda.

5. Interea nihil de dimissi religiosi condicione est demptum, ita ut iura et officia sui status conservet. Si tamen, praeter decretum dimissionis, religiosus obnoxius sit sententiae iudiciali vel praecepto censuram comminanti, recursus a dimissione nullam canoni 2243, § 2 vim aufert.

Quare, in rebus in quibus ius appellationem vel recursum in suspensivo non admittit (cfr. cc. 345. 1880) appellatio a sententia vel praecepto nec praeceptum nec censuras suspendit. Si ius suspensivam appellationem admittit, recursus censuras suspendet; immo ipsam obligationem parendi praecepto vel sententiae, si ab ipsa etiam sententia vel a praecepto appellatum sit.

---

43. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

Decretum 7 maii 1923

DE PROCESSIBUS IN CAUSIS DISPENSATIONIS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO.

(A. A. S. 1 aug. 1923, 15, 389)

Memorata catholica doctrina de solutione matrimonii non consummati, condiciones dispensationis recitantur

Catholica doctrina est « matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvi tum ipso iure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (C. I. C., can. 1119).

Ut autem Apostolica Sedes dispensationem largiatur, duo sibi constare necesse est: matrimonium revera non fuisse consummatum, et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda.

Quaenam partes episcopis committantur.

Quamvis uni tantum Romano Pontifici competat dispensationem concedere, tamen pro indaganda et comprobanda tum asserta matrimonii non consummatione, tum existentia legitimae causae dispensationis, solet Sancta Sedes locorum Ordinariis committere processus instructionem, unde factorum veritas tuto eruatur.

Causarum istarum genus.

Inde duo consequuntur magni ponderis: primo quod huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione Sanctae Sedis annuentis oratoris precibus, non sunt vere iudiciales, sed magis gratiosae seu administrativae; quae tamen, cum eo spectent ut Summus Pontifex legitime uti valeat Sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato cum plena rerum cognitione, in his veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus. Quare quae iudex decernit aut ordinat, vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces.

Ius praecipiendi in iudice.

Quam frustraneum sit mendacium.

Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicum et testium ac praesertim partium dispensationem efflagitantium; videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatnm, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta, utpote suo fundamento destituta, nullius est valoris;* et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas existiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges filiique forte progeniti, graviorum malorum vinculis pene inextricabilibus implicantur. *Hoc proinde est solemniter praemonendum a iudice antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a partibus, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.*

Quomodo id inculcandum sit.

Regularum sequentium causa, confectio, approbatio.

Quo vero locorum Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant, sequentes regulae praestitutae sunt. Quas cum ma-

turo examini E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales S. Congregationi *de disciplina Sacramentorum* praepositi subiecissent, in plenariis comitiis diei 27 aprilis c. a. easdem probarunt atque publici iuris fieri, si Ss.mo placuerit, rescripserunt. Ss.mus autem D. N. Pius Papa XI, in audientia die 7 maii 1923 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, sententiam E.morum Patrum adprobare et confirmare dignatus est, atque ut hae regulae ab omnibus ad quos spectat, rite et religiose serventur, easdem iussit edi in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis*.

Dies (7 maii 1923). Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

M. Card. LEGA, *Praefectus*

L. ✠ S.

† *A. Capatosti, Ep. Thermen, Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Cum sanctitas vinculi coniugalis, nimis saepe hodie moribus et ipsis civilibus legibus contempta, cautissimum usum exigat potestatis divinitus S. Pontifici factae dissolvendi, ob iustas causas, matrimonium quod nondum copula perfecta sit consummatum, frequentia rursus istarum causarum, quarum cognitio Ordinariis locorum plerumque committitur, postulet ut omnibus iudicibus ecclesiasticis praesto sit expedita ratio partes suas in hac re rite implendi, S. C. de disciplina Sacramentorum prudentissimum consilium inivit accurate describendi regulas quae in processu super matrimonio rato et non consummato servandae sunt. Qua provisione etiam optabili celeritati in his causis dirimendis prospexit. Minuetur enim, ut spes est, periculum vitiosi vel imperfecti processus, qui S. C. interdum cogit ut supplementarios actus semel et iterum requirat et exspectare debeat.

II. Monumentum autem duabus partibus proprie constat, quibus accedit utilissima Appendix, qua formulae actorum exhibentur. Prior pars continet decre-

tum quo introducuntur regulae servandae: his altera pars componitur.

1. *De priore parte. a)* Decretum in primis affirmat *catholicam* doctrinam canone 1119 contineri. *Catholica* est, quatenus haec veritas dissolutionis matrimonii non consummati sive per professionem religiosam sollemnem sive per dispensationem Pontificiam infallibili Ecclesiae magisterio ut tenenda proponitur. Et quidem de dissolutione per sollemnem professionem religiosam habetur canon 6 S. XXIV C. Trid. De Sacramento Matrimonii: « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum per sollemnem professionem alterius coniugium non dirimi: anathema sit ». Verum non dicitur id *fide divina* tenendum esse.

Duplex autem modus dissolutionis memoratur: *ipso iure*, per professionem religiosam, et *per dispensationem* Sedis Apostolicae. *Ipso iure,* utrum divino (immediate) an ecclesiastico: id controvertitur in schola dogmatum, ita ut sententia quae dissolutionem istam legi ecclesiasticae ascribit fiat longe communior. Tunc autem prior modus dissolutionis ad alterum reducitur. Potestate divinitus concessa usus dirimendi matrimonium mere ratum propter iustam causam, Pontifex lege sua qua matrimonium mere ratum professione sollemni solvitur, causam huiusmodi professionis pro semper iusta habet. In hac re ipse BENEDICTUS XIV *(Quaest. can. et mor. 546)* deceptus esse videtur. Cf. PALMIERI, *De matrimonio christiano*, thes. XXV (altera ed, in qua prioris editionis dicta corrigit et ex parte retractat), et WERNZ, *Ius Decretalium,* IV, n. 698.

Cum autem indissolubilitas matrimonii, etiam non consummati, sit iuris divini, dispensatio ne valide quidem sine iusta causa concederetur.

b) Quocirca duplex necessitas merito exprimitur: necessitas non-consummationis et necessitas iustae causae dispensandi.

Si tamen prius factum constet, iusta causa in hac re plerumque aderit, quatenus, sive ob probabilem alterius partis impotentiam, sive ob nimiam difficultatem reconciliationis seu vitae communis, altera pars perpetua continentia adigeretur.

c) Praeposito principio, iam ad causae naturam determinandam devenitur.

Cum numquam in poenam cuiuslibet delicti dissolutio matrimonii pronuntietur, nullus in hunc finem locus est actioni poenali. Nec ius est alteri parti dissolutionem obtinendi. Quare causa quam Ordinarius instruit vere iudicialis non est. Inde quaedam difficultas oriri videtur. Contumacia describitur inoboedientia erga iudicem vocantem. commissa cum pertinacia (WERNZ, vel *Epitome iuris canonici*, III, 214). Quo modo, ubi nullus sit iudex, contumacia esse possit? Verum S. Pontifex, qui fons est potestatis iudiciariae ordinariae in Ecclesia, non minus valet ad dandam facultatem imperandi ei qui lato sensu tantum est iudex. Quod autem facere potest, hoc facere statuit quotiens instructionem de rato et non consummato. Ordinario loci committit. Id iam authentice constat ex praesentis decreti parte in qua legitur: « Quare quae iudex decernit aut ordinat vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces ».

d) Deinde, postquam monemur de re quae manifesta quidem est, testium tamen et praesertim partium animis est valde imprimenda: nullius valoris esse dispensationem in matrimonio re vera consummato quod S. Sedes decepta pro non consummato tractaverit, iudex decreto iubetur id sollemniter praemonere antequam iusiurandum praestetur.

e) Demum nuntiantur regulae, eo fine conscriptae ut Ordinarii, in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius *ad tramitem iuris communis* procedant. Probatae sunt in plenariis comitiis Patrum

S. C. de *Disciplina sacramentorum* ut publici iuris fierent si Sanctissimo placuerit; et in audientia 7 maii 1923 confirmatae sunt, addita iussione editionis in Acta Apostolicae Sedis, « ut ab omnibus ad quos spectat rite et religiose serventur ».

Suntne tamen regulae leges? Id nulla clausula expresse dicitur. Immo harum regularum observantia directe non praecipitur. Sed Instructionem efficiunt, quae modum exhibet observandi ius commune, et quam S. Pontifex ab omnibus servari vult: id ipsa insertione in A. A. S. significat.

Quare omissio regulae vel regularum, qua talis, numquam est causa nullitatis; tunc tantum erit quando regula praecipit quod ad tramitem iuris communis est ad valorem necessarium. Talis est citatio vel praesentia defensoris vinculi in actibus processus. Cf. c. 1967, collatum cum c. 15, 1587.

---

44. — Regulae processus super matrimonio rato et non consummato. (Excerpta).

(A. A. S. 1 aug. 1923, 15, 392).

Caput I. — De Foro competenti.

Etsi S. C. de Sacramentis sola sit competens, iudici tamen inferiori permittitur incidenter vel secundario causam de non consummatione sine speciali commissioni instruere

1. Ad unam S. Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia iustae causae ad dispensationem concedendam (C. 249, § 3, et 1962).

2. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (C. 1963, § 1).

3. § 1. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta, una cum libello unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad S. Congregationem transmittatur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (C. 1963, § 2).

2. Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes iuxta normas heic positas, eaedem compleantur et acta dein plene instructa ad H. S. C. remittantur.

4. Pariter, si in iudicio in prima aut in altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex gr. ex defectu consensus ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti libellum porrigere, Romano Pontefici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at quin preces ad hanc S. Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas iudici, vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi iuxta regulas heic determinatas.

CAPUT II. — **De supplici libello ad petendam dispensationem**

Supplicis libelli auctor eiusque nomen;

5. §. 1. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (Can. 1973).

§ 2. Pro singulari natura huius processus, quem moderantur hae regulae, congruit ut coniux dispensationem efflagitans, non *actoris*, sed *oratoris* nomine nuncupetur; coniux vero ab altero coniuge in causam vocatus, proprie *pars conventa* appellabitur, nisi et ipse cum alio dispensationem petat.

inscriptio et contenta,

6. § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, contineat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Constit. *Dei miseratione*, n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, nec non dioecesi in qua orator aut oratores commorantur.

forma

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem ab ipsa parte, si fieri potest, scripto exaratam et subscriptam (cf. in Appendice, n. I).

Interventus Ordinarii.

7. Quamvis cuilibet fideli integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

Quisnam competens.

8. § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi-domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dum-

modo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet (Can. 1964).

§ 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces acceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant.

Quaenam iam praestare possit.

9. § 1. Ordinarius, ut informationem addat cum factorum sufficienti cognitione, potest investigationes facere in res et personas, sed non propriam inquisitionem cum partium aut testium interrogationibus in forma processus iudicialis (cf. in Appendice, n. II).

Petitio partis acatholicae

§ 2. Si contingat dispensationem peti a parte acatholica, Ordinarius petitionem ad hanc Sacram Congregationem aeque remittat; additis tamen necessariis et opportunis explicationibus de petitionis fundamento, de oratoris qualitatibus, aliisque adiunctis ad rem facientibus.

Procuranda reconciliatio.

10. § 1. Curet Ordinarius, cum factorum et personarum sufficientem notitiam habuerit, ut partes inter se reconcilientur, ne abrumpatur coniugale consortium, adhibitis prudentiae et pastoralis charitatis officiis et argumentis in casu magis opportunis; nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum prorsus inutile esse suadeant.

§ 2. Nedum Ordinarii ad hoc utiliter parochorum operam adhibeant, sed parochi ipsi, cum huiusmodi discordiarum aut difficultatum vitae coniugalis notitiam habeant, prouti in singulis casibus prudentia suggesserit, opportune consilia praebeant et exhortationes, ne aditus aperiatur dissolutioni consortii coniugalis.

Quid si rei fuerint coniuges onanismi.

11. § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges omnimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci.

§ 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C.

Delegatio Ordinarii.

12. Si, accepto libello, haec Sacra Congregatio censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, qui oratorem commendavit, dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta has regulas et cum clausulis opportunis.

. . . . . .

Caput XV. — De rescripto pontificiae dispensationis eiusque expeditione

Forma rescripti dispensantis.

102. Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab E.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, vel ab alio E.mo Cardinali eius vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem S. C. subsignatum.

Hinc a quonam momento dispensatio censeatur concessa

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsummationem, tum quoad dispensationis causas (Can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

Implicita impedimenti dispensatio.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato, continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

Rescripti transmissio.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (Can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

Procurandae inscriptiones.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Dies (7 maii 1923)

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

M. Card. Lega, *Praefectus*

L. ✠ S.

† *A. Capotosti, Ep. Thermen., Secretarius*

ANNOTATIONES

I. Capita quae hic transcripta non sunt, sc. cap. III ad XIV regulas tradunt in tribunali pro his causis instruendis, atque in ipso processu servandas. Eorum pars principalis est de probationibus. Integer sane textus in singulis curiis dioecesanis aut quasi dioecesanis prostet oportet, atque in manibus versetur iudicum ministrorumque tribunalis. Verum pro scopo horum *Periodicorum* non videbatur expedire ut totus referretur.

II. In appendice ad *Regulas* edidit quoque S. C. de Sacr. (A. A. S., l. c., 414) formulas praecipuorum actorum quae in huiusmodi causis usuveniunt. Hae multum iuvare poterunt ad praecavendas omissiones vel errores in processu conficiendo; hinc illud continget commodum quod una ex praecipuis causis ob quas non numquam processus de inconsummatione tantam moram patiuntur, facilius a diligenti quoque de medio tolli possit.

III. Observes autem in plenario S. C. coetu id statutum esse, ut si quid in instruenda causa ex praefatis normis praetermissum sit, Ordinariis mandetur ut omissa suppleant, nisi, quod ipsis normis cavetur, rationem allegarint cur quaedam observari non potuerint.

IV. Demum id notabile est, non ab ipso rescripto, sed ab orali concessione S. Pontificis dispensationem valere, eoque momento preces veritati innixas esse debere. Regulae itaque cc. 38 et 41 hic applicandae non sunt.

Si ergo impatiens orator matrimonium, servata essentiali sollemnitate, contraxerit post Pontificiam concessionem in audientia, sed ante eiusdem per rescriptum intimationem, illicite quidem sed valide egerit.

---

45. — S. C. de Prop. Fide

Litterae circulares 20 maii 1923

PLURA DE MISSIONIBUS COMMENDANTES

(A. A. S. 5 iul. 1923, 15, 369)

Rev.mo Signore, (1)

Congratulationibus de progressu Missionum et missionariorum operositate iunguntur a S. C. quaedam commendationes:

Lo sviluppo, che, con l'aiuto del cielo, vanno prendendo le Missioni cattoliche, è causa di santa consolazione a quanti hanno a cuore i trionfi di nostra santa Religione e ardentemente desiderano la dilatazione del regno di Gesù Cristo.

Tale incremento senza dubbio è in gran parte dovuto all'attività intensa manifestata specialmente in questi ultimi anni, sia dagli Ordini e dalle Congregazioni religiose che, memori delle passate loro glorie, hanno voluto riaccendere tra i loro membri il desiderio di dedicarsi alla conversione degli infedeli, sia dai molteplici Istituti, il cui fine principale, se non unico, è quello delle Missioni.

Quantunque detta meravigliosa attività ed operosità siano per tutti i buoni cagione di conforto, resta però sempre vero che stragrande ancora è il numero di quelli che, sparsi in vastissime regioni, attendono che sia loro predicata la parola della salute. Anche oggi si può ripetere, e con tutta verità, il detto del Salvatore: *Messis quidem multa, operaii autem pauci.*

---

(1) Litterae ad Superiores Ordinum et Cogregationum religiosarum quae sacris missionibus provehendis se devovent. Italice scriptae, benigna opera R. P. I. I. sic latine conversae sunt.

Reverendissime Domine,

Quod, Deo iuvante, proficiant Missiones catholicae, sanctum parit solacium omnibus quibus cordi est exaltatio sanctae nostrae religionis quique ardenter cupiunt ut regnum Christi Iesu dilatetur.

Huiusmodi profectus procul dubio magna ex parte debetur labori strenuo cui se, praesertim his ultimis annis, dederunt tum religiosi Ordines et Congregationes religiosae qui, antiquae gloriae memoriam servantes, conati sunt excitare in suis alumnis desiderium sese infidelibus convertendis dedicandi, tum Instituta multa quorum finis principalis, immo unicus, Missiones sunt.

Quantumcumque vero hic labor atque operositas mirabilis bonis omnibus solacio sit, semper tamen verum manet nimium adhuc esse numerum eorum qui, amplissimis sparsi terris, nuntium verbi salutis exspectant. Nostris quoque diebus et quidem verissime, repeti potest illud Salvatoris: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.*

Onde è che questa Sacra Congregazione di Propaganda Fede, con vero affetto di madre, piena di interesse per tutti gli Istituti che inviano i loro figli alle Missioni, e riconoscente ad ogni singolo Missionario dedito ad un lavoro costante e penoso, lavoro molte volte nascosto e quindi sommamente meritorio, perchè noto solo a Dio, ritiene opportuno di indirizzare ai Superiori Generali o Maggiori degli Ordini, delle Congregazioni e degli Istituti, che si dedicano alle Missioni, la presente lettera, per insistere su alcuni punti di somma importanza per le Missioni stesse.

I. De sedula missionariorum praeparatione

I. Ed anzitutto, sarebbe assai utile che i Missionari venissero debitamente preparati al lavoro evangelico, sia in qualche casa, in Europa od altrove, espressamente a ciò destinata (come già lodevolmente si pratica da qualche Istituto), sia in appositi stabilimenti o residenze nei territori stessi delle Missioni.

Tale preparazione, che dovrebbe essere la più perfetta possibile e variare col variar delle Missioni, potrebbe venir impartita ai giovani da Missionari provetti, e dovrebbe consistere nello studio della lingua, o lingue, della Missione a cui i detti Missionari sono destinati; nel rendersi, già fin da prima, familiari cogli usi e costumi della regione in cui si recheranno; nell'apprendere quei metodi, che, tutto considerato, sembrano più atti all'evangelizzazione in ciascun paese.

A questo si aggiunga anche una preparazione pratica, a fine di raggiungere una certa capacità di attendere da sè soli a tutto quanto può riuscire utile o necessario allo sviluppo materiale delle Missioni.

Hinc fit ut haec S. Congr. de Propaganda Fide, affectu vere materno plena ac sollicitudine erga Instituta illa omnia quae filios suos in missiones mittunt, grato animo erga singulos missionarios labori addictos constanti, arduo, saepius abscondito indeque admodum meritorio, utpote Deo soli noto, opportunum iudicet ad Superiores Generale vel maiores Ordinum, Congregationum et Institutorum quae sese Missionibus dedicant, hasce dare litteras quibus nonnullis, maximi pro ipsis Missionibus momenti, rebus insistat.

I. Et primo quidem, valde utile erit ut Missionarii ad labores evangelicos debite praeparentur, sive in quadam domo, in Europa vel alibi, peculiari modo huic scopo destinata (prout iam a non nullis Institutis laudabiliter fit), sive in aptis locis vel residentiis ipsius terrae Missionis.

Praeparari vero possunt iuniores quod fiat oportet modo quam perfectissimo eoque vario pro variis Missionibus, a missionariis exercitatis studio scilicet linguae vel linguarum Missionis cui ipsi destinantur; assiduo iam ab initiis studio morum earundem regionum; studio rationum quae, omnibus perspectis, ad singula loca evangelizanda aptiores videantur.

Accedat quoque practica praeparatio, qua aliquatenus capaces fiant ut per se soli operam dent omnibus procurandis quae Missionibus in temporalibus promovendis utilia vel necessaria esse possint.

II. De providendis missionibus viris idoneis ad eas regendas.

II. Curino i Superiori che in ogni Missione vi siano uomini capaci di prendere, al bisogno, le redini della Missione stessa, affinchè, venendo a mancare il Vicario o il Prefetto Apostolico, non si abbiano gravi difficoltà per la scelta del successore, nè si sia costretti di nominare a tale ufficio un ecclesiastico che non abbia conoscenza della Missione stessa e ne ritardi il progresso.

III. De institutione cleri indigenae quae ad Ecclesiam constituendam,

III. Di sommo interesse è che i Superiori veglino, affinchè nelle Missioni ai loro Istituti affidate si attenda alla formazione del clero indigeno. Ed invero ciò è necessario, poichè i vari territori furono propriamente a loro commessi a fine di fondarvi e stabilirvi la Chiesa. Orbene la conversione degli infedeli è soltanto il principio, la prima pietra di tale stabilimento; ad essa deve seguire la formazione delle cristianità con proprie cappelle o chiese, con l'istituzione (e, possibilmente, con la dotazione) di scuole, orfanotrofi, asili, ospedali ed altre opere; a ciò deve seguire, o andare di pari passo, la formazione di clero indigeno e di Religiosi indigeni di ambo i sessi.

levandos Missionarios,

Se non si ha premura di pensare a tempo alla formazione del clero indigeno, accadrà che presto il Missionario, il cui scopo è la predicazione del Vangelo ai pagani, si fermerà in una cristianità, abbandonando quasi del tutto gli altri infedeli, e lasciando il grande ministero della loro conversione a semplici catechisti. Il clero indigeno invece può, e deve essere, almeno al principio, ottimo aiuto al Missionario, il quale, reso più libero, avrà il modo di dedicarsi esclusivamente, o quasi, alla sua altissima vocazione, la conversione cioè degli infedeli.

La Missione non va considerata come una proprietà del-

II. Curent Superiores ut in singulis Missionibus viri reperiantur idonei qui, ubi necesse fuerit, Missionem ipsam regere possint; ne, deficiente forte Vicario vel Praefecto Apostolico, admodum difficile sit successorem ipsis eligere; vel ad hoc munus assumi debeat vir ecclesiasticus qui, ipsius Missionis ignarus, eius progressum retardet.

III. Maximi interest ut Superiores, in Missionibus suo Instituto concreditis formando clero indigenae invigilent. Quod revera necessarium est, cum varia territoria ipsis eum in finem proprie commissa sint ut inibi Ecclesiam fundent eamque stabiliant. Iamvero conversione infidelium opus istud mere inchoatur: primus quasi ponitur lapis Ecclesiae stabiliendae; oportet dein propriis oratoriis aut ecclesiis communitates instruere; scholas, orphanotrophia, loca refugii, nosocomia aliaque opera instituere (assignato quantum fieri potest reditu stabili); atque postea, aut simul tempore clerum formare indigenam atque utriusque sexus religiosos.

Nisi tempestive clero indigenae excolendo provideatur, istud accidet ut Missionarius, cuius est paganis Evangelium praedicare, in communitate quadam christiana sedem figens, ceteros infideles fere derelinquat magnumque conversionis opus catechistis concredat. At clerus indigena potest debetque, saltem initio, optimo auxilio esse Missionario; qui, inde magis expeditus,

l'Istituto; essa è un territorio affidato dalla Chiesa di Gesù a zelanti apostoli, perchè ivi introducano, stabiliscano e rendano vitale tu ta l'ammirabile istituzione del Nostro Redentore.

Solo allora può dirsi fondata la Chiesa in una regione, quando essa ivi si regga da sè, con proprie chiese, con proprio clero nativo del luogo, con propri mezzi; in una parola, quando essa non dipenda ivi che da se stessa.

amputandas difficultates ex mutato civili regimine,

Alle quali considerazioni se ne possono aggiungere anche altre, di ordine assai pratico e assai evidenti. Ed infatti se, in seguito ad una guerra (e di ciò si sono avuti non pochi esempi nel recente mondiale conflitto), o se per altri avvenimenti politici, si cambiasse il reggimento civile dei territori di cui si tratta, e venisse quindi richiesto od imposto l'allontanamento di Missionari esteri e sudditi di alcune determinate nazioni, la Chiesa ne sarebbe fortemente danneggiata, poichè le popolazioni, rimanendo prive, o quasi, di sacerdoti, sarebbero esposte al pericolo di perdere la Fede. Nè ciò è solo una mera ipotesi; simili eventi si sono già avverati.

ad supplendas deficientes Vocationes,

Si aggiunga a ciò che l'Europa, da cui in maggior parte sogliono provenire i Missionari, ha essa stessa bisogno di clero; le vocazioni sono divenute, per ragioni a tutti note, più scarse. Di qui la grandissima preoccupazione e di provvedere l'Europa di un numero sufficiente di sacerdoti, e di disporre pure in numero sufficiente di sacerdoti che lascino l'Europa per recarsi in altro campo di apostolato fuori de' suoi confini.

unice vel fere unice se dedicare poterit altissimae vocationi, convertendis scilicet infidelibus.

Nec haberi potest Missio tamquam bonum quoddam Instituti proprium; cum sit revera territorium quoddam ab Ecclesia Christi apostolis zeli plenis concreditum, ut ibi ipsi instituant, firment vitaque instruant mirabile illud opus Redemptoris nostri.

Tunc tantum dici potest Ecclesia alicubi fundata cum ipsa propriis ecclesiis, proprio clero exinde oriundo, propriis praediis dotato se ibi regere coeperit, verbo, cum iam nonnisi a se ipsa pendebit.

Quibus alia accedunt, practica valde et evidentia. Fac revera, ob bellum quoddam (cuius rei non pauca habuimus exempla in nuperrima et universa conflagratione) aliosve publicos eventus, civile imperium in terris de quibus agitur ad alias manus transire indeque peti vel exigi ut missionarii extranei subditique quarundam civitatum a finibus discedant, maximum inde exsurgat Ecclesiae damnum, utpote cum populus, sacerdotibus orbatus vel fere orbatus, periculo amittendae fidei exponatur. Quae non gratis finguntur, cum talia iam revera acciderint.

Adde Europam ex qua plerique solent proficisci missionarii, ipsam clero indigere, cum, ob causas omnibus notas, vocationes rariores factae sint. Sollicitudo maxima inde oritur tum comparandi Europae sat multos sacerdotes, tum quoque satis multos praesto habendi qui Europam relinquant ut in alias oras alium apostolatum aggrediantur.

ad multa enodanda requiritur.

Se un abbondante e ben formato clero indigeno potesse essere a disposizione, è chiaro che ciò che ora si considera come grave difficoltà e come problema di ardua soluzione, verrebbe ad essere, e facilmente, eliminato.

De excolendis Fratribus laicis.

IV. Ed infine sarebbe opportuno che gli Istituti, i quali ammettono nelle loro file anche fratelli laici, si studiassero di cercare il modo di far conoscere a tante anime desiderose di darsi a Dio, le quali, per mancanza di studi preparatori o per altre ragioni, non possono convenientemente ascendere al sacerdozio, che esse pure potrebbero, e mirabilmente, cooperare all'eroico lavoro delle Missioni. Queste infatti hanno grande necessità di uomini pii e volonterosi, periti in qualche arte o mestiere, e capaci tanto di insegnare le arti e i mestieri stessi ai popoli presso cui sono inviati, quanto di attendere, con l'aiuto di altri, a fabbriche di edifici, impianti di officine, lavori tipografici; e, senza dilungarci troppo, basterà solo accennare al bene grande che tali fratelli, debitamente preparati, potrebbero compiere, occupandosi dei catechisti indigeni, insegnando nelle scuole primarie, ecc.

Commendatio de exsecutione

Su tali punti, esposti per sommi capi, la S. C. di Propaganda richiama l'attenzione di tutti i Superiori degli Istituti Missionari, sicura che, se ciò che qui è esposto sarà debitamente considerato e convenientemente eseguito, non potrà mancare quel benefico risultato che ardentemente si cerca.

et vota.

La S. C. di Propaganda, quindi, invita i Superiori Generali a voler comunicare questa lettera ai Prepositi di quelle Pro-

Si vero non pauci adsint iique rite instructi clerici ex indigenis, iam liquet facile solutum et de medio sublatum iri difficultates et quaestiones quae nunc ut graves et arduae animos sollicitos tenent.

IV. Opportunum denique erit ut ea Instituta, quae laicos quoque fratres cooptant, studiose inquirant qua ratione, tot animae quae, Deo se tradere cupientes, ob defectum studiorum vel ob alias causas nequeunt convenienter ad sacerdotium ascendere, edoceri valeant se quoque, eximio quidem modo, cooperari posse heroico operi Missionum. Illis enimvero maxime opus est viris piis ac devotis, cuiusdam artis peritis, qui populum ad quem mittuntur artes docere atque cum alieno auxilio exstruendis aedibus, instruendis officinis, operibusque typographicis operam dare possint. Ne multa: satis sit innuisse quanta bona procurare possint huiusmodi fratres, modo apte instructi, curam gerendo de catechistis indigenis, docendo in scholis inferioribus, etc.

De his, per summa capita expositis, attentos velit S. C. de Propaganda Fide Superiores omnes Institutorum missionariorum, pro certo habens, si ea quae dicta sunt rite considerentur et apte exsecutione compleantur, ubere qui ardenter quaeruntur fructus non defuturos.

Sacra proinde C. de Propaganda Fide Superiores generales rogat ut hasce litteras communicare velint cum Praepositis harum provinciarum quibus

vincie, cui sono affidate Missioni, e a vigilare accuratamente affinchè il contenuto della medesima sia messo in pratica.

Benedica Iddio tutti coloro che, mossi da santo zelo, contribuiscono in qualsiasi modo, affinchè l'opera delle Missioni, l'opera apostolica per eccellenza, progredisca sempre più e venga maggiormente conosciuta ed amata. Ricolmi Iddio de' suoi celesti favori quelle anime che, infiammate del Suo santo amore, si sono consacrate all'evangelizzazione di tanti popoli, i quali attendono ancora la grazia di conoscere Nostro Signore Gesù Cristo.

Approfitto ben volentieri dell'incontro per riaffermarmi, con sensi di ben distinta stima,

Dalla S. C. di Propaganda Fide, nella solennità di Pentecoste, 20 maggio 1923. *Dies (20 maii 1923).*

di V. S. devotissimo

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Prefetto.*

† *F. Marchetti-Selvaggiani. Arciv. di Seleucia*, Segretario.

Missiones concreditae sunt, utque diligenter exsequendis rebus quae iis continentur invigilent.

Benedicat Deus iis omnibus qui sancto zelo moti, quolibet modo allaborant ut opus Missionum, inter omnes apostolicum, in dies semper magis proficiat, noscatur atque ametur. Caelestibus donis cumulet Deus illas animas quae, sancto suo amore flagrantes, evangelizandis tot gentibus, quae gratiam cognoscendi Domini Nostri Iesu Christi adhuc exspectant, sese dedicarunt.

Hac opportunitate libentissime utor ut me iterum observantissime profitear.

Ex S. C. de Propaganda Fide, die festo Pentecostes, 20 maii 1923.

Dominationi Vestrae devotissimum

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus*

F. Marchetti - Selvaggiani, Archiep. Seleucien, Secretarius

ACTA SUMMATIM RELATA

46. — *SS. D. N. Pius Pp. XI*

A. *Litterae encyclicae.*

Encyclica de S. Thoma Aquinate, 29 iul. 1923.

Die 29 iulii 1923, dedit S. P. litteras encyclicas de *S. Thoma Aquinate*, occasione saeculi sexti exeuntis ab eius canonizatione. Praeclarum illud documentum omnibus sacrarum scientiarum cultoribus legendum, immo assidue volvendum ac meditandum est. In quo, postquam encomium texuit eximiarum Angelici Doctoris virtutum, fuse memorat R. P. quomodo, pietate ac studiis invicem promoventibus, ad praestantiam illam doctrinae devenerit qua iure merito Ecclesiae Doctor *communis* seu universalis appellari possit. Brevitatis causa haec tantum indicasse liceat ; verum pauca exscribenda sunt quae normam praebent practicam docendi, exhibentque quasi authenticum commentarium canonis 1366 § 2 de doctrina S. Thomae sequenda.

« Nos autem, quae et decessores Nostri in primisque Leo XIII (1) et Pius X (2) decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent ii praesertim quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtinent. Iidem vero sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem Nostram expleturos esse, si cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque volutando, adamare coeperint, amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae, ipsum Doctorem interpretando communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum.

« Scilicet inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in

(1) Litt. Encycl. *Aeterni Patris.*

(2) Motu proprio *Doctoris Angelici*, diei XXIX iunii MDCCCCXIV.

Codice iuris canonici praecipitur, ut « philosophiae rationalis « ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institu- « tionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris « rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant »; atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur. »

Indicuntur dein sollemnia in honorem Aquinatis celebranda. In ecclesiis et oratoriis quae « populo pateant vel patere possint », praesertim apud Ordinem Praedicatorum, apud seminaria, collegia vel domus sacrae inventuti educandae, haberi potest triduum, octavarium vel novemdialis functio in honorem S. Thomae. In seminariis aliisque domibus ubi clerus instituitur, fiat hoc anno « aliqua celebris de philosophia aliisve gravioribus « disciplinis disputatio in honorem Angelici Doctoris ». Atque vult R. P. ut in posterum dies festus S. Thomae sit studiosis feriatus, et celebretur tum sacro sollemni, tum etiam, saltem in seminariis et apud religiosorum familias, simili disputatione.

Praeter favores hac occasione Ordini Praedicatorum eiusque ecclesiis tributos, conceditur indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum recitantibus sequentem S. Doctoris orationem quam S. P. evulgari cupit:

ORATIO

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super caelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime distribuisti: Tu, inquam, qui verus Fons Luminis et Sapientiae diceris, ac supereminens Principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras, tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Tu qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

B. *Erectio officii de Catechesi penes S. C. Concilii.*

Officium de catechesi apud S. C. C., 29 iun. 1923.

Motu proprio 29 iun. 1923, instituitur penes S. Congr. Concilii peculiare quoddam Officium ad urgendam toto orbe terrarum observationem legum ac decretorum S. Sedis de tradenda doctrina christiana : « cuius Officii sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere ». Rogat R. P. ut hac in re consociationes sodalitatesque utriusque sexus clerum parochialem adiuvent ; ut religiosi et religiosae « curent in suis collegiis alumnos gradatim sic catechismo in- « struendos ut, cum plenius sapientiusque, quam solent, chri- « stianam doctrinam perceperint, et suam fidem contra ea « quae obici vulgo consueverunt, possint defendere et eandem « aliis quam plurimis vel inculcare vel suadere nitantur ». Cupit praeterea S. P., in praecipuis sedibus religiosarum sodalitatum quae iuventuti instituendae sunt deditae, sub ductu episcoporum « scholas aperiri delectis ex utroque sexu adolescenti- « bus, qui accommodato studiorum curriculo formentur, iidemque, « facto periculo scientiae suae, rite renuntientur habiles ad « magisterium doctrinae christianae historiaeque sacrae et ec- « clesiasticae obtinendum. Qui igitur quaeque religiosis domi- « bus praesunt, curae sibi habeant e suis sodalibus deligere « quos vel eiusmodi scholas velint celebrare vel pueris puelli- « sque religionis praecepta tradere. » Episcopi tertio quoque anno ad S. C. Concilii referant de tota hac materia, maxime quod spectat ad scholas illas altiores et collegia de quibus in hoc Motu Proprio (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 327).

C. *Dismembrationes, erectiones dioecesium, Vicariatuum.*

Papantla, 24 nov. 1922.

1. Bulla 24 nov. 1922, pars septemtrionalis dioecesis *Vera Crucis*, adiectis non nullis paroeces dioecesis *Tamaulipanae* (ambae in republica Mexicana), erigitur in novam dioecesim *Papantlensem* (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 329).

Huejutla, 24 nov. 1922.

2. Item eadem die, in eadem republica, constituitur dioecesis *Huejutlensis*, ex partibus dismembratis a dioecesibus de *Tulancingo*, *Sancti Ludovici* et *Tamaulipana* (A. A. S. 5 iul. 1923, XV, 332).

Hiroshima, 4 maii 1923.

3. Brevi 4 maii 1923, erigitur Vicariatus apostolicus de *Hiroshima* (Iaponia), seiunctus a dioecesi *Osakensi* (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 335).

Marshall, 4 maii 1923

4. Item eadem die supprimitur Vicariatus apostolicus de *Marshall*, eiusque territorium (excepta insula Nauru quae Vicariatui de *Gilbert* tribuitur) Vicariatui insularum *Marianarum* et *Carolinarum* addicitur (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 336).

5. Litteris 2 feb. 1923 pars orientalis Siberiae, ab archidioecesi *Mohiloviensi* seiuncta, erigitur in dioecesim de *Vladivostok* (A. A. S., 1 sept. 1923, XV, 443).

Vladivostok, 2 febr. 1923.

6. Die 11 iulii 1923, separato territorio a Vicariatu Apostolico *Marroquiensi*, erigitur Vicariatus de *Rabat* (Africa sept. A. A. S., 1 sept. 1923, XV, 444).

Rabat, 11 iul. 1923.

D. *Erectiones basilicarum.*

In basilicas eriguntur: 11 iun. 1923 ecclesia a *Matre Domini* Salernitana (Italia); eadem die ecclesia *S. Mariae a Mari* Barcinonensis in Hispania (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, resp. 337 et 338).

Salerni Barcinone

E. *Varia pontificia documenta de vocationibus sacerdotalibus et religiosis.*

I. In epistola 10 iun. 1923 ad Belgii episcopos, hic supra plene exscripta, S Pontifex timorem ne propter studia missionum vel excolendae iuventutis sacerdotes curiales defuturi sint his verbis propellit:

« Vocari divinitus istic (ait S. P.) ad sacerdotium adules-
« centes bene multos non sine magna delectatione comperimus;
« quod autem plerique eorum huc spectent, ut vel iuventuti rite
« instituendae suo tempore se devoveant vel sacra Christi le-
« gatione in dissitis infidelium regionibus fungantur, non est,
« profecto cur metuatis ne procuratio apud vos animarum ob
« curionum penuriam aliquando depereant. Dei enim providen-
« tiae est, ut vosmet ipsi facitis, perpetuo confidendum, quae
« minime iis de causis patiatur sacros suae quemque dioecesi
« deesse operarios » (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 351).

Abigendus timor de defuturis curionibus propter missionum et excolendae iuventutis desideria.

II. Iuvat quoque ex epistola 23 mai 1923, missa ad R. B. Patritium Hennessy, Moderatorem Generalem Congregationis Fratrum a scholis christianis Hiberniae, haec pauca excerpere de praestantia vocationis eorum qui excolendae iuventuti destinantur (A. A. S. 5 iul. 1923, XV, p. 342).

« Utinam qui te summo utentur moderatore religiosi viri saepius animo reputent, quotquot ad excolendam iuventutem vocantur divinitus, eos ad altissimum utilissimumque vocari munus; quo in explendo si unice ad Dei gloriam animarumque salutem spectantes, actuose elaborarint, Christum Iesum, innocentium puerorum amantissimum, sibi utique, ex ipsa eius promissione, obligabunt. Cupimus, igitur, ad Sodalitatem vestram quam plurimi convolent tirones qui, divino Spiritu instincti, caveant in tam grande opus vobiscum incumbere; ut, aucto ma-

Quanta si vocatio ad excolendam iuventutem.

gistrorum christianorum numero, iam spes simul augeatur christianae posteritatis, cum maximo Ecclesiae civitatisque emolumento. »

Sollemnes preces pro vocationibus ecclesiasticis indicendae.

III. Epistola 8 iun 1923 ad Em. Basilium Card. Pompili vult « ut stato quodam huius mensis iunii die, qui sit idem unoquoque in futurum anno hanc ad rem destinatus, in omnibus urbanis templis sollemnes supplicationes habeantur ad divinae vocationis gratiam a Sacratissimo Corde Iesu, animarum amantissimo, quam plurimis impetrandam. Eiusmodi autem exemplum confidimus E.pos omnes, Italiae potissimum, se imitari ut in sua quisque dioecesi idem statuant agendum quod Romae opportune fieri cognoverint ; immo non tantum confidimus quam certum habemus ».

47. — *S. Officium*

Monitum

A. Inquisitione peracta super factis quae P. Pio vulgo da Pietralcina, O. Min. Cap., in loco *San Giovanni Rotondo* dioecesis Fodianae (Italia) commoranti, tribuuntur, S. O. 31 maii 1923 declaravit « non constare de eorundem factorum supernaturalitate », ac fideles horatur « ut in propria agendi ratione huic declarationi se conforment ». (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 356).

Degradatio

B. Apud A. A. S., 1 sept. 1928, XV, 449, notum fit sacerdotem Gerardum Cavallo da Francavilla Fontana, ex dioecesi Orien. (Italia) per sententiam S. O. (cf. c. 2305, § 3) degradatum esse.

48. — *S. Congr. Consistorialis*

Iurisdictio et fines dioecesium.

Decretis editis 20 iul. 1923, resp. declaratur iurisdictio episcopi *Monasterien.* (Germania) in territorium septemtrionale Oldenburgense ; commutantur fines dioecesium *Curityben.* et *Botucatuen.* (Brasilia) ; item dioecesium *Mariannen.* et *Bellohorizontinae* (ibidem. - A. A. S. 1 sept. 1923, XV, 449. 450. 451).

49. — *S. Congr. Concilii*

Dioecesis N., renuntiationis paroeciae, 11 nov. 1922.

Die 11 nov. 1922, resolutio data est in causa dioecesis N., *renuntiationis paroeciae*. Parochus quidam dioecesis N., ad hoc invitatus ab Ordinario (ad tramitem. c. 2148) ut administrativam remotionem vitaret, paroeciae scripto renuntiaverat sub sic dicta « conditione », ab episcopo proposita, *reservatae* sibi *ad vitam pensionis* cuiusdam, tertiam partem fructuum non

exeedentis. At paulo post, parochus postulavit declarationem nullitatis huius renuntiationis. Namque, sic ipse, 1) pensio constituta est ad vitam *pensionarii*, dum episcopus nequit beneficiis imponere nisi « pensiones temporarias, quae durent ad vitam *beneficiarii* » (c. 1429, § 1); praeterea 2): « dimissionem beneficiorum... sub aliqua *conditione* quae... redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit » (c. 1486). Hoc alterum autem est sub poena nullitatis, cum statuat c. 1250 § 3; « Renuntiatio fieri potest... etiam sub conditione, *dummodo* haec ab Ordinario legitime acceptari possit » (cf. arg. c. 39).

Verum ad 1) ex ipso c. 1429, § 2, rite cum § 1 collato, patet episcopum posse beneficiis *paroecialibus*, in commodum *parochi abeuntis*, imponere pensiones, cum hac sola restrictione ne excedant tertiam partem reditus paroeciae. In casu autem, pensio illam non excedit.

Praeterea, ad 2): pensio constituenda in casu non fuit *condicio* renuntiationis.

De facto enim eam proposuit episcopus, parochus tantum acceptavit, et quidem invitus fere, ne ad amotionem per decretum deveniretur: ita ut potius dicendum sit episcopum eam ipsi constituisse, potius quam ipsum sibi reservasse. Immo *de iure* neque poterat parochus tanquam *condicionem* ponere pensionem; inter condiciones enim legitimas quas c. 2150, § 3, permittit, comprehendi non potest futura provisio sacerdotis. Et argumentum sumitur ex decreto *Maxima cura*, 28, § 3; « In quolibet casu quaestio de *futura* provisione sacerdotis, non debet commisceri cum questione de *praesenti* amotione a paroecia »; nequit igitur hoc alterum futurae provisioni alligari.

Adde canonem 1486 non videri *ad rem*. Condicionem enim quae redituum erogationem attingat in dimissione beneficiorum prohibere videtur tamquam iure *ecclesiastico* simoniacam; sed in renuntiatione paroeciae ad remotionem praeveniendam, cum fiat ob bonum animarum procurandum, potest proponi futura provisio sine ulla specie simoniae (*cf. Maxima cura*, 28, § 2, quod illud iam explicite permittebat).

Hinc respondit S. C. C. de nullitate renuntiationis in casu *non constare* (A. A. S., 1 sept. 1923, XV, 454).

50. — *S. Congr. de Propaganda Fide*

A. *Mutatio finium.*

Decreto 11 iun. 1923, praefectura apostolica de *Adamana* *Fumban, 11 iun. 1923.*

[47-50]

territorio, dismembrato a Vicariatu de Kameron, augetur, novoque nomine de *Fumban* donatur (A. A. S., 5 iul 1923, XV, 368).

B. *Litterae de expositione Missionum Romae habenda.*

Expositio missionum, 3 maii 1923.

Litteris 3 maii 1923, Em. Card. Praefectus H. S. C. omnes per orbem Ordinarios rogat ut pro viribus allaborent futurae expositioni Missionum Romae habendae, ad eamque libros, tabulas geographicas aliave huiusmodi mittant quae exponantur (A. A. S. 5 iul. 1923, XV, 372). Eadem quoque die, litteras similes dedit ad Vicarios, Praefectos Apostolicos aliosque Missionum Superiores, adiecta instructione, lingua gallica conscripta quasnam res et qua ratione mittere expediat (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 374).

C. *Divisio Congregationis.*

Divisio Congregationis, 27 iul. 1923.

Decreto 27 iul. 1923, Institutum Veronense Filiorum SS. Cordis Iesu in duas Congregationes dividitur, alteram constantem sodalibus Italis cui nomen manet « Congregatio Filiorum SS. « Cordis Iesu pro missionibus Africae centralis »; alteram austro-germanicam quae nominabitur « Congregatio missionarium Filiorum SS. Cordis Iesu. » (A. A. S., 1 sept. 1923. XV, 467).

E. *Praeses operis a Propaganda Fide* nominatus est:

Praeses op. P. I.

5 iun. 1923 R. D. Henr. Forves, pro Scotia (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 379).

51. — *S. Congr. Rituum.*

A. *Responsum de missa in prima feria sexta ianuarii.*

Missa primae feriae sextae ianuarii, 27 iun. 1923.

Die 27 iun. 1923, rescripsit S. R. C., prima feria sexta ianuarii incidente in diem 2, 3, 4 huius mensis, non permitti missam de SS. Corde tanquam votivam sollemnem (concessam per decr. 28 iun. 1889, n. 3712) sed ei substituendam esse missam *Puer natus est nobis* de die 30 dec., sine commemoratione de SS. Corde, iuxta novam rubricam specialem Missalis sub die 25 dec., et decreta *Dubium* 8 iul. 1921, atque *Hildesien.* 16 iun. 1922, ad XII et XIII (A. A. S., 5 iul. 1923, XV, 379).

B. *Causae beatificationis.*

Maria Pousseppin, 27 iun. 1923.

Die 27 iun. 1923 signata est commissio introductionis causae S. D. *Mariae Pousseppin,* fundatricis Instituti Sororum caritatis

a Praesentatione B. M. V., Turonen. (A. A. S., 1 sept. 1923, XV, 470).

Item die 25 iul. 1923, pro introductione causae S. D. *Mariae Assumptae Pallotta,* Instituti sororum Franciscalium missionariarum Mariae (A. A. S. 1 sept. 1923, XV, 473). *Maria Assumpta Pallotta, 25 iul. 1923.*

52. — *Provisio ecclesiarum*

Archiepiscopi vel episcopi residentiales decretis *S. Congr. Consistorialis nominati sunt.*

4 iun. 1923 R. D. Franc. Serrand. ep. Briocen. (Gallia). *Saint-Brieuc*

6 » » R. D. Clem. Quirin. Bonefacic, ep. Spalaten. (Iugoslavia). *Spalato*

6 iun. 1923 R. P. D. Andr. Karlin, ep. Lavantinus (Iugoslavia). *Lavant*

8 iun. 1923 R. P. Alois. Rhéaume, ep. Haileyburen (Canada). *Haileyburg*

» » » R. P. D. Ios. Guadalupe Ortiz, ep. de Chilapa (Mexico) *Chilapa*

11 iun. 1923 Anton. Raym. de Silva, archiep. Emeriten. in Indiis (Venezuela). *Merida*

16 iun. 1923 R. P. D. Sixt. Soza, ep. Cumanen. (Venezuela). *Cumana*

21 » » R. D. Dan. Gercke, ep. Tucsonen. (Stat. foed. Americae). *Tucson*

22 iun. 1923 R. D. Ant. Mejia, ep. de Guayana (Venezuela). *Guayana*

» » » R. D. Luc. Castillo, ep. Coren. (Venezuela). *Carabobo*

» » » R. P. Tranc. Granadillo, ep. Valentinus (Venezuela). *Valenzia*

22 iun. 1923 R. D. Thom. Sanmiguel, ep. S.i Christophori (Venezuela).

8 iun. 1923 R. D. Severin. de Mello, ep. Piahunen. (Brasilia). *Piauhy*

13 » » R. P. D. Thom. O' Doherty, ep. Gallovidien. (Scotia). *Galloway*

24 iul. 1923 R. P. D. Emman. Lago y Gonzalez, archiep. Compostellanus (Hispania). *Santiago*

3 aug. 1923 R. P. D. Bolesl. Twardwoski, archip. Leopolien. latinorum (Polonia). *Lwów*

Ope *S. C. de Propaganda Fide* nominati sunt:

4 maii 1923 R. P. D. Henr. Doering, Vic. Ap. de Hiroshima (Iaponia). *Hiroshima*

19 maii 1923 R. P. D. Franc. Xav. Vogt, Vic. Ap. Comeronen. (Afr. occid.) *Cameroun*

Marianae 25 maii 1923 R. D. Iac. Lopez de Rego y Labarta, Vic. Ap. insularum Marianarum, Carolinarum et Marshall (Oceania).

Filandia 25 maii. 1923 R. P. Ioan. Mich. Buckx, Vic. Ap. de Finlandia.

Tuticorin 12 iun. 1923 R. P. Tiburt. Roche, ep. Tuticoren. (Indiae orient.)

Calicut 12 iun. 1923 R. P. D. Paul. Pierini, ep. Calicuten. (Indiae orient.)

Islandia 12 iun. 1923 R. P. Martin. Meulenburg, Praef. ap. Islandiae.

Celebes 12 iul. 1923 R. P. Walter. Janis, Praef. ap. insularum Celebes.

Nilus Aequator. 4 iul. 1923 R. P. Anton. Vignato, Praef. ap. Nili Aequatorialis (Africa).

Gariep 16 iul. 1923 R. P. Franc. Demont, Praef. ap. de Gariep.

Nominationes

Nominati sunt Nuntii

30 maii 1923 Ill. D. Sebast Nicotra, Ulyssipone
» » » » Clem. Micara, Bruxellis
» » » » Franc. Marmaggi, Pragae
» » » » Ang. M. Dolci, Bucarest

Necrologium

Saragossa 4 iun. 1923 Em. Card. Ioan. Soldevilla y Romero, archiep. Caesaraugustamus (Hispania).

Saint Hyacinthe 17 iun. 1923 Ill. D. Alex. Sixt. Bernard, ep. S. Hyacinthi (Canada).

Alton 2 iul. 1923 Ill. D. Iac. Ryan, ep. Altonem (Stat. foed. Amer).

Limerick » » » » » Dionys Hallinam, ep. Limericien (Hibernia).

Ugento 17 iul. 1923 Ill. D. Lud. Pugliese, ep. Uxentin (Italia).

Durango 23 » » » » Franc. Mendoza, archiep. Duranguen. (Mexico).

Torino 10 aug. 1923 Em. Card. Augustin. Richelmy, archiep. Taurinen. (Italia).

PARS ALTERA

MONUMENTA

53. — SS. D. N. PII Pp. XI

Ep. encycl. " Ecclesiam Dei „ 12 nov. 1923

IN TERCENTESIMO NATALI S. IOSAPHAT

(A. A. S. 1 dec. 1923, 15, p. 573)

PIUS PP. XI.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Oecumenica Ecclesiae unitas, quam Christus voluit,

Ecclesiam Dei admirabili consilio sic constitutam, ut in plenitudine temporum esset immensae familiae instar, quae humani generis universitatem complecteretur, cum aliis insignitis notis, tum oecumenica unitate scimus divinitus esse conspicuam. Etenim Christus Dominus non modo quod ipse a Patre munus acceperat, solis Apostolis demandavit, cum dixit: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes;* (1) sed etiam Apostolorum summe unum voluit esse collegium, dupliciter coagmentatum arctissimo vinculo, intrinsecus quidem fide eadem et caritate, quae *diffusa est in cordibus ... per Spiritum sanctum;* (2) extrinsecus autem unius in omnes regimine, cum Apostolorum principatum Petro contulerit, tamquam perpetuo unitatis principio ac visibili fundamento.

(1) MATTH., XXVIII, 18, 19.
(2) *Rom.*, V, 5.

Hanc eis unitatem sub vitae mortalis exitum diligentissime commendavit ; (1) hanc ipsam a Patre summis precibus petiit, (2) impetravitque, *exauditus pro sua reverentia.* (3)

propter quam sub uno capite visibili, Vicario Christi, constituitur,

Itaque coaluit crevitque Ecclesia in « unum corpus » et ipsum uno vivum vigensque spiritu : cuius quidem *est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrantionis* ; (4) sed eiusdem, ea ipsa de causa, aspectabile caput is est qui Christi vice fungitur in terris, Pontifex Romanus. In eum, ut successorem Petri, perpetuo cadit illa Christi vox : *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* (5) isque vicarium illud munus, Petro collatum, semper exercens, fratres suos confirmare, ubi opus fuerit, omnesque dominici gregis et agnos et oves pascere non desinit.

a daemone maxime impugnatur. Inde schismata.

Iam vero nihil unquam tam hostiliter *inimicus homo,* quam Ecclesia unitatem regiminis, quacum « unitas spiritus in vinculo pacis » (6) coniungeretur, appetiit ; qui si nequaquam adversus Ecclesiam ipsam praevalere potuit, effecit tamen, ut filios non paucos atque etiam integros populos ab eius gremio complexuque distraheret. Quam ad rem vel nationum inter nationes certamina, vel alienae a religione ac pietate leges, vel fluxorum bonorum incensiora studia multum valuerunt.

Luctuosissimum est Byzantinorum, quo tardius etiam Slavi Orientales infecti sunt.

Maxima autem atque omnium luctuosissima fuit Byzantinorum ab oecumenica unitate discessio ; cui malo etsi Lugdunense Concilium ac Florentinum mederi visa sunt, tamen deinceps denuo illud erupit hodieque perseverat, magno scilicet cum animarum detrimento. Inde cernimus transversos actos esse pessumque ire cum alios tum Slavos Orientales, quamquam hi diutius quam ceteri in Ecclesiae matris sinu permanserunt. Constat enim eos cum hac Apostolica Sede aliquid rationis habere consuevisse, etiam post Michaëlis Caerularii schisma, quam consuetudinem, incursionibus primum Tartarorum, tum Mongolorum intermissam, repetiisse deinceps ac retinuisse, dum potentium contumacia non sunt prohibiti.

Conatus non steriles SS. Pontificum pro horum salute.

Nec vero in hac causa Romani Pontifices quicquam praetermiserunt quod esset suarum partium ; quorum nonnulli singulare studium curamque ad Slavorum Orientalium salutem contulerunt : ut Gregorius VII, qui principi Kioviensi « Deme-

(1) IOANN., XVII, 11, 21, 22.
(2) Ibid.
(3) *Hebr.*, V, 7.
(4) *Eph.*, IV 4, 5, 15, 16.
(5) MATTH., XVI, 18.
(6) *Eph.*, IV, 3.

trio regi Russorum et reginae uxori eius » regnum auspicantibus, cum Romae ab eorum filio rogatus esset, amicissime omnia a Deo bona per litteras est precatus ; (1) ut Honorius III, qui ad civitatem Novogorodensem legatos misit ; quod etiam fecit Gregorius IX, itemque non multo post Innocentius IV, qui magni fortisque animi virum eo legavit, Ioannem de Plano Carpino, Franciscalis familiae ornamentum. Huius quidem decessorum Nostrorum diligentiae fructus exstitit anno MCCLV, cum concordiae et unitas reconciliatio facta est, ob eamque celebrandam nomine et auctoritate Pontificis abbas Opizo, eiusdem legatus, insigne regium Danieli, Romani filio solemnibus caeremoniis, imposuit. Itaque, secundum venerandam antiquiorum Slavorum Orientalium traditionem moremque, id etiam consecutum est, ut in Florentino Concilio Isidorus, metropolita Kioviensis et Moscoviensis idemque S. R. E. Cardinalis, suorum quoque popularium verbis, catholicam unitatem in fide Apostolicae Sedis professus sit sancte se inviolateque servaturum.

Variae deinde vices.

Mansit igitur Kioviae plures quidem annos redintegrata coniunctio ; cuius dirimendae causas illae perturbationes auxerunt, quae consummatae sunt in rebus publicis, ineunte saeculo XVI ; ea tamen anno MDXCV feliciter renovata est et, anno post, in conventu Brestensi promulgata, auctoribus et agentibus metropolita Kioviensi aliisque Ruthenorum Episcopis ; quos quidem Clemens VIII amantissime excepit, editaque constitutione *Magnus Dominus* christifideles universos appellavit, ut Deo grates agerent, « qui semper cogitat cogitationes pacis, et vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ».

Consecrata martyrio unitas. Laus S. Iosaphat.

Illa autem ut in perpetuum unitas consensioque consisteret eam providentissimus Deus sanctitatis simul et martyrii tamquam signo consecravit. Quae tanta laus obtigit Archiepiscopo illi Polocensi, Iosaphat, ritus slavonici orientalis, quem iure praeclarum vel decus vel columen Slavorum Orientalium agnoscimus ; siquidem vix aliquis alius magis eorum nomen illustravit, aut melius saluti consuluit, quam hic ipsorum et Apostolus, praesertim cum sanguinem suum pro Ecclesiae sanctae unitate profudit. Cuius praeclarissimi martyrii natalis cum adsit trecentesimus, admodum Nobis placet tanti viri memoriam renovare, quo maioribus bonorum precibus Dominus exoratus « excitet in Ecclesia sua spiritum, quo repletus beatus Io- « saphat, Martyr et Pontifex ... animam suam pro ovibus

(1) *Ep.*, lib. 2, ep. 74, apud MIGNE, *Patr. lat.*, t. 148, col. 425.

« posuit »; (1) auctoque in vulgus unitatis promovendae studio, continuetur quod ipse urgebat, opus, usque dum promissum illud Christi idemque sanctorum omnium optatum eveniat: *et fiet unum ovile et unus Pastor.* (2)

Renovata memoria praeclarae vitae,

Hic parentibus quidem ab unitate dissitis ortus est,at sancte ablutus, accepto Ioannis nomine, a teneris unguiculis pietatem coluit; cumque splendorem sequeretur liturgiae Slavonicae, veritatem ante omnia Deique gloriam quaesivit, ob eamque rem, nullis humanis impulsus rationibus, ad communionem Ecclesiae unius oecumenicae seu catholicae se puerulus applicavit; ad cuius quidem communionem se destinatum ipso rite suscepto baptismate iudicabat. Quin etiam, caelesti quodam instinctu se moveri sentiens ad sanctam universaliter redintegrandam unitatem, plurimum eo sese conferre posse intellexit, si ritum orientalem Slavonicum et Basilianum vitae monasticae institutum in Ecclesiae universalis unitate retineret. Quare anno MDCIV inter monachos sancti Basilii alumnos cooptatus, depositoque Ioannis nomine appellatus Iosaphat, omnium exercitationi virtutum se totum dedit, pietatis maxime et austeritatis. Quem enim Crucis amorem a prima aetatula, Iesum Crucifixum contemplando, conceperat, eum perpetuo deinceps ostendit prorsus singularem.

Testis autem est metropolita Kioviensis Iosephus Velamin Rutsky qui eidem monasterio archimandrita praefuerat, « in « vita monastica eum brevi tempore ita profecisse ut aliorum « magister esse posset ». Itaque ubi sacerdotio auctus est, archimandrita ipse Iosaphat renuntiatur et monasterio praeficitur. Is in huius administratione muneris, non modo monasterium continensque templum sarta tecta tueri, eaque contra inimicorum impetus communire studuit, verum etiam, quia deserta fere a fidelibus erant, idcirco instituit dare operam, ut eadem christianus populus iterum celebraret. Interea vero, in primis de suorum civium cum Petri cathedra coniunctione sollicitus, quaecumque ad eam qua promovendam qua confirmandam argumenta suppeterent, undique conquirebat, praesertim libros liturgicos pervolutando, quibus Orientales ipsique dissidentes secundum sanctorum Patrum praescripta uti consuevissent.

apostolici zeli pro unitate

Hac igitur tam diligenti praeparatione adhibita, unitatis instaurandae negotium coepit tanta simul cum vi et suavitate

(1) In officio S. Iosaphat.
(2) IOANN, X, 16.

tantoque cum fructu agere, ut ab ipsis adversariis « raptor animarum » nuncuparetur. Etenim mirabile est, quam multos ad unicum ovile Iesu Christi perduxerit, eosque ex omni ordine ac genere, plebeios, mercatores, equites, praefectos quoque et administratores provinciarum, ut de Polocensi Sokolinski, de Novogrodecensi Tyszkievicz, de Smolenscensi Mieleczko accepimus. Sed vel multo latiorem in campum produxit apostolatum suum, ex quo Ecclesiae Polocensi datus est antistes. Cuius quidem apostolatus incredibilem sane oportet fuisse vim, cum exempla exhiberet vitae castissimae, pauperrimae, abstinentissimae, tantae autem erga indigentes liberalitatis, ut ad eorum inopiam sublevandam hic *omophorion* oppignerarit; cum intra religionis fines admodum se contineret, nec quicquam de rebus politicis attingeret, quamvis non semel nec parum idem sollicitatus esset ad curas contentionesque civiles obeundas; cum denique praeclaro studio niteretur sanctissimi Episcopi, qui verbis scriptisque finem non faciebat inculcandae veritatis. Plura enim ad popularium ingenium a se accommodatissime composita in lucem edidit, ut de primatu S. Petri, de baptismate S. Vladimiri, ut defensionem unitatis catholicae, catechismum ad rationem beati Petri Canisii exactum, et id genus alia. Cum autem multus esset in utroque clero ad officii diligentiam exhortando, sensim, excitato ministerii sacerdotalis ardore, perfecit, ut populus, rite in doctrina christiana institutus, aptaque divini verbi praedicatione nutritus, sacramenta sacramque liturgiam frequentare assuesceret, atque ad vivendi disciplinam usque sanctiorem renovaretur. Ita longe lateque Dei spiritu diffuso, Iosaphat unitatis opus, cui se devoverat, magnifice confirmavit. At vero tum maxime confirmavit illud atque adeo consecravit, cum pro eodem martyr occubuit, et quidem voluntate summa, magnanimitate mirabili. Martyrium in mente semper, in ore frequenter habebat; martyrium sibi celebri in concione optavit; martyrium deniqne, tamquam singulare Dei beneficium, implorabat; ut paucis ante mortem diebus, ubi de paratis sibi insidiis est admonitus, « Domine, inquit, da mihi « ut sanguinem pro unitate et oboedientia Sedis Apostolicae « profundere valeam ». — Voti factus est compos die dominico XII Novembris a. MDCXXIII, cum circumsistentibus hostibus, qui unitatis Apostolum petebant, obviam se hilaris et comis obtulit, precatusque, ad Magistri Dominique sui similitudinem, ne suos domesticos laederent, se ipsum in eorum manus tradidit; cumque vulneribus crudelissime conficeretur, non cessa-

insignis martyrii,

vit ad extremum spiritum rogare Deum, ut suis percussoribus ignosceret.

Martyrii fructus

Huius tam incliti martyrii magna fuere emolumenta : praesertim multum firmamenti ac roboris accessit Episcopis Ruthenis, qui duobus mensibus post, missis ad sacrum Consilium Fidei propagandae litteris, ita professi sunt « vitam nostram « cum sanguine, prout iam unus ex nobis profudit, pro fide « catholica profundere paratissimos nos offerimus ». Ingens etiam hominum numerus, in quibus ipsi Martyris interfectores, in sinum unius Ecclesiae se subinde receperunt.

hodie etiam colligendus in tanta Slavorum calamitate.

Sanguis igitur sancti Iosaphat, quemadmodum abhinc tribus saeculis, ita nunc maxime, pignus pacis atque unitatis s'gillum exstat ; nunc, inquimus, cum tanta fraterna caede miserrimas Slavorum provincias, turbulentissimis motibus perturbatas, efferatorum bellorum furor cruentavit. Hunc enim sanguinem exaudire veluti videmur *melius loquentem quam Abel*, (1) Slavosque fratres compellantem, ut quondam, Christi Iesu verbis: *Oves sine pastore iacent. Misereor super turbam.* Et vere, quam miserabili condicione ii premuntur ! in quantis rerum omnium angustiis versantur ! quot patria extorres ! quae corporum strages ! quae pernicies animorum ! Equidem haec Slavorum tempora contemplantes, multo sane deteriora quam quae noster (2) deplorabat, vix pro paterna animi caritate continere lacrimas possumus.

Pontificis misericordia.

Non quidem, ut tantam miseriarium molem levaremus, opem calamitosis ultro afferre studuimus, nihil humani spectantes, nulloque inter indigentes facto discrimine, dumtaxat egentissimo cuique praesentissime opitulantes. Verum haud par fuit tantae necessitati Nostra facultas. Nec vero prohibere potuimus

Dolor de bello moto religioni.

quin, quavis religione contempta, contra veritatem ac virtutem indignitates increbrescerent, atque adeo, nonnullis in locis, ad carcerem, ad necem usque christiani homines atque ipsi sacerdotes et sacrorum antistites quaererentur.

Bona ex unitate speranda.

Haec Nobis mala intuentibus, id haud mediocri est solacio quod praeclarissimi Slavorum Antistitis commemoratio solemnis occasionem praebet sane opportunam ad paternum animum, quem erga Slavos omnes Orientales gerimus, declarandum, iisdemque proponendam bonorum omnium summam, quae in Ecclesiae sanctae oecumenica unitate consistit.

Hortatio ud promovendam

Ad quam unitatem cum dissidentes impense cohortamur,

(1) *Hebr.*, XII, 24.

(2) Vox « decessor » excidisse videtur.

tum christifideles universos, Iosaphat auctore et magistro, contendere cupimus ut pro viribus suam quisque Nobis operam studiumque navent. Hi porro intelligant non tam disputationibus aut incitamentis aliis, quam sanctae vitae exemplis officiisque hanc esse unitatem promovendam, in primis vero caritate erga Slavos fratres ceterosque Orientales, secundum illud Apostoli: *Eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.* (1)

unitatem, maxime exemplo sanctae vitae et caritate.

Qua in re, quemadmodum Orientales dissidentes oportet ut antiquis praeiudicatis opinionibus depositis, veram Ecclesiae vitam cognoscere studeant, neque in Ecclesiam Romanam privatorum culpas conferant, quas ipsa quidem et damnat et emendare connititur; sic Latini homines uberius altiusque res moresque cognoscant Orientalium, ex quorum intima cognitione tam multum efficacitatis in sancti Iosaphat operam redundavit.

Opportunitas mutuae cognitionis.

Hisce rationibus permoti, Nos Institutum Pontificium Orientale, a decessore Nostro desideratissimo, Benedicto XV, conditum, novis studiis fovendum curavimus; illud persuasum habentes, ex recta rerum cognitione aequam hominum existimationem itemque sinceram benevolentiam efflorescere, quae, Christi caritate coniuncta, religiosae unitati quam maxime est, Dei munere, profutura.

Spes reposita in Pontificio Instituto Orientali.

Hac enimvero caritate afflati, sentient omnes quod divinitus docet Apostolus: *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* (2) Praeterea, quod maius est, eidem Apostolo praecipienti religiose obsecuti, non praeiudicatas tantum opiniones, sed etiam inanes suspiciones, simultates, odia, denique omnes a christiana caritate aversos animorum motus, quibus inter se nationes dividuntur, exuent atque deponent. Sic enim idem Paulus: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Iudaeus ... Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* (3)

Nationum conciliatione coniunctio Ecclesiae perficietur,

Ita hac et singulorum hominum et populorum conciliatione perfecta, coniunctio simul perficietur Ecclesiae, in eiusdem

per Dei bonitatem, salva rituum varietate.

(1) *Phil.*, II, 2-4.
(2) *Rom.*, X, 12.
(3) *Coloss.*, III, 9-11.

sinum redeuntibus omnibus, quotquot, quavis de causa, sint ab ea seiuncti. Quae coniunctionis perfectio non humano quidem consilio fiet, sed unius bonitate Dei, qui *non est personarum acceptor*, (1) quique *nihil discrevit inter nos et illos*: (2) fiet autem, ut omnes aequo iure utantur coniuncti populi, cuiusvis sint generis aut linguae, quorumvis rituum sacrorum, quos Romana Ecclesia et sanctissime semper venerata retinuit, semperque decrevit retinendos, iisdem se tamquam pretiosis vestibus exornans, quasi *regina... in vestitu deaurato, circumdata varietate*. (3)

In quem finem fundantur preces,

Quoniam vero haec populorum omnium in oecumenica unitate consensio, ut opus in primis Dei, divinis est auxiliis praesidiisque comparanda, piis sedulo insistamus precibus, exempla ac documenta sequentes sancti ipsius Iosaphat, qui orationis potissimum virtute fretus pro unitate elaborabat.

excolatur ss. eucharistiae sacramentum,

Eodemque auctore et duce, augustum maxime Eucharistiae Sacramentum percolamus, pignus causamque praecipuam unitatis, mysterium illud fidei, cuius amorem studiosamque consuetudinem quotquot Slavi Orientales in ipso a Romana Ecclesia discessu conservarunt, iidem graviorum haeresum impietatem defugerunt. Ex quo tandem sperare licebit, quod Ecclesia mater pie fidenterque precatur in mysteriis iisdem celebrandis, ut Deus *unitatis et pacis propitius dona concedat, quae sub oblatis muneribus mystice designantur* (4); quod ipsum coniunctis precibus utrique, inter sacrificandum, orant Latini et Orientales: hi « pro unitate omnium Dominum invocantes », illi eidem Christo Domino supplicantes ut « respiciens fidem Ecclesiae suae, eandem secundum voluntatem suam pacificare et coadunare dignetur ».

invocetur Dei Mater cuius Slavi Orientales sunt studiosi,

Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores. In quo quidem Iosaphat cum magnopere praestabat, tum ad unitatem persuadendam plurimum confidebat: quare icunculam, ut mos est Orientalium, peculiariter venerari solitus erat Deiparae Virginis, quae a monachis Basilianis et in ipsa Urbe, ad sanctorum Sergii et Bacchi, a christifidelibus cuiuslibet ritus religiosissime

(1) *Act.*, X, 34.
(2) Ibid., XIV, 9.
(3) *Psalm XLIV*, 10.
(4) Secreta Missae in solemnitate Corporis Christi.

colitur, ut *Regina pascuorum*. Eam igitur benignissimam Matrem praesertim hoc titulo invocemus, ut dissidentes fratres ad salutaria pascua deducat, ubi Petrus, in successoribus suis numquam deficiens, Pastoris aeterni vicarius, christiani gregis et agnos et oves pascit universos ac moderatur.

advocati adhibeantur omnes Caelites, praecipue S. Iosaphat.

Postremo, Caelites omnes in re tanta adhibeamus advocatos, eos maxime qui apud Orientales olim sanctitatis sapientiaeque opinione floruerunt, hodieque magna populorum florent veneratione et cultu. Sed primum omnium deprecatorem appellemus Iosaphat, qui unitatis causam ut fortissime propugnavit, dum vixit, ita nunc foveat apud Deum ac validissime tueatur. — Quem quidem Nos his decessoris Nostri immortalis memoriae Pii IX obsecramus supplicibus verbis: « Utinam, sancte Iosaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis pignus cum sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo Maximo expostulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum caelestemque Aulam Te deprecatorem assiduum exoptamus ».

Oratio Pii IX ad S. Iosaphat repetitur

Benedictio Ap.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Dies (12 nov. 1923).

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XII mensis novembris, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Apostolica consilia quae, in mirabili ista encyclica, Supremus Pastor ad omnes dirigit ut sollicitudo de oecumenica Ecclesiae unitate, ac praecipue de reditu schismaticorum omnium fidelium animos pervadat, nos moverunt ut eam integram hoc loco exscriberemus.

54. — S. C. S. Officii

Rescriptum 9 nov. 1922

DE ALTARI PRIVILEGIATO PRO AGONIZANTIBUS (1)

Dubia

I. Utrum, post canonem 930 novi Codicis adhuc perseveret exsistentia altaris privilegiati pro agonizantibus; et quatenus affirmative:

II. Quomodo est intellegenda indulgentia plenaria pro agonizantibus.

III. Utrum celebrans pro pluribus agonizantibus determinare debeat cui applicet indulgentiam plenariam.

IV. Quid, in casu quo sacerdos neminem determinet.

Solutio

Resp. Ad I. Affirmative. - Ad II. Indulgentiam esse intelligendam *tamquam pro vivis, per modum absolutionis*. - Ad III Negative. - Ad IV tandem: provisum in III.

ANNOTATIONES

I. Occasionem isti rescripto dedisse videtur epistola 15 iun. 1917 (A. A. S., X. 1918, p. 317-318, ubi versio latina scriptioni italicae annexa fuit) qua BENEDICTUS XV, s. m. sacerdotibus sodalibus sodalicii dicti a Transitu S. Ioseph, qui unam (2) saltem missam quotannis pro morientibus celebrarent, inter plura alia privilegia vel indulgentias, facultatem altaris privilegiati « quotiens missam pro morientibus celebrarent », concessit.

Inde quaestiones exortae sunt: *a*) quomodo gratia ista componeretur cum verbis c. 930: « nemo indulgentias acquirens, potest eas aliis in vita degentibus applicare », praesertim cum antea, cc. 917-918, de solis altaribus privilegiatis pro defunctis sermo fiat; *b*) cum, ex declarata voluntate, Ecclesia voluerit

(1) Ex *Monitore*, 1923, p. 261.

(2) In litteris quidem plures missae quotannis postulantur, sed postea unam sufficere declaratum est.

ut indulgentia altaris privilegiati pro defunctis uni tantum animae prodesset, etiam si pro pluribus animis missa applicaretur, quid iuris, si quis pro pluribus agonizantibus missam applicaret.

II. Sicut in Epitome, II, 211 monuimus, quaestiones istae, praecipue secunda, propositae sunt sectioni de Indulgentiis S. Paenitentiariae. Quae deliberationem de re instituit. Verum, cum quaestio doctrinam dogmaticam de indulgentiis attingere videretur, de qua doctrina reservatur, vi c. 258 § 2, S. Officio pronuntiatio, S. Paenitentiaria rem decidendam Supremae Congregationi remisit. Ac die 9 nov. 1922 solutio data esse videtur.

III. Ad eam aliquatenus illustrandam, operae pretium est memorare quaenam de altari privilegiato pro defunctis statuta vel declarata fuerint. Sunt autem sequentia.

a) Quod ad subiectum applicationis, applicatio indulgentiae ab applicatione missae separari nequit, hac saltem ratione ut si missam uni defuncto applices, indulgentia nulli alteri sit applicabilis; si vero pro pluribus literis, *uni tantum ex iis* indulgentia prodesse possit. Applicationem enim indulgentiae ab applicatione missae seiungi non posse declaravit S. C. Indulgentiarum, resp. 25 aug. 1897 ad episcopum Squillacensem: « I. an indulgentia altaris privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu sacrificii, quando sacrificium est celebrandum pro defunctis? - II. an eadem indulgentia altaris privilegiati separari possit, quando celebratur sacrificium pro vivis, ita ut indulgentia praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum celebrantis? - Et in generali Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 5 aug. 1897, Emi Patres rescripserunt: Ad I et II Negative, (A. S. S. XXX, 278) ».

b) Uni tantum ex iis, inquam, namque aucto-

ritas theologorum, v. g. Theodori a Spirito Sancto, II, p. 53; Benedicti XIV *Institutiones canonicae* 56, n. 15, et decretum authenticum 29 febr. 1864, n. 402, testantur non pro pluribus sed pro una tantum anima indulgentiam concessam esse; nec mentem Ecclesiae esse ut indulgentia plenaria in plures partiales quasi convertatur (Beringer - Steinen, I, n. 989).

c) Indulgentia defunctis applicatur per modum suffragii. Ita laudata responsa ad III « Quomodo intelligenda sit inscriptio quae reperitur in aliquibus altaribus, huius tenoris: « Altare privilegiatum pro vivis et defunctis? » - « Ad III: interpretanda est ita ut etiam pro vivis, si in altari de quo agitur missae sacrificium pro vivis applicetur intelligatur concessa plenaria indulgentia; pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis, ad modum suffragii ».

d) Suadendum saltem est ut sacerdos qui pro pluribus applicat, ipse inter eos subiectum applicationis designet. Immo id necesse putabat PASSERINI, *De indulgentiis*, q. 120, n. 927; nec solus ita opinabatur. Necessitatem tamen istius designationis S. C. Indulgentiarum implicite negavit in resp. 19 iun. 1880 (Decr. auth. n. 451), « 3. Num privilegium inutile evaserit ex eo quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari? - Ad 3. Negative ».

e) Quod ad mediatam vel immediatam applicationis rationem, dum aliae indulgentiae sunt *applicabiles* defunctis a vivente qui eam pro se lucrari poterat, indulgentia altaris animae purgatorii immediate applicatur. Quare, ex resp. S. C. Indulg. 12 mart. 1855 et S. Officii, 16-17 iun. 1915, intentio formalis vel virtualis applicandi indulgentiam alicui animae, in sacerdote qui ad altare privilegiatum pro defuncto celebrat, minime requiritur.

IV. His perspectis, quod ad responsionem datam

ad I, nulla nobis visa est, v. g. *Epitome iur. can.* II, 211, oppositio inter c. 930 et concessionem altaris privilegiati pro viventibus. Canon enim mere excludit applicationem quam viventi faceret alter indulgentiae a se acquisitae ; indulgentia autem altaris privilegiati directe a S. Pontifice ei cui missa applicatur est concessa. Silentium vero Codicis de altari pro vivis privilegiato, ipsa raritate usus explicatur. Ut enim observant BERINGER-STEINEN, I, 979, altaria privilegiata pro vivis raram hodie exceptionem efficiunt; ac nisi nova fuisset concessio Benedicti XV pro morientibus, de re fortasse penitus sileretur. Quocirca, responsum ad I tale est quale exspectari potuit.

V. De resp. ad II. Constat quoque, ex ipso c. 911, indulgentiam pro vivis concedi per modum absolutionis ; et in resp. ad III, 25 aug. 1897, S. C. Indulgentiarum iam dixerat, indulgentiam altaris pro vivis, concedi ad modum *iurisdictionis*. Usus autem iurisdictionis inviolatum titulum confert indulgentiam consequendi. Ad can. 911 et ad resp. 1897 S. Officium suum responsum accommodavit, dum indulgentiam pro agonizantibus declaravit intellegendam esse per modum absolutionis.

VI. De resp. ad III. Quid autem de tertio responso, quo necessitas negatur determinandi agonizantem cui inter plures pro quibus missa applicatur applicatam velis indulgentiam ? Quaeres quisnam, omissa a sacerdote omni determinatione, subiectum applicationis indulgentiae determinaturus sit? Potestne, ut facit *Monitore,* oct. 1923, p. 308, simpliciter allegari praecedens exemplum resp. 1 iun. 1880 (supra) atque inde colligi : « manifestum esse futuram a Deo designationem » ?

Nobis minime ita videtur. Namque responsum 1880 datum est de indulgentia per modum *suffragii* pro defunctis oblata ; per modum suffragii, i. e de-

precationis. Facilius autem capitur, a Deo, quando orationem exaudit qua supplex aditur ut velit pro aliqua anima accipere satisfactionem e thesauro Ecclesiae, ipsam designationem fieri, quae Ipsi tacite in ipsa deprecatione commissa est: actio est tunc tota Dei. Sed qui absolvit, ipse agit. Et sicut nemo absolveretur, si sacerdos, habens coram se tres reos, confuse unum ex tribus absolveret a peccato vel a censuris, sic inefficacem dixeris indulgentiam uni ex pluribus viventibus pro quibus offertur missa indeterminate applicatam. Quisnam probet a Deo acceptari mandatum quo Ipsi hanc designationem permittimus? Certe, confusa applicatio missae pro uno ex decem pro quibus litari debeo, invalida reputatur.

Sane, si indulgentia cumulative omnibus applicaretur, nulla designatio facienda foret; sed extensio ista non quidem potestatem sed mentem concedentis Ecclesiae excedere videtur.

Restat tunc ut, in praesenti casu, utamur opinione NOLDIN (III, 177, 3) et quorundam aliorum qui existimant valere intentionem applicandi missam *prout Deus vult*, cum rationabiliter intellegatur de intentione applicandi ei cui magis Deo placet ut applicetur. Sacerdoti igitur qui applicationem indulgentiae praetermittat, supponemus intentionem applicationis quae Deo sit magis accepta.

Authenticam rei declarationem nobis in votis manere fatemur.

55. — S. C. S. Officii

Declaratio 2-3 maii, 1923

CIRCA DISPENSATIONEM A LEGE IEIUNII EUCHARISTICI ANTE MISSAM

(A. A. S. 1 dec. 1923, 15, p. 585)

Quaesitum

Supremae Congregationi S. Officii propositum fuit quaesitum: « An sacerdotes dispensati a ieiunio eucharistico ante secundam missam, sumere possint ablutionem in prima ».

Responsum

Et S. Congregatio, feria IV, die 2 maii 1923, respondendum mandavit: *Affirmative*.

Approbatio Pontificia

Insequenti vero Feria V, die 3 dicti mensis et anni, SS. D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, resolutionem Em. Patrum approbavit.

Dies (16 nov. 1923).

Datum Romae, ex sedibus S. Officii, die 16 nov. 1922.

Aloisio Castellano, Supr. S. C. S. Officii Notarius.

Annotationes

I. Perspicua responsio uni tantum quaestioni locum dat: fuitne necessaria interrogatio, an responsio nimis manifesta erat?

Responsionem necessariam fuisse affirmat *Monitore*, 1923, p. 361; et merito quidem. Verum, ob quamnam rationem? Quia iterata tunc foret sumptio? minime. Quamvis enim deceat ut ex reverentia erga Sacrificium eucharisticum sacerdos non sumat nisi quod habeat opus, attamen, nisi facultas indulto restringatur, dispensatus a ieiunio, pluries permissum potum sumere non prohibetur.

Sed cum potus inebrians dispensatione excipiatur, ac calicis purificatio fiat in vino, ideo novum decretum necessarium fuit.

II. Opportuna tamen concessio demonstratur, cum dispensato a ieiunio restituat plenam observationem

rubricarum quae propter solam necessitatem servandi ieiunii relaxabantur.

III. Inde quaeret quispiam: nonne sacerdos qui ablutionem sumere potest eam sumere debet?

Dices quidem: nemo privilegio uti cogitur. Verum observatio rubricarum non fit ex privilegio, sed consequitur remotionem obstaculi propter quod, ex privilegiis binationis, pars rubricarum praeteriri poterat. Quare potius inclinamus ad affirmandam obligationem, ceterum levem, sumendi ablutionem, quae secus in alteram missam reservanda erat.

---

56. — S. Congregatio S. Officii

Decretum 12-13 dec. 1923 et Epistola 22 dec. 1923

DE « MANUEL BIBLIQUE »

(A. A. S, 31 dec. 1923, 15, 615)

I

DECRETUM QUO DAMNATUR OPUS CUI TITULUS

« MANUEL BIBLIQUE, etc. »

Feria IV, die 12 decembris 1923

Dies, 12 dec. 1923.

In Indicem cum omnibus versionibus inserendi mandantur Operis « Manuel Biblique » varii tomi variarum editionum an. 1907.

In generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, proscripserunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt, cum omnibus ipsius versionibus, opus, cui titulus:

VIGOUROUX, BACUEZ et BRASSAC, *Manuel biblique ou Cours d'Écriture Sainte à l'usage des Séminaires.*

Tome troisième: « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc. douzième édition totalement refondue, Paris, 1907. Tome quatrième: « Nouveau Testament, par A. Brassac, etc., douzième édition, Paris, 1909.

Tome troisième: « Nouveau Testament », etc., par A. Brassac, etc., treizième édition, etc., Paris, 1910. - Tome quatriè-

me : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., treizième édition, Paris, 1917.

« Ancien Testament », quatorzième édition revue par A. Brassac, etc., avec la collaboration de J. Ducher. Tome premier, Paris, 1917. - Tome deuxième, etc., Paris, 1920.

« Nouveau Testament », par A. Brassac, quatorzième édition entièrement revue. Tome troisième, Paris, 1913. - Tome quatrième, Paris, 1916.

Tome troisième : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., quinzième édition entièrement revue, Paris, 1920.

Approbatio Pontificis die 13.

Et in sequenti feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (15 dec. 1923) dati decreti.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 15 decembris 1923.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. Off. Notarius

II

EPISTOLA DE ISTO DECRETO AD R. D. MODERATOREM SUPREMUM SOCIETATIS PRESBYTERORUM A SANCTO SULPITIO.

Reverendissime Domine,

Petitio de opere recognoscendo et gratia facta.

Iam pluribus ab annis multi conquerebantur de opere quod inscribitur « Manuel biblique ou Cours d' Écriture Sainte à « l' usage des Séminaires » a D. Vigouroux et D. Bacuez, Societatis S. Sulpitil presbyteris, primum quidem exarato, sed postmodum a D. Brassac, eiusdem Societatis sodali, funditus retractato. Ipsa Sancta Sedes iam animum ad rem converterat, quum Reverentia Tua, anno 1920, a Summo Pontifice supplicibus precibus petiit, ut totum opus Romae examini subiiceretur eaque omnia, quae forte inibi corrigenda essent, describeberentur, ut in nova editione emendari possent. Cui petitioni, licet prorsus insolitae, Summus Pontifex Benedictus f. m. Pp. XV benigne annuit atque huic Supremae Congregationi volumina recognoscenda commisit.

Emendatio impossibilis propter oppositionem cum documentis magi-

Examine autem, pro rei momento, mature ac diligentissime peracto, manifestum apparuit opus laborare multis gravibusque vitiis, quae illud ita pervadunt et inficiunt, ut prorsus

sterii ecc, et traditione catholica

impossibilis foret ipsius emendatio. Missis enim quamplurimis aliis erroribus, D. Brassac circa inspirationem Sacrae Scripturae et eius inerrantiam, praesertim in rebus historicis, ubi inter substantiam narrationis et adiuncta distinguit, circa authenticitatem et veritatem historicam plurium librorum inspiratorum, ea habet quae decretis dogmaticis sacrorum Conciliorum Tridentini ac Vaticani ceterisque documentis magisterii ecclesiastici, ut ecce Litteris Encyclicis Leonis XIII ac Pii X, decretis S. Officii et Pontificiae Commissionis de re biblica, necnon toti traditioni catholicae evidenter adversantur.

de inerrantia S. Scripturae,

Quod speciatim ad inerrantiam absolutam Sacrae Scripturae attinet sufficiat in mentem revocare doctrinam Leonis XIII in Encyclica *Providentissimus*: « Nullatenus toleranda est eo-
« rum ratio, qui falso arbitrantur, de veritate sententiarum cum
« agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non
« magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri
« omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et cano-
« nonicos recepit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto
« dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspi-
« rationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non
« modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat
« et respuat, quam nececessarium est. Deum, summam Veri-
« tatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est anti-
« qua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in
« Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique
« atque expressius declarata in Concilio Vaticano. ... Quare
« nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines
« tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem pri-
« mario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi ela-
« bi potuerit. Nam supernaturali Ipse virtute ita eos ad scriben-
« dum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia
« eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et
« fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate expri-
« merent; secus, non Ipse esset auctor Sacrae Scripturae. ...
« Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum
« quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut ca-
« tholicam divinae inspirationis rationem pervertant aut Deum
« ipsum erroris faciant auctorem ».

Eandem doctrinam contra Modernistas defendit S. Officium damnando prop. XI in decreto *Lamentabili*: « Inspiratio divina
« non ita ad totam Scripturam extenditur, ut omnes et singulas
« eius partes ab omni errore praemuniat ».

Tandem, in decreto Pontificiae Commissionis Biblicae diei 18 iunii 1915 edicitur, ex dogmate catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum consequi quod « omne id « quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet « assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto ».

de sequenda methodo ;

Falsa etiam D. Brassac utitur methodo, quum, neglecta nimis expositione positiva integrae doctrinae catholicae, animo specietenus indifferenti proponit ex una parte argumenta, quae stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose effert rationes, quae arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum infficaciam atque debilitatem verbo indicet. Et ita parvi facit monitum Leonis XIII : « Perperam et cum religionis « damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae « sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, « cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emer- « gant. Contra, perspicuum est, in quaestionibus rei historicae « cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimo- « nia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et « conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas ple- « rumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quandam « confirmationem, possint advocari ». Aliud etiam vetat Summus Pontifex in eadem Encyclica, scilicet ne in quaestionibus quae ad eruditionem faciunt, « plus temporis tribuatur et operae, « quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex « rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat « quam adiumenti ».

de interpretationis genere ;

Non paucas habet Auctor interpretationes quae sensui Ecclesiae omnino refragantur. Lamentanda sana res, quum Concilium Tridentinum decreverit, « ut nemo, suae prudentiae « innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae « christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus « detorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta « Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpre- « tatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem « consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari « audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam « tempore in lucem edendae forent ». Quam praescriptionem Patres Concilii Vaticani his verbis declararunt : « Quoniam « vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione di- « vinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter « decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem « decretum renovantes hanc illius mentem esse declaramus, ut

« in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christia-
« nae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae haben-
« dus sit, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia cuius est
« iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sancta-
« rum ; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam
« contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram
« interpretari ».

propter ambiguitates et neglectas normas ;

Generatim autem Auctor, licet sententias *scholae largioris*, quas studiose proponit, non semper aperte amplectatur, ad eas tamen inclinat, et saepius adhibet locutiones ambiguas. et formulas captiosas, quae utroque modo, tum orthodoxo tum opinionibus eiusdem *largioris scholae* favente, intelligi possunt, immemor aureae illius regulae quam Pius X ab omnibus Sacram Scripturam praelegentibus stricte servari praecepit: « Doctor
« Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit nunquam a com-
« muni doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere;
« utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentio-
« rum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria
« novatorum commentaria negliget; idem eas dumtaxat quae-
« stiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam
« et defensionem Scripturarum conducat; denique rationem ma-
« gisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae
« Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur » (Litt. Apost. *Quoniam*, 27 martii 1906, § 13).

propter neglectas decisiones Pont. Commissionis Biblicae.

Nihil Auctor curat, ut parum dicamus, decisiones Pontificiae Commissionis Biblicae, de quibus Pius X edicit: « declaramus
« expresseque praecipimus universos omnes conscientiae ob-
« stringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica
« sive quae adhuc sunt emissae, quae posthac edentur, perinde
« ac Decretis Sacrarum Congregationum, pertinentibus ad do-
« ctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi ».

Variae aliae reprehensiones.

Quin D. Brassac haec praecepta sancte servet, potius vim argumentorum quae favent doctrinae communiter receptae enervat, dum e contrario fortiter difficultatibus ab adversariis allatis insistit; saepe documenta magisterii ecclesiastici negligit vel eorum sensum ad propria placita pervertit; indolem praeternaturalem vel miraculosam plurium factorum ab hagiographis narratorum vel silentio premit vel ad minimum reducit ; vaticiniis messianicis non raro omnem fere vim probandi adimit ; in multis a recto tramite doctrinae theologicae deflectit ; plus aequo tribuit auctoribus heterodoxis vel scriptoribus catholicis theoriis liberioribus imbutis, dum Leo XIII declarat, nimium dedecere « ut quis, egregiis operibus, quae nostri

« abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum « libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae « periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem « locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos « iamdudum optimeque collocarint », nec incorruptum Sacrarum Litterarum sensum ab eis tradi posse, qui, « verae fidei exper- « tes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt ». Tandem quasi nihil habet quod pietatem fovere possit, ac ita spiritum, quo antiquum D. Vigouroux opus praestabat, penitus immutavit.

Libri destinatio haec graviora efficit.

Quae omnia eo graviora sunt quod agitur de « Manuali » quod in manibus versatur tot alumnorum sanctuarii, quorum institutioni Ecclesia materna cum sollicitudine invigilare debet. Ipsa enim vehementer cupit ut ii, qui in spem altaris succrescunt, reverentiam ac amorem altissimum erga Sacram Scripturam concipiant, ita ut, sacerdotio aucti et vineam Domini ingressi, experimento noscant quam sit « utilis omnis Scriptu- « ra divinitus inspirata ad docendum, ad arguendum, ad cor- « ripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo « Dei, ad omne opus bonum instructus » (II *ad Tim.*, III, 16, 17).

Prohibitio imprimendi cetera volumina 15 editionis.

Quare E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales latum die 12 huius mensis praefati operis damnationis decretum edere sui muneris esse duxerunt, ac simul cetera nondum evulgata decimaequintae editionis volumina operis « Manuel biblique » imprimi omnino prohibuerunt.

Mandatum SS.

Haec autem omnia SS.mus Dominus Noster Pius PP. XI, suprema Sua auctoritate probata ac confirmata, tecum communicanda mandavit.

Et fausta cuncta atque felicia tibi adprecor.

Dies (22 dec. 1923).

Roma 22 decembris 1923.

R. Card. MERRY DEL VAL.

57. — S. C. Concilii

Resolutio 23 ian. 1923

DE AESTIMATIONE TITULORUM PUBLICORUM QUIBUS CANONES REDIMANTUR.

(A. A. S. 1 oct. 1923, 15, 5 3)

Canonica lex quae dubio occasionem dedit. Extensio quaestionis.

Romana et aliarum. Redemptionis canonum. — Die 23 ianuarii, 1923.

Quaestio. — Circa redemptionem seu affrancationem canonum emphyteuticorum in favorem Ecclesiae, Codex iuris ca-

nonici, can. 1542, § 1, haec statuit: « In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici, de quo in can. 1532; quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim Ecclesiae dare debet quae canoni respondeat ». Haec dispositio, ob rationis identitatem, applicanda videtur etiam redemptioni censuum aliarumque praestationum favore Ecclesiae nec non legatorum liberationi.

Quid lex civilis permittat.

Verum quaestio exorta est, utrum nempe emphyteuta seu debitor in huiusmodi redemptione peragenda tradere teneatur pecuniam numeratam vel saltem titulos publicos iuxta eorum valorem realem seu currentem, an tradere possit titulos publicos iuxta valorem nominalem seu legalem, dummodo ipsorum annuus reditus respondeat summae canonis. Dubio occasionem dat imminutus valor titulorum publicorum, qui dum inscribuntur 100 libellarum, saepe emi possunt 70 et etiam minus. Lex enim civilis alicubi permittit ut debita pecuniaria solvantur moneta quae, cum dies advenit, legalem habet cursum, et plane secundum valorem nominalem. In pecunia quidem non corpora quis cogitat, sed quantitatem.

Dubium.

Hinc propositum est dubium: *An episcopus vi canonis 1532, § 1 permittere possit redemptionem canonum titutis publicis iuxta horum valorem nominalem.*

Solutionis motiva.

Animadversio. — In contractibus et in solutionibus, etiam in materia ecclesiastica, iuxta canonem 1529 Codicis iuris canonici, stari quidem potest iuri civili. Sed Episcopus nullatenus cogitur permittere talem redemptionem canonum. Canon enim 1542, verbo *saltem*, sinit ut plus quaeratur quam vis pecuniae quae canoni respondeat. Episcopus praeterea, quasi tutor personae minoris, cui, vi canonis 100, § 2, aequiperatur Ecclesia, huius utilitati prospicere debet. At vero solutio secundum valorem nominalem, iuxta ea quae praemissa sunt, est certe cum Ecclesiae detrimento coniuncta.

Notandum denique quod, iuxta praxim huius S. Congregationis, emphyteutae redimenti canonem, prius imponi solebat onus solvendi aliquam summam in compensationem deterioris reditus qui canoni subrogatur: in praesens vera, attenta imminutione valoris titulorum publicorum, imponi iam solet onus tradendi, ex toto vel saltem ex parte, differentiam inter valorem nominalem et realem eorundem titutorum.

Quare, etc.

Resolutio. Dies (23 Ian. 1923).

Resolutio. — Emi Patres S. Congregationis Concilii, in plenario conventu diei 23 ianuarii 1923, ad propositum dubium

respondendum censuerunt: *Negative, si valor nominalis sit superior valori reali.*

Quam resolutionem, referente postridie infrascripto S. C. secretario, SS. D. N. Pius Pp. XI approbare et confirmare dignatus est. *Approb. pontificia.*

B. Colombo, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Notiones variae. I. *Emphyteusis* tum *ius* designat tum *contractum* quo ius constituitur. Ius proprie est reale; hodie tamen quaedam leges civiles, v. g. Galliae, ius istud ignorant, ita ut solum diuturniorem locationem fundi vel rei immobilis nomine locationis emphyteuticae decorent. Ut contractus, dicit concessionem plenae fruitionis in re immobili aliena, quam alter (emphyteuta) meliorem reddere debet, et pro qua frutione aliquid (nummos vel alteram speciem) reddere quotannis tenetur. Annua ista praestatio dicitur *canon*.

Canon 1542 reale ius emphyteusis supponit. Canonem redimendo, emphyteuta plenum dominium idque liberum onere sibi comparat. Redemptione ista solvit domino fundi rem seu capitale aliquod mobile, quod per se minorem securitatem praebet.

2. Lege civili italica, emphyteusis est ius reale; et potest esse perpetua, sed est essentialiter redimibilis; nec, si canon erat numeratae pecuniae, pretium redemptionis superare potest capitale cuius legale fenus canonem adaequet. Si canon sit, v. g. 1000 libellarum, cum ex mutato art. 1831 Cod. civ. fenus legale sit 5 p. c. pretium non poterit ultra 20000 libellarum exigi. Excipe si emphyteusis sit tantum ad triginta annos vel minus concessa; tunc pretium potest esse maius quarta parte pretii modo indicati.

3. Lege ista explicatur c. 1542, qui de ecclesiasticis bonis non permittit redemptionem sine licentia

legitimi Superioris ecclesiastici, et, ut minimum pretium statuit quod Codex italicus maximum esse voluit.

4. Iura civilia hodierna, ita ius italicum, debitorem pecuniae obligare solent ut pecunia quae, tempore solutionis cursum legalem habet, valorem solvat nominalem debitae summae, sive valor monetae creverit, sive decreverit. Pecunia ista per se non est nisi metallica, sive simul argentea et aurea, sive solum aurea, secundum varia systemata monetaria. Verum, post bellum, in pluribus regionibus schedae bancariae publicae, pro moneta acceptari debent, ita ut veram habeamus monetam cartaceam (*papier-nonnaie*). Ac pro publica fiducia qua Status honoratur, valor vulgaris a valore inscripto satis variare potest.

5. Tituli publici sunt proprie sed generice omnia nomina crediti publici, seu quorum Status est debitor vel saltem sponsor seu fide iussor. Duplex est eorum species: alia repraesentant pecuniam ad certum tempus (ad plures annos) creditam, solentque fructum civilem census seu fenoris dare; alia, quorum solutio immediata per se promittitur (*pagabile a vista, al portatore*) nullum dant fenus: schedae bancariae vel Status (*biglietti di banca; biglietti di Stato*). Interdum latiore usu, omnes tituli variarum societatum, qui in bursis emuntur et venduntur, nomine titulorum publicorum vocantur.

Fenus quod tituli publici ferunt semper ad nominalem tituli valorem exigitur, etsi pro minore pretio ipse titulus emi queat. Sic qui titulum 100 libellarum pro 70 emerit (si creditum sit cum fenere 4 p. c.) re vera 4 p. 70 obtinebit.

II. 1. In quaestionis expositione duplex titulorum genus aliquatenus miscetur. Etenim, proprie dicta moneta papyracea constat solis schedis bancariis seu Status, quae, attenta inscriptione, statim in monetam metallicam converti possunt; dum hic ad titulos fru-

giferos qui per se non debent in solutum accipi, applicatur regula de solutione quae fiat ope pecuniae cursum legalem habentis. Verum lex italica anni 1916, entia moralia coegit, in redemptione canonum vel huiusmodi praestationum, frugiferos titulos regni Italiae secundum eorum valorem nominalem accipere, ita ut debitor centum libellas solvisse censeretur tradendo huiusmodi titulum cui 100 lib. inscribuntur, etiamsi iste titulus septuaginta libellis monetae cartaceae emi posset.

2. Responsio autem S. Congregationis simul praxi S. Congregationis et manifesta ratione innititur. Non semel iam antea (cf. v. g. *Epitome*, I, 510) declaravimus nos eius esse sententiae ut in variis aestimationis rerum ecclesiasticarum minus ad valorem nominalem etiam proprie dictae monetae cartaceae quam ad verum, seu aureum respiciatur. Quanto magis autem is nominalis valor ficticius et insuffiens est, quem ne quidem moneta papyracea pro titulo obtinere possis.

3. Cum clara sit solutio, una superest quaestio satis gravis. I. e. quid de redemptionibus canonum quae antea bona fide a legitima potestate admissae sunt sine respectu ad realem valorem tituli? Manentne firmae, an emphyteutae obligandi sunt ut certam vim pecuniae suppleant? Pro severa solutione facit natura declarativa responsi, praeter rationes aequitatis quibus fundatur. Contractus tamen antea aliter facti non sola bona fide sed etiam rationibus probabilibus nitebantur quae in ipsa animadversione sunt memoratae, i. e. in contractibus et solutionibus, etiam cum materia est ecclesiastica, lege civili stari posse. Contractus huiusmodi aliquod ius quaesitum procurat. Praeterea, in ipsa responsione revocatio actuum praeteritorum ne quidem insinuatur. Nec solet Ecclesia propter bona temporalia animas, cum periculo pecca-

torum et salutis turbare (1). Addas, emphyteutam qui bona fide solvit quod conventum erat non posse simpliciter obligari ad supplendum maius pretium; sed omnis res denuo examinanda et tractanda foret, quod difficultatibus scatere satis facile liquet. Quare inquietare nolimus qui ante praesentem declarationem aliis condicionibus cum legitima potestate convenerint et pactum exsecutione compleverint. Ut tamen negotium componant cum S. Sede, quae non alias nisi valde aequas condiciones exiget, suadendum censemus, praesertim cum recens, 15 iul. 1923, iniquitas dispositionis qua entia moralia cogebantur titulos publicos (rendite dello Stato) supra verum valorem in solutum recipere correcta sit. (Decr. cf. MONITORE, 1923, p. 309 ss.).

4. Initio quaestionis, praesens dispositio applicanda dicitur redemptioni censuum aliarumque praestationum favore Ecclesiae, necnon legatorum liberationi. Caveas ne his ultimis verbis intellegas exsecutionem legati pii recente testamento imperatam: tunc enim voluntas testatoris prudenter exploranda est, et facile ad legem civilem respexisse praesumetur; sed agitur de exonerandis fundis qui onere praestandi legati annui vel cappellania gravantur. Cf. *Theol. mor.* III, 292. Recurrit tunc ratio cuiuspiam redemptionis.

---

58. — S. C. De Religiosis

Declaratio 27 oct. 1923

CIRCA DISPENSATIONES SUPER CURRICULO STUDIORUM

(A. A. S. 6 nov. 1923, 15, 549)

Usus S. Cong.

S. Congregatio de Religiosis, in concedendis dispensationibus super curriculo studiorum, ad praescriptum can. 975, § 2

---

(1) Cfr. praeclaras litteras S. Paenit. 16 ian. 1909. *De compositionibus circa bona ecc.* (*Per.* 4, pag. 339).

ad sacros Ordines suscipiendos praemittendo, de mandato SS. Domini Nostri Pii. div. Prov. PP. XI sequentes condiciones rescriptis apponere consuevit: « Sacrae Theologiae operam sedulo dare pergant, saltem usque dum praescriptum quadriennium rite compleatur, vetito interim quocumque animarum ministerio, idest, ne destinentur contionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus Religionis muniis; super quibus Superiorum conscientia graviter onerata remaneat; servatis ceteris, etc. »

Propositio Sanctissimo facta eiusque responsio

Cum vero tales facultates seu dispensationes ab aliquo Ordine aut Congregatione religiosa, sive generales pro omnibus suis alumnis sive particulares pro aliquibus, in praeteritum impetratae iam fuerint, Sanctitas Sua, in audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa die 23 octobris 1923, declaravit et statuit: omnes et singulas facultates seu dispensationes hac super re post Codicis promulgationem quomodocumque obtentas, etiam immediate a Summo Pontifice vel vivae vocis oraculo vel per rescriptum Eiusdem manu signatum, condicionibus supra enuntiatis subesse, easque subintelligendas esse nisi expresse eis derogatum fuerit. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (27 oct. 1923).

Datum Romae, ex Secretiaria S. C. de Religiosis, die 27 oct. 1923.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B. Secretarius.

ANNOTATIONES

I. Extraordinaria adiuncta in quibus ab immani bello versamur, S. Sedem coegerunt ut non paucis dispensationibus et indultis rigorem iuris de quibusdam ordinationum condicionibus, praecipue de praerequisitis studiis apte temperaret. Verum statim cavendum fuit ne anticipatae ordinationes lugendum sacris studiis detrimentum inferrent. Quod, pro religiosis, S. C. de Religiosis clausulis indulti efficere conata est. Cum autem immediato ad S. Pontificem recursu dispensationes tum generales tum particulares iam impetratae fuerint, quaestio de applicatione clausularum ad Pontificia oracula vel scripta Sanctis-

simo Patri proposita est, qui ultro applicationem istam imperavit. Hinc praesens declaratio, cuius propria vis iam expendenda est.

II. *Quid ipsae clausulae significent.*

1. Positive volunt ut qui ante praescriptum studiorum curriculum ordinati fuerint, S. Theologiae operam sedulo dare pergant, saltem usque ad completum requisitum quadriennium. Igitur *quacumque ratione* sedula ista opera Theologiae impendenda impediatur, violatur dispensationis condicio. Quia autem, ex cc. 587, 976, § 3, curriculum studiorum in scholis ad id bene institutis emetiendum est, studia ista in ipsa studiorum domo perficienda sunt.

2. Vetatur quodcumque animarum ministerium. Nomine ministerii animarum veniunt: contio, administratio paenitentiae, exteriora religionis munia, qualia officia praefecti vel magistri alumnorum.

Vetitum tamen verbis « *ne destinentur* », quae frequentiam actuum seu habitum supponunt, aliqua ratione mitigatur, quatenus accidentalis contio, sessio in confessionali, tolerari potest, ita tamen ut praescriptum positivum operae sedulo dandae studiis sacris non neglegatur.

3. Superiorum conscientia graviter, de ista re, onerata manet. Per haec verba, obligatio genere gravis Superioribus imponitur.

III. *In quasnam dispensationes clausulae istae cadunt?*

Vi alterius § decreti, clausulae istae afficiunt, ex expressa Pontificis voluntate, omnes et singulas facultates seu dispensationes, sive generales sive particulares post promulgatum Codicem etiam a S. Pontifice immediate voce vel scripto concessas, nisi expresse iis derogatum sit.

Quid de futuris dispensationibus? Mens Pontificis satis clara esse videtur ut etiam hae comprehendan-

tur. Quae mens verbis « subintelligendas esse » insinuari videtur. Fatemur tamen desiderari post verba « in praeteritum impetratae » haec alia: « et in futurum impetrandae », ut perspicua sit applicatio ad actus futuros. Ceterum, ni fallimur, cautio in futuris concessionibus exprimetur.

Atque, ut observat R. P. CREUSEN, S. I. in *Nouvelle Revue Theologique*, p. 57, iam per se est manifestum dispensatione a praemittendis studiis nullam dispensationem a faciendis studiis contineri, praesertim cum dispensationes sint strictae interpretationis. Quare, iam per se dispensatio ad anticipandam ordinationem, obligationem studiorum intactam esse sinit.

IV. *A quonam temporis momento declaratio ista vigere incipit?* Quatenus obligationem confirmat studiorum serio peragendorum, nulli vacationi obnoxia esse potest, cum nihil novum constituat.

V. *Quid iuris de iis qui* post anticipatam ordinationem *studia deseruerunt?* Ipsi, in rigore iuris, canoni 589, § 1 non satisfecerunt. Canone isto, sine ullo respectu ordinis recipiendi vel recepti, quattuor anni theologiae imperantur. Quare obligatio perficiendi studia interrupta ipsos manet, nisi malint rem fortasse mitius cum S. Sede componere. Si tamen nimio annorum numero a studiis derelictis distent, fortasse, ex benigna S. Sedis mente, obligatio ista non erit urgenda.

---

59. — S. Rituum Congregationis

Responsa 26 oct. 1923

DE ORDINANDIS MISSIS PLURIBUS, V. G. IN PRIMA FERIA VI

(A. A. S. 6 nov. 1923, 15, p. 560)

DUBIA *Dubia*

A S. Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione expostulatum fuit:

De missis in Purificatione et Litaniis

I. Exceptio, quae habetur in tit. II. n. 11, novarum rubricarum Missalis Romani, nempe « exceptis missis num. 7-9 comprehensis », valetne quoad missas quae inferius, tit. IV, num. 1-5, recensentur, ita ut huiusmodi quoque missae permittantur, in ecclesiis unam tantum missam habentibus, die secunda februarii, etiamsi fiat benedictio candelarum, et in Litaniis maioribus et in minoribus; etiamsi fiat Processio?

De missa in Feria VI

II. Si prima Feria VI mensis ianuarii incidat in diem secundam vel tertiam vel quartam eiusdem mensis, et alicubi occurrat officium de die infra Octavam Circumcisionis Domini, pro missa votiva de sacratissimo Corde Iesu, concessa per decretum S. R. C. n. 3712, *Urbis et Orbis*, diei 28 iunii 1889, estne dicenda missa *Puer natus est nobis* de die 30 decembris, iuxta decretum S. R. C. diei 27 iunii 1923, vel potius, in casu, dicenda est missa de die infra Octavam Circumcisionis, ad instar votivae sollemnis, absque commemoratione de Sacratissimo Corde Iesu, iuxta decretum eiusdem S. R. C. *Hildesien.* 16 iunii 1922, ad XII et XIII?

De Credo infra octavam

III. An *Credo* dicendum sit in missa de festo duplici I vel II classis cui symbolum per se non convenit, si extra Dominicam celebratur infra Octavam communem alicuius festi Symbolum habentis, de qua non fit commemoratio?

Responsa

Et S. Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis respondendum censuit:

Ad I.

Ad I. *Negative.*

Ad II.

Ad II. *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad secundam.

Ad III.

Ad III. *Affirmative*, ad normam specialis rubricae Missalis Romani in festo S. Ioachim Conf. die 16 augusti, excepta tamen missa cantata vel conventuali de festo, si alia missa cantata vel conventualis de Octava celebretur, iuxta novas rubricas missalis, tit. V. n. 4, atque decretum S. R. C. n. 4192, *Ordinis Fratrum Minorum*, 10 nov. 1906 ad II, 2.

Dies (26 oct. 1923).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 octobris 1923.

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefect.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad I. In tit. II (Additiones et Variationes in rubricis missalis) n. 11, in ecclesiis unam tantum missam habentibus, prohibentur 2 februarii, si fiat benedictio

candelarum, et in Litaniis maioribus et minoribus, si fiat Processio, missae quas ritus diei currentis alioquin permitteret. Excipiuntur tamen, ex n. 7-9, missae de dedicatione ecclesiae in ipsa dedicationis die ; missa de dedicatione altaris, in ipsa consecrationis altaris die ; in benedictione primarii lapidis et in benedictione sollemni alicuius ecclesiae, missa de mysterio vel de sancto in cuius honorem ecclesia fundatur vel sollemniter benedicitur.

Quaeritur utrum necne exceptio ista afficiat etiam missas quae tit. IV, n. 1-5 recensentur, i. e. in festo vel sollemnitate externa translata Patroni principalis, aut Tituli vel dedicationis propriae ecclesiae, aut etiam tituli vel S. Fundatoris Ordinis seu Congregationis, missa de eo ; missa de festo quod cum magno concursu populi celebratur ; de festo duplici maiori vel minori aut etiam semi-duplici quod perpetuo vel accidentaliter impediatur ; de officio ad Laudes commemorato, de mysterio, sancto vel Beato cuius illa die mentio fiat in martyrologio.

Ratio dubitandi desumpta videtur ex modo enuntiationis n. 11. Verba enim « sicut et missae » ad immediate anteriora « iis exceptis » sicut ad remotiora « missae omnes superius recensitae prohibentur » referri possunt.

Responsum tamen negativum, tum obvio sententiae usu, tum manifestissima ratione demonstratur, cum inter missas recensitas n. 1-5 sint missae quae omni festo duplicis classis prohibentur.

Ad II. Die 27 iun. 1923 responsum erat prima Feria VI mensis incidente in 2, 3, vel 4 ianuarii, substituendam esse missae votivae de SS. Corde missam « Puer natus est nobis », 30 dec. et allegabantur novae rubricae missalis sub die 25 dec. (in fine tertiae Missae) decreta *Dubium*, 8 iul. 1921, et Hildesien, 16 iun. 1922, ad XII et XIII. Verum decr. Hilde-

sien. celebrandam dicebat missam de octava quotiescumque Feria VI incideret in die qua de Festo Christi occurrat dies infra octavam quamvis simplicem (*Per.*, XI, 114). Quocirca in ecclesiis ubi die 2, 3, 4, ian. occurrit officium de die infra octavam circumcisionis, responsio 27 iun. huius anni contradicebat responsis quae allegabat. Praesenti responsione concordia restituta est. Missa de 30 dec. dicenda tantum erit ubi die 2, 3, 4, non fiat laudata octava.

Ad III. Ex norma pro S. Ioachim infertur regula generalis in missa de festo cui symbolum non convenit, si occurrat infra octavam commemoratio festi symbolum habentis, etiam si de ea nulla fiat commemoratio (v. g. propter festi sollemnitatem), symbolum esse recitandum.

Ex allegatis rubricis missalis, t. V. n. 4, alia missa cantata vel conventualis de octava de se excludit ex missa de festo commemorationem octavae et alias partes proprias missae istius, qualis Credo. Ut dicitur in S. R. C. 10 nov. 1906 ad II, 2 (n. 4192) tunc, si alia missa cantata vel Conventualis fiat de octava, in missa de festo nulla ratio de octava habenda est.

---

60. — S. Poenitentiae Apost. (Sectio de Indulg.)

Rescriptum 21 feb. 1923 (1)

COTIDIANAM INDULGENTIAM PLENARIAM CONCEDENS

Prière.

Orationis formula.

O Christ Jésus, je vous reconnais pour roi universel. Tout ce qui a été fait, a été créé pour vous. Exercer. sur moi tous vos droits.

Je renouvelle mes promesses du baptême en renonçant à Satan, à ses pompes et à ses oevres; et je promet de vivre en bon chrétien. Et tout particulièrement je m'engage à faire

(1) Ex tabulariis S. Poenitentiariae.

triompher selon mes moyens les droits de Dien et de votre Église.

Divin Coeur de Jésus, je vous offre mes pauvres actions pour obtenir que tous les coeurs reconnaissent votre Royanté Sacrée et que, ainsi, le règne de votre paix s'établisse dans l'univers entier. Ainsi soit-il.

Die 21 februarii 1923

Dies 21 feb. 1923. Indulgentia.

S. Poenitentiaria Ap. Omnibus Christifidelibus praefatam orationem devote recitantibus benigne concessit indulgentiam plenariam, semel in die, suetis sub condicionibus, lucrandam. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Ceteris quibuscumque non obstantibus.

S. Fagiolo *S. P. Secretarius*
I. Ravelli S. P. Off.

Annotationes

I. *Origo indulgentiae.* Iam anno 1904, Pius X plene conatus probaverat qui fiebant ut regalia Christi iura agnoscerentur. Quare, 6 aug. 1906, tercentum dierum indulgentiam formulae orationis fere identicae ei quae modo supra est typis scripta (1) concesserat. Die autem 11 aug. 1906, archiepiscopum Turonensem « ob praeclara opera instituta » (in hunc finem vindicandi regalia Christi iura) enixe laudavit, et ipsi cunctisque adiutoribus Apostolicam Benedictionem peramanter impertivit. Anno autem proxime elapso, 16 ian. Fr. Chrysostomus Urrutibékéty, O. F. M. Provinciae S. Petri in Gallia, indulgentiam plenariam cotidianam pro supra scripta formula petiit et impetravit.

II. *Indulgentiae explicatio.* Plenaria indulgentia conceditur, quae *semel in die* lucranda prostat. Suetae autem condiciones exiguntur. Igitur requiritur confessio, communio, oratio ad intentionem S. Pontificis. Sed dum actuali confessione facienda eximuntur qui

(1) Sed cum exemplar concessae indulgentiae non fuerit ad Scetionem de indulgentiis allata, gratia ista inefficax fuit. Cf. etiamnum c. 920.

bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere, vel saltem quinquies in hebdomada communicare consueverunt, singulae communiones non possunt nisi plenariis indulgentiis *unius* diei sufficere. Errore itaque vitiatum erat foliolum quo oratio ista commendabatur quasi haec indulgentia plenaria condicionem communionis non exigeret. Immo, 16 sept. 1923, precibus oblatis ut menstrua communio sufficere posset S. Paenitentiaria respondit *Non expedire.*

III. *Indulgentiae vis.* Magno beneficio ista concessione ditamur. Etenim omnibus fidelibus occasionem offert lucrandi, diebus quibus s. dape reficientur, binas indulgentias plenarias : alteram, propter recitatam, coram imagine Christi crucifixi, orationem « O bone et dulcissime Iesu »; alteram propter praesentem orationem. Utraque autem indulgentia preces ad mentem S. Pontificis fusas requirit. *Bis* igitur erit ad istam mentem orandum. Verum non est necesse ut condiciones indulgentiae simul tempore impleantur. Ergo fas erit alterutram orationem ad mentem S. Pontificis vel etiam utramque in aliud tempus v. g. visitationis Sanctissimi differre.

ACTA SUMMATIM RELATA

61. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

A. *Consistorium secretum 20 dec. 1923.*

Allocutio consistorialis.

Post deploratam necem Cardinalis Archiepiscopi Caesaraugustani, S. Pontifex dolet quod res populorum vel externae vel domesticae non sint multo meliores effectae. Quamvis enim quaedam obtinuerit, ac praecipue liberalitati bonorum qua quam plurimos inedia defectos morti eripere potuit gratias iterandas duxerit, sollicitus est de viris, maxime de archiepiscopo I. B. Cieplack, qui fidei causa indigna toleranda habet. Solacio tamen fuere eucharistici conventus Parisiensis, Genuensis, quae momentum actionis catholicae demonstrarunt, tributi S. Thomae honores, sollemnis commemoratio S. Iosaphat; novae sedes episcopales ex vicariatibus Apost. Syro Malabaricis constitutae; documenta fidei et obsequii data a rege cath. Hispan.; felix rerum Hiberniae incoepta compositio.

Acta in consistorio

Creavit subinde duos Cardinales, Evaristum Lucidi et Aurelium Gal'o, ex ordine Diaconorum. Tum successit provisio Ecclesiarum (A. A. S. 31 dec. 1923, XV, 605).

B. *Litterae de dioecesibus, provincia ecclesiastica erigendis.*

Barra do Pirahy, Campos, 4 dec. 1922.

Bulla 4 dec. 1922, territoriis distractis a dioecesi *Nictheroyensi* (Brasilia) constituuntur novae dioeceses *Borrensis de Pirahy* et *Camposina* (A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 485).

Merida, 11 iun 1923.

Die 11 iunii 1923, erigitur nova provincia ecclesiastica *Emeritensis*, ex tribus dioecesibus *Emeritensi*, *Zuliensi* et *Sancti Christophori* (Venezuela. - A. A. S., 6 nov. 1923, XV, 533). Die 27 iunii 1923, archiepiscopo Emeritensi conceditur extra Consistorium ius personale pallii (Ibid., 535).

C. *Litterae de Praefecturis Apostolicis erigendis.*

Islandia, 12 iun. 1923.

Litteris 12 iun. 1923, *Islandia* insula, ab apostolico Vicariatu Daniae segregata, in apostolicam Praefecturam erigitur (A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 489).

Nilus aequa-

Litteris item 12 iun. 1933, territorium distractum a Vica-

torialis, 12 iun. 1923.

riatu apostolico Bahr el Ghazal, erigitur in Praefecturam *Nili Aequatorialis* (Africa centralis. A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 490).

Buea, 12 iun. 1923.

Eadem die 12 iun. 1923, ea territoria missionum de Kameron et de Adamana quae in praesens in ditione anglica exsistunt, in novam Praefecturam de *Buea* eriguntur (Africa occid. A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 491).

Lydenburg 12 iun. 1923.

Item 12 iun. 1923, territorium dismembratum a Vicariatu apostolico Transvaalensi, erigitur in Praefecturam de *Lydenburg* (Africa merid. A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 492).

Gariep. 12 iun. 1923.

Item 12 iun. 1923, a Vicariatibus apostolicis Promontorii Bonae Spei districtus orientalis et de Kimberley, seiungitur nova Praefectura *Gariepensis* (Africa merid. A. A. S.. 1 oct. 1923, XV, 493).

D. *Litterae de ecclesiis.*

Basilicae minores; B. M. V. Kevelaer.

Titulus *Basilicae minoris* confertur ecclesiis:

23 apr. 1923, B. M. V. Consolatricis afflictorum oppidi *Kevelaer* (Germania. A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 448);

B. M. V. Belem,

19 iun. 1923, B. M. V. de Nazareth, urbis *Belemensis de Para* (Brasilia. A. A. S., 1 oct. 1923, XV, 494);

SS. Cord. Varsaviae.

23 aug. 1923, SS. Cordis in Pragensi suburbio civitatis *Varsaviensis* (Polonia. A. A. S. 1 dec 1923, XV, 583).

62. — *S. Congr. Consistorialis*

De Sedibus episcopalibus.

Riga,

Decreto 52 oct. 1923, Sedes episcopalis Rigensis, anno 1918 restituta, in archiepiscopalem evehitur (A. A. S., 1 dec. 1923, XV, 585).

Alton.

Decreto 26 oct. 1923, Sedes Altonensis (Stat. foed. Amer. Sept.) in urbem *Springfield* transfertur (A. A. S., 1 dec. 1923, XV, 587).

63 — *S. Congr. Concilii.*

Utinen. Collationis mansionariatuum, 10 feb. 1923.

1. Die 10 feb. 1923, responsum est in quadam *Utinensi, Collationis mansionariatuum.* Canon 403 Statuit: « Exceptis dignitatibus, ad episcopum pertinet, audito Capitulo, conferre omnia et singula beneficia... in ecclesiis... cathedralibus..., reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, sed firma contraria fundationis lege... » Iamvero, Capitulum Utinense hucusque pacifice exercuerat ius nominandi ad beneficia seu mansionariatus, sex numero, qui

inibi exsistunt. Contendit Capitulum ius istud sibi competere ex lege fundationis, ac proinde post Codicem sartum tectum manere ; archiepiscopus opponit, documenta a Capitulo exhibita probare tantum concessum olim privilegium, quod canone supra allegato revocetur.

In erudito consultoris voto, quod ex integro apud A. A. S. refertur, prius stabilitur vocem *conferre* in canone 403 audiendam esse de collatione libera : hic enim erat sensus vocis in iure antiquo ; hoc suadet contextus Codicis qui ubi collationem necessariam intendit, numquam utitur voce *conferre* sine addito (v. cc. 148, 149, 332, 1447, 1466) ; idem probat finis legis, qui est Ecclesiae plenam tribuere libertatem in conferendis beneficiis Capitulorum.

Quid est autem *lex fundationis* quam a sua revocatione excipit canon 403 ? Non est idem *fundare* beneficium atque illud *erigere* seu constituere. Fundatio est ipsa *dotatio* beneficii, sc. donatio seu concessio bonorum, facta a persona physica vel morali, ut ex iis tamquam ex dote beneficium constituatur. Erectio vero est actus competentis auctoritatis, quo beneficium ex dote praefinita, canonice, i. e. qua ens iuridicum, constituitur. *Fundatio* igitur sine bonorum donatione seu dotis constitutione haberi nequit. Tunc tantum a canone 403 servatur Capitulo ius nominandi ad beneficia, si fundator, qui sc. bona donaverit ad dotem constituendam, hoc illi, acceptante Superiore competenti, concesserit.

Iamvero in casu, ex documentis exhibitis, patet Capitulum non constituisse dotem beneficii *de suis bonis*, utputa e massa capitulari, sed tantum consensisse in transformationem praebendarum canonicalium ad erigendos mansionariatus. Deest igitur proprii nominis *fundatio*, nec de iure nominandi ex lege fundationis sermo esse potest. Ius illud ortum est ex privilegiis, ac proin canone 403 sublatum.

A. S. C. C. responsum est Capitulo cathedrali Utinensi post Codicem non amplius competere ius eligendi seu nominandi mansionarios (A. A. S., 6 nov. 1923, XV, 544).

Conchen. onerum canonicalium, 10 martii 1923.

2. Die 10 martii 1923, datum est responsum in *Conchensi : onerum canonicalium*. Canonici de officio ecclesiae cathedralis Conchensis (Hispania), nempe Doctoralis, Poenitentiarius, Magistralis et Theologus, anno 1921 Commissioni ad Codicem interpretandum exposuerunt sequentia dubia, quae a Commissione ad S. C. Concilii remissa sunt. Praeter onera sc. a iure suis praebendis imposita, vi Concordati, in ipsa convocatione

ad concursum, alia quaedam addita sunt eaque gratis exercenda, v. g. legendi in Seminario, contionandi.

Quaerebant igitur canonici:

1) Utrum post Codicem sustineri possint onera in schedula convocatoria ad concursum ipsis imposita? Rationes dubitandi erant cc. 1440, 421, 1328. Ex canone 1440, beneficia ecclesiastica sine deminutione conferenda sunt, ac proinde (sic canonici) sine superadditis oneribus. Reponit consultor praescriptum canonis allegati ex integro e veteri iure esse desumptum, ideoque superaddita onera quae sub veteri iure sustinebantur, etiam nunc sustineri; praeterea Codex intacta voluit Concordata: sed dicta onera vi Concordati anni 1851 praebendis imponuntur (1). Canon item 1328 minime suffragatur canonicis Hi quidem contendebant, ut videtur, munus contionandi officio sibi collato, ex sacris canonibus non inhaerere; sed omittebant, tale munus posse quoque alicui incumbere vi peculiaris facultatis vel missionis a Superiore factae, prout in casu accidit ipsa collatione beneficii. Hinc ad primum quaesitum S. C. C. respondit *affirmative*, i. e. etiam post Codicem sustineri onera de quibus agitur.

2) Utrum haec onera debeant a praedictis canonicis impleri, non solum absque ulla retributione, sed etiam non modicis ex proprio peculio sumptibus? Respondet S. C. C. *affirmative*. Etenim, eo ipso quod ad concursum, talibus conditionibus indictum, se praesentarunt, onera praebendis annexa qualia erant, ferenda acceptaverunt.

3) Utrum canonicus Theologus et Paenitentiarius ex canonis 416 praescripto eximantur a ministerio diaconi et subdiaconi in altaris servitio etiam in Missis Pontificalibus? Respondet S. C. C. servandam esse resolutionem datam in Boianen., 14 feb. 1920. Secundum illam (cf. A. A. S., XII, 117 - *Period.*, X, 191) canonicus theologus et paenitentiarius eximuntur quidem servitio altaris in turno ordinario, minime vero in Missis Pontificalibus. Haec disciplina igitur ex praesenti resolutione etiam ceteris canonicis de officio capituli Conchensis servanda erit (A. A. S., 1 dec. 1923, XV, 588).

---

(1) Ea pars ratiocinii quae est de c. 421 a canonicis in sui favorem allegato, adeo breviter in « facti specie » refertur, ut ingenue fateamur nos non intellegere quomodo ad causam faciat.

64. — *S. Cong. de Propaganda Fide.*

Erigitur collegium pro missionibus.

Decreto 10 iul. 1923 erigitur Augustae Taurinorum (Italia) Collegium internationale dictum a Consolata pro missionibus exteris (A. A. S., 1 dec. 1923 XV, 591).

Collegium Taurinense pr missionibus, 1 iul. 1923.

65. — *S. Cong. Rituum*

Causa beatificationis et canonizationis.

Die XIX Kal. dec. (1) 1922 publici iuris factum est decretum de heroicis virtutibus Ven. Servae Dei sororis *Mariae Bernardae Soubirous*, e Congregatione sororum Caritatis et Institutionis christianae " de Nevers „ (A. A. S., 1 dec. 1923, XV, 592).

Bernardette Soubirous, 18 nov. 1923.

66. — *S. C. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis*

Decreto 30 oct. 1924, extensa est ad dioecesim Macaonensem auctoritas Delegati Apostolici in Sinis, firma competentia Nuntii Ulyssiponensis pro negotiis cum gubernio lusitano tractandis (A. A. S., 6 nov. 1923, XV 561).

Dioec. Macaone Delegationi Sinarum annectitur, 30 oct. 1923.

ANNOTATIO

Die 30 ian. 1913, provincia ecclesiastica Goana simili provisione annectebatur Delegationi Indiarum. cf. supra, p. 54.

67. — *S. C. de Semin. et de Studiorum Universitatibus*

De Universitate catholica Noviomagensi.

Decreto 29 iun. 1923 confirmatur Universitas catholica in civitate *Noviomagensi* (Hollandia) instituta, atque facultas

Universitas catholica Novi magen.;

(1) Sic totidem litteris legitur in A. A. S., p. 596, cum tamen non sint nisi XVIII dies ante Kal. dec., dies vero decimus nonus incidat in *Idus* novembres. Decretum ad Aedes Vaticanos pronuntiatum est Dominica XXVI post Pentecosten, quae hoc anno incidebat in diem XIV Kal. dec., sive 18 nov.

facultas theologica 29 iun. 1923.

theologica in eadem canonice erigitur. Universitas interim tribus facultatibus constat; facultas vero theologica in tres sectiones dividitur, nempe dogmatico-historicam, scripturisticam, moralem. In eam admittuntur tirones qui, ordinario philosophiae ac theologiae curriculo in suis Seminariis iam confecto, ad gradus academicos ascendere cupiunt. Studia tres complectuntur annos; duobus prioribus disciplinae tradendae sunt omnibus communes, tertio vero anno, singulis ex tribus sectionibus propriae (A. A. S., 1 dec. 1923, XV, 596).

68. — *S. Paenitentiaria*

Concessio indulgentiae.

Indulgentia adorantibus SS.mum, 15 iun, 1923.

Die 15 iun. 1923 concessa est indulgentia partialis trecentorum dierum « lucrandam ab iis, qui, templum ingressi, ante omnes alios pietatis actus, ad altare, ubi SS. Eucharistia asservatur, se contulerint, ibique, saltem corde contrito, SS. Sacramentum vel breviter adoraverint » (A. A. S., 6 nov. 1923, XV 562).

Annotationes

1. Oportet igitur ut adoratio ista ceteros actus pietatis praecedat, postquam quis templum sit plene ingressus. Itaque indulgentiae non nocet usus aquae lustralis quem, signando nos signo crucis in ipso templi ingressu facere solemus.

2. Nulla oratio vocalis necessaria est. Verba « saltem corde contrito » id manifestant; praeterea exterior actus cultus exercetur dum quis pie se confert ad altare ibique gestum adorationis peragit.

69. — *S. Rota*

Romana crediti, 22 iun. 23.

1. *Romana crediti.* — Anno 1768, Pontificium Collegium graecum de Urbe in favorem Collegii Germanici et Hungarici de Urbe, super bonis suis immobilibus censum constituerat perpetuum scutatorum 425, eumque liberum ab omni impositione et taxa, tam imposita quam imponenda. Verum ab anno 1870, rebus publicis mutatis, Romae taxa vulgo " *ricchezza mobile* „ imposita est iis omnibus qui reditus ex censibus

perciperent. Fiscus autem hanc taxam vi legis civilis 24 aug. 1877, art. 15, in casu exigit a *debitore* census, salvo eidem debitori iure refectionis (*diritto di rivalsa*) in creditorem. Atque de facto ab anno 1872, Collegium Germanicum seu creditor census indemne praestitit a taxa " ricchezza mobile „ Collegium Graecum.

Contendit nunc Collegium Germanicum se iure non obligari nec umquam obligatum fuisse ad indemnem praestandum debitorem census; indeque sibi refundendam esse pecuniae summam taxae annuae " *ricchezza mobile* „ ab anno 1872 respondentem, quam Collegium Graecum e censu solvendo retinuit. Etenim, ex clausula constitutioni census in casu apposita, tenetur debitor illum solvere *liberum ab omni impositione* et taxa.

Decisio S. Rotae 22 iun. 1923, petitionem Collegii Germanici reiecit. Taxa enim " *ricchezza mobile* „ a lege civili imposita est *creditori* census; quam si fiscus de facto exigat a *debitore* tamquam negotiorum gestore creditoris, id non facit ut census a debitore solvatur *liber ab omni taxa*. Clausula enim haec, ex stylo communi instrumentorum, minime ea spectat onera quae debitor sustinet tamquam negotiorum gestor creditoris. Accedit praescriptio in favorem Collegii Graeci: hoc enim inde ab anno 1872 in quasi-possessione est libertatis a taxa " *ricchezza mobile* „ super dictum censum solvenda (A. A. S., 1 oct 1923 XV, 515).

ANNOTATIO

A sententia ista, cuius rationes in controversiam veniunt, est appellatum.

Westmonasteriensis, nullitatis matrimonii, 13 dec. 1922.

2. Die 13 dec. 1922, decisionem dedit S. Rota in quadam *Westmonasteriensi, nullitatis matrimonii*. Agebatur de matrimonio inito in loco *Curcpipe*, insulae *Mauritius*, anno 1901, quod impugnabatur ob vitium clandestinitatis, utpote contractum coram parocho in cuius paroecia neuter ex coniugibus domicilium vel quasi-domicilium habebat. Curia Westmonasteriensis matrimonium ex hoc capite nullum declaraverat. S. Rota controversiam haud ineleganter diremit; investigatione enim praevia facta num caput *Tametsi* in insula Mauritius fuerit promulgatum, repperit ex pluribus responsis S. Officii *negative* esse respondendum. Hinc matrimonium in casu, utut clandestinum, validum est declaratum (A. A. S., 6 nov. 1923, XV, 562).

Mercurialis Pro-Decani Rotae, 16 oct. 1923.

3. In *oratione inaugurali* novi anni iudicialis, quae pro more habita est coram S. Pontifice, die 16 oct. 1923, Pro-Decamus S. Rotae utilitates extollit tirocinii illius iuridici, vulgo *Studio* appellati, penes hoc tribunal exsistentis. Iuvenes ecclesiastici vel laici, post absoluta studia theoretica iuris, ibi in praxi forensi per tres annos se exercent atque, superato examine, Advocati Rotalis titulum consequi possunt. Anno elapso, S. Rota ultra quadraginta causas tractandas habuit; hoc autem anno iam plus quam nonaginta inscriptae sunt, inter quas tres ex quattuor matrimoniales (A. A. S., 6 nov. 1923, XV, 567).

70. — *Provisio ecclesiarum*

A. Patriarcha, archiepiscopi vel episcopi residentiales nominati sunt *in consistorio* 20 dec. 1923:

Torino R. P. D. Jos. Gamba, arch. Tanrinensis (Italia).

Recanati e Loreto R. D. A. Cossio. ep. Recinentensis et Lauretanus (Italia).

Volaterra R. P. Dantes M. Munerati ep. Volaterranus (Italia).

Angra R. D. Aug. de Castro Meireles, Ep. Angrensis (Lusitana Colonia).

Indie occ. R. P. D. Iulianus de Diego y Garcia Alcolea, patriarcha Indiarum Occidentalium.

B. Decretis *S. Congr. Consistorialis* nominati sunt:

Tamaulipas 3 aug. 1923, R. D. Seraphinus Armora, ep. Civitatis Victoriae seu Tamaulipanae (Mexicana resp.)

Veglia 15 sept. 1923 R. D. Josephus Srebrnic, ep. Vegiensis (Dalmatia).

Huajuapatamen de Leon 3 aug. 1923, R. D. Aloisius Altamirasco, ep. Huajuapamensis (Mexicana resp.).

Anglona e Tursi 15 sept. 1923, R. D. Ludovicus Cattaneo ep. Anglonensis et Tursiensis (Italia).

Salamanca 26 oct. 1923, R. P. D. Angelus Regueras y Lopez, ep. Salmantinensis (Hispania).

Pamplona 26 oct. 1923, R. P. D. Matthaeus Mugica Urrestarazu, ep. Pampilonensis (Hispania).

Tuy 27 oct. 1923, R. P. D. Em. Maria Vidal Bauton ep. Tudensis (Hispania).

La Plata 31 oct. 1923, R. P. D. Pierini, archiep. Platensis (Bolivia).

Anagni 9 nov. » R. D. Mazzini, ep. Anagninus (Italia).

Olmutz 10 » » R. D. Leopoldus Preean, ep. Olomucensis (Moravia).

10 nov. 1923, R. D. Iacobus A. Griffin, ep. Campifontensis in Illinois (America). *Springfield*

15 nov. 1923, R. P. Maximilianus Crespo, archiep. Popayanensis (Colombia). *Popayan*

C. *Ope S. C. de Propoganda Fide* nominati sunt Administrator, Vicarii vel Praef. Ap.ci.

12 iun. 1923, R. D. Pais, Administrator Ap. Dioecesis Mangalorensis (Indiae). *Mangalore*

12 iun. 1923, R. P. D. Joannes de Vienne, Vicarius Ap. Ce-li maritimi (in Sinis). *Cina*

13 iun. 1923, R. P. Sabbas Sarasola, Vic. Ap. de Urubamba et Matre Dei (Peruviensis). *Urubamba*

13 iun. 1923, R. P. D. I. Fabrègues, Coadicum fut. succ. Vic. Ap. Ce-li Septemtr. (in Sinis). *Cina*

In consist. 20 dec. 1923, R. P. Dreyer O. F. M. Vic. Ap. de Rabat (Maroq.). *Rabat*

16 aug. 1923, R. D. Joan. Gulielmus Campling, Praef. Ap. de Buea (Cameroun). *Buea*

16 aug. 1923, R. D. Daniel Kanczor, Praef. Apost. de Lydenburg (Transvaal). *Lydenburg*

9 nov. 1923, R. D. Aemilius Larquère, Praef. Apost. de Tierradentro (Colombia). *Tierradentro*

Nominationes

21 sept. 1923, R. P. D. Angelus Rotta Archiep. Thebae, Intern. Ap. Americae Cent., Intern. ap. Reipub. Panamae. *Panama*

23 sep. 1923, R. P. D. Petrus Benedetti, Archiep. Tiri, Deleg. Ap. Cubae et Portorici Regens Inter. ap. Haiti. *Haïti*

R mus Iosephus Cignac renuntiatus est Praeses Consilii Nationalis Pont. Operis a Propag. Fidei pro Canada Orientali.

R.mus Joseph M. Delgado Palacios renuntiatus est Praeses Consilii Nationalis Pont. Operis a Propag. Fidei pro Venezuela.

Necrologium

20 mart. 1923, Ill. D. Joseph Bilczewiski, Archiep. Leopolien.
19 aug. » Ill. D. Joseph Van Reeth S. I. ep. Gallen.
27 » » Ill. D. Adrianus Alexius Fodéré, ep. Maurianen.
5 sept. » Ill. D. Thomas Byrne, ep. Nashvillen.
11 » » Ill. D. Angelus Petrelli, ep.
20 » » Ill. D. Dominicus Pasi, ep. Maceraten et To-

lentin. 29 sept. 1923, Ill. D. Antonius Cyrillus Stojan, Archiep. Olomucen.

3 oct. 1923, Ill. D. Franciscus Bessière, Ep. Costantinian.

20 » » Ill. D. Lucius Antonius de Sosua, Ep. Botucatuen.

24 oct. 1923, Ill. D. Silvius Gasperini, Ep. Anagnin.

10 nov. » Ill. D. Alphonsus M. Andreoli, Ep. Recineten et Lauretan.

24 nov. 1923, Ill. D. Gugliemus de Batthyany, Archiep. tit. Cyrrhen.

25 nov. 1923, Josuè Signori, Archiep. Ianuen.

1 dec. 1923, Ill. D. Nicola Béchenyi, ep.

5 » » Ill. D. Petrus Zanolini, ep.

BIBLIOGRAPHIA

Dom P. Bastien, O. S. B., *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples.* 3e éd., Bruges, Beyaert, 1923 - XVI - 416 p. Pretium: 20 fr. - I PARTIE. De la vie religieuse et de ses obligations - II PARTIE. Du gouvernement extérieur des Instituts à voeux simples - III PARTIE. Du gouvernement intérieur des Instituts à voeux simples. - Appendices.

L. Choupin, S. I., *Nature et obligations de l' état religeux. Discipline actuelle. Traité de l' état religieux du P. Gautrelet S. I. entièrement refondu et accommodé au nouveau droit.* Paris, Bauchesne, 1923. in 8º, X - 501 p. Prix: 14 fr. franco 15 f. 50.

P. Vidal, S. I. *Ius canonicum* auctore P. WERNZ, S. I. ad Codicis normam exactum opera P. Petri Vidal S. I. Tomus II, Cod. L. II *De Personis.* Romae, Università Gregoriana, 1923, 1 vol. in-8, X-811 p.

Tit. praevius, Generalia de personis. - SECT. I. *Tit. praev.* De Hierarchia ecclesiastica. *Tit. I.* De ascriptione clericorum alicui dioecesi. *T. II.* De iuribus et privilegiis clericorum. *T. III.* De obligationibus clericorum . *T. IV.* De officiis et beneficiis ecclesiasticis. *T. V.* De potestate ordinaria et delegata. *T. VI.* De reductione clericorum ad statum laicalem. - SECTIO II. De Clericis in specie. *T. VII.* De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes. *T. VIII.* De potestate episcopali, deque iis qui de eadem participant.

Mario Falco (Prof. nella R. Univ. di Parma). *" Il Codex Iuris Canonici e il Diritto anteriore „* in-8 25 p. Modena 1923.

Cocchi G., *Cong. Miss. Commentarium in Codicem iuris Canonici ad usum scholarum.* Liber III. De rebus. Pars II De locis et temporibus sacris. Pars III. De cultu divino. Taurini - Romae, Marietti, 1924. In 12, XII-260 pp. Lib. it. 8.

Fanfani, L. I., O. P., *De iure parochorum ad normam Codicis iuris canonici.* Taurini, Marietti, 1924. in-8, XXIV-462 pp. Pret. Lib. ital. 15

Tit. I. De ipsa paroecia. - Tit. II. De ecclesia parochiali. - Tit. III. De cultu in ecclesia paroeciali exercendo. - Tit. IV. De

parochianis. - Tit. V. De ipso parocho. - Tit. VI. De parochi residentia. - Tit. VII. De parochi remotione, translatione et renuntiatione. - Tit. VIII. De temporali paroeciae administratione. Tit. IX. De parochorum iurisdictione. - Tit. X. De obligatione instituendi fideles. - Tit. XI. De Sacramentis ministrandis. - Tit. XII. De cura pauperum, infirmorum et defunctorum. - Tit. XIII. De quibusdam aliis iuribus et obligationibus parochi. - Tit. XIV. De relationibus parochi cum aliis. - Tit. XV. De quibusdam categoriis parochorum. - Tit. XVI. De Vicario foraneo. - Tit. XVII. De vicariis paroecialibus. - Tit. XVIII. De Ecclesiarum Rectoribus, nec non de Cappellanis. - *Appendix*. Formularum ad rem parochialem spectantium collectio. - Index analyticus.

Iglesias, Ant., O. F. M. - *Brevis commentarius in facultates quas S. C. de Prop. Fide dare solet missionariis*. Taurini, Marietti, 1924. in 12 144 p. 5,50 l. it. (1)

CAP. I. Facultates in genere. Art. I. De concessione novarum formularum. - Art. II. Facultatum interpretatio. — CAP. II. Facultates in specie. Facultates formulae tertiae. *A*) circa sacramenta et ritus sacros ; *B*) circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc *C*) pro ipso Ordinario. Addenda : Facultates suppletoriae.

Moretti Al. *Caeremoniale solemnium functionum hebdomadae maioris* pro clero universo pontificalium privilegiis non insignito, iuxta ritum romanum synoptica forma redactum. Taurini, Marietti, 1923 - In-12, IV-162 pp. 18 lib. ital.

Caeremoniale episcoporum Clementis VIII, Innocentii X et Benedicti XIV et Leonis XIII auctoritate recognitum. Editio tertia Taurinensis. Taurini - Romae, Marietti, 1924 in-12, 305 pp. lib. itat. 15.

D .M. Prümmer O. P., *Manuale Theologiae moralis secundum principia S. Thomae Aquinatis*. In usum scholaram. Tomus III, ed. 2 et 3. aucta et secundum novum Codicem iuris canonici recognita. Friburgi Br., Herder, 1923, in-8, XII-666 pp. 50 fr. belg.

Pars II. De sacramentis in genere et in specie. Prologus. Tract. I. De sacramentis in genere. - Sequuntur tractatus de singulis sacramentis secundum ordinem Codicis, inserto post sacramentum paenitentiae tractatu VI. De poenis ecclesiasticis. - Index alphabeticus rerum (vol. I-III).

---

(1) Commentaria nostra de iisdem facultatibus, quae in t. XI *Per.* vulgata sunt, separatim prostant, Brugis, Beyaert, vel *Università Gregoriana*, Roma (19), 120 Via del Seminario, 4,50 fr.

Henri Bourassa, *Patriotisme, Nationalisme, Impérialisme.* Conférence donnée à la salle académique du Gesù sous les auspices de l' Association cath. des voyageurs de commerce, le 23 nov. 1923, 1 Broch. in-12, 62 p. Montréal, 1923, 1. 25 fr.

Giulio Echeverria (R. D.), *Quale è il vero stato della moralità dei fanciulli d' oggi e suoi rimedi.* Risultato di studio psicologico pratico in-16, 98 p.

Prima Parte. Il Male - Seconda Parte. I Rimedi.

John M. Cooper, Ph. D. *Birth Control* 1 vol. in-12, 96 p. Washington D. C. (National catholic Welfare Council) 1923.

Catholic Principles and Teaching - The voice of conscience The marital relationship. - The Home Circle. - Overpopulation. - Underpopulation - War, Poverty and Infant Mortality. - Economic and Health Motives - Conclusion.

John M. Cooper. *Sex education in the Home.* Opusc. 32 p. Reprinted from the catholic Charities Review, 1921.

Patrick A. Finney (Rev. P. C. M.) *Moral Problems in Hospital Practice.* A practical Handbook. 1 vol. in-16, 208 p. S. Louis, London, 1922.

PART. I Abortion. - PART. II Direct Abortion. - Direct Killing. - Indirect Abortion and indirect Killing. - Ectopic Gestation. - Mutilation. - Various matter. - Medical vocabulary.

M. V. Kelly (C. S. B.) et **J. B. Geniesse** (Rev. Can.) *Efficax antidotum ad matrimonia mixta praecavenda* in-8, 75 p. Romae, 1923.

TR. I. Malitia matr. mixtorum. Mala quae ex eis manant. - TR. II. Causae matr. mixt. - TR. III. Remedia contra matrimonia mixta. - Epilogus.

XXX. - *I Comandamenti.* Spiegazione breve e completa dei divini precetti con una moltitudine di esempi, per un Padre della Comp. di Gesù. I Comandamenti. - Trattatello sull' Orazione. - Trattatello sulle Indulgenze. 1 vol. in-16, 283 p. Modena, 1923.

Benoit Valuy, S. I. *La religiense en retraite*, nouv. édition, revue, améliorée, annotée et mise d'accord avec les dernières décisions romaines, par le P. **E. Jombart**, S. I. 1 vol. in-16, VIII-422 p. Paris, Tralin, 1923, 7,50 fr.

Avant-propos. - *Première Partie.* Directoire pour la retraite générale. - *Deuxième Partie.* Méditations et Considérations pour une retraite particulière. - *Troisième Partie.* Exercices pour la retraite du mois.

V. Hostachy, miss. de la Salette. *Nouvel essai d' études*

d'âmes. Lettres d'évêques et témoignages d'écrivains, 1 vol. in 16, XLIII-270 p. Lille. Bruges, De Brouwer, 1923, 7,00 fr.

B. Angèle de Foligno : La joie de l'extase. - *Brigitte de Suède*: La joie de l'obéissance. - *Catherine de Gênes :* La joie du repentir. - *Marguerite Marie :* La joie de l'amour.

Au service de Jésus-prêtre. - Notes intimes tirées des écrits de Mère Louise Marguerite Claret de La Touche. I. Les voies de Dieu. Turin, Marietti, 1922, in-12 VI-300 pp. Prix : 5 fr. 50.

L'alliance sacerdotale universelle des amis du S. Cœur. Son origine, son esprit, son organisation. Turin, Mariette, 1922. in-12. 54 p. Prix : 2 fr.

Ex Periodicis

Ius Pontificium. Iuris canonici universi synthesis. De delegationibus et subdelegationibus ecclesiasticis. Facta iuridica personarum ecclesiasticarum quemadmodum vitientur. - A. Toso, Ad Codicem commentaria, c. 244 - 262.

De Vicariis generalibus episcoporum. De errore communi. Ad Cod. commentaria c. 263-273.

Collationes Brugenses. Sept. Oct. 1923. RR. D. Episcopus Brugen , *Introductio in theologiam mysticam*. - E. Hosten, *De contractibus in genere*. - A. De Meester. *De vicario oeconomo. De vicario substituto.*

Collat. Gandavenses, oct. 1923. A. Standaert, *Casus erroris in recitatione Breviarii*. - O. Lejour, *De defectu substantiali vini in celebratione missae occurrente*. - F. Claeys-Bouuaert, *De concessione facultatis concionandi.*

Commentarium pro religiosis, iul. dec. 1923. A Larraona c. 491, de praecedentia ; P. Maroto, *De actibus proprietatis in foro civili exercendis ;* S. Goyeneche, *Quando religiosus delinquens censeatur, in ordine ad dimissionem emendatus.*

Monitore Ecclesiastico. Ag. 1923. Admissio publici peccatoris ad sacramenta. De archivo ecclesiastico. - Giurispr. governativa : Tassa d'esercizio pei sacerdoti. - Sett. 1923. Portio paroecialis. Compensatio in renuntatione. - Praecedentia in ecclesia regulari. Acquisitio simultanea indulgentiarum. - Ott. 1923. Vinum pro missa. - Ieiunium ante missam. - Altare privilegiatum pro agonizantibus. - Nov. 1923. Giurisp govern. Circolare su gli affranchi. - Dic. 1923. Circa il servizio del canonico giubilato.

Nouvelle Revue théologique, Juillet-Aout. E. Hocedez,

Le Pape et les exercices spirituels. - R. LANGE, La crise religiense d'E. Renan. - E. JOMBART, *L'erreur commune.*

Sept. - oct. - F. IANSEN, Le B. Bellarmin et la controverse avec les protestants. - X. Le BACHELET, Les devoirs du prêtre, d'après le B. Bellarmin. - A. d'ALÈS, Justice primitive et péché originel. - E. CREUSEN, La comumunion des nouveau - nés.

Novembre. F. GIRERD, Le Mariage de la S.te Vierge. - L. CREUSEN, « Minuit canonique », ou « Loi pure et simple. » - P. MARTIAL LEKEU, O. F. M. et P. CHARLES, S. J. Sur l'abus de la mystique.

Décembre. M. CLAEYS BOUUAERT, S. I. La religion catholique en esprit et en vérité. - S. CALÈS, S. I. L'evangile de S. Matthieu d'après le P. Lagrange.

Revue ecclésiastique de Liége, Juillet, 1923. L. KERKHOFS, L'argument déontologique de l'existence de Dieu. - E. LEROUX, Les prodiges spirites.

Septembre 1923. G. KISELSTEIN, a propos du divorce civil. - H. RONGY, Les paraboles évangéliques. - E. LEROUX, *Quomodo differant mortale et veniale peccatum.* - G. KISELSTEIN, *De contritione perfecta.*

Nov. 1923. G. KISELSTEIN, *A propos du divorce civil.* - E. LEROUX, *De requisitis condicionibus ad peccatum mortale.* G. KISELSTEIN, *De contritione existimata.* - G. SIMEON, *Novum ius relate ad ecclesiarum violationem.*

Le Recrutement sacerdotal. Juillet 1923. Bibliographie de de la vocation.

Septembre 1923. P. J. DELBREL, Les prêtres recruteurs de prêtres. - G. CH. La conscience professionnelle cléricale et sa formation au for interne dans les petits Séminaires. - Une semaine d'éducation de la vocation.

Novembre 1923. G. CH. La conscience professionnelle cléricale et sa formation au for interne dans les petits Séminaires. (2. art.) - P. J. DELBREL. Les prêtres recruteurs de prêtres. - FIDELIS, La formation du clergé et les besoins de l'heure présente. - Bibliogr. de la vocation.

Rivista dell'Unione Missionaria del Clero in Italia. - Nov. 1923. TRAGELLA, *Missionologia.* - DRAGO, *Attività cosciente ed ordinata. Schema di Omelie missionarie per l'Avvento.*

Resena ecclesiàstica, sept.-oct. 1923. VALLHONRAT J., *Cuestiones practico-juridicas acerca de los párrocos-Lugar del Bautismo. Las proclamas matrimoniales.* - TUSQUETS J et VAN STEENBERGHEN F., *L'opuscle de sant Tomás* « De unitate intellectus ».

SUMMA DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Dissertationes

	Pag.
De forma absolutionis ex ritualibus antiquis impressis . . .	(41)
Facultatum Legatorum Apostolicorum breve commentarium. . .	(69). (125)
Annotationes ad usum Episcoporum et aliorum Superiorum missionum	(99)
De cereo paschali	(12)
De litteris « Optime novit » circa ieiunium ante missam . .	(123)

Quaesita varia

I Quaesita de missionibus.	
1. De beneplacito apostolico et clausura in missionibus . .	(1)
2. De vicario delegato ad normam epistolae de Prop. Fide, 8 dec. 1919	(3)
3. De baptizandis barbaris senibus vel aegrotis in missionibus, .	(5)
II. Quaesita de religiosis.	
1. De numero suffragiorum in Capitulo electionum . . .	(15)
2. De vestitu transeuntis Sororis in noviciatu . . .	(16)
3. De perseverantia in Istituto post vota temporaria . .	(17)
4. De Ordinario competente quod ad indultum saecularizationis .	(18)
5. Absolutio delicti occulti cum censura reservata . .	(19)
6. De ingressu ex metu	(55)
7. De dispositione bonorum noviciae apnd moniales . .	(56)
8. De professione temporaria	(57)
9. De prorogatione professionis temporariae . . .	(57)
10. De dimissione ex mutuo consensu	(58)
11. De condicionali novae domus erigendae licentia . .	(60)
12. De titulo quo missae defunctis sodalibus instituti applicandae sint	(61)
13. De dimissione monialis votis temporariis astrictae . .	(63)
14. Quomodo appellandus sit duplex Instituti finis . .	(159)
15. De professione novicii vel probandi in articulo mortis . .	(159)
16. De dotis quantitate definienda	(162)
17. De ordine praecedentiae	(163)
18. De ordinatione a proprio Superiore religioso . . .	(163)
III. Quaesita communia vel de saecularibus.	
1. Nominatio canonicorum	(6)
2. De studiis requisitis ante ordinationem	(9)
3. Conciliatio duarum responsionum Comm. Codicis interpret. de impedimento ab ordinatione recipienda	(10)

Pag.

4. Sacramentum Confirmationis ministratum puero latino a sacerd. graeco . . . . . (11)
5. Confessarii munus parocho vel canonico paenitentario vetitum, . (13)
6. Clericus officio inamovibili in aliena dioecesi provisus . . (14)
7. De indulgentiis Viae Crucis . . . . . (15)
8. Quaesitum de gradu magistri aggregati . . . . (63)
9. Quaestiones de matrimonio secundum Codicem . . (64)
10. Quisnam inter Ordinarios vel parochos competens est ad elargiendas dispensationes . . . . . (65)
11. Debetne dispensatio utrumque sponsum formaliter attingere, an satis est ut alteruter dispensetur . . . . . (66)
12. De matrimonio per procuratorem . . . . (67)
13. Quaestio de ignorantia reservationis in confessario . . (68)

IV. Varia liturgica.

1. Vigentes leges de praefationibus . . . . . (20)
2. De officio quod clericus in sacris extra dioecesim dicere debeat . (29)
3. In Decr. *Romana*, 17 nov. 1922. De missa votiva pro Fidei propagatione, annotationes . . . . . (31)
4. De missa Dominicae impeditae . . . . . (31)
5. De usu campanulae in missa . . . . . (38)
6. De cultu publico . . . . . (164)

INDEX ANALITICUS MONUMENTORUM

SS. D. N. Pii Pp. XI. *Pag.*

1. Litterae encyclicae **Ubi arcano**, de pace Christi in regno Christi quaerenda (23 dec. 1922) — *Annotatio* 1
22. Motu proprio **Post datam**, de quinquennalibus requirendis a S. C. Consistoriali (20 aprile 1923) — *Annotationes* 65
38. Epistola ad R.um P. Ioannem Baptistam Ollitraut Keryvallan, abbatem Generalem Ord. Cistercensium Reformatorum de sua electione, adiciens animum eumque Pontificia hortatione iuvans (28 maii 1923).— *Annotationes.* 98
39. Epistola ad Em.um Card. Mercier ceterosque Belgii episcopos, circa vocationes pro missionibus exteris (10 iun. 1923). — *Annotatio.* . 93
40. Epistola ad Em.um Card. Mercier archiep. Mechiliniensem de Lovaniensi missionalium conventu; eique Pontifex benedicit (25 iul. 1923). . 98
53. Epistola encyclica **Ecclesiam Dei**, in tercentesimo natali S. Josaphat (12 nov. 1923) — *Annotatio* 129

Acta summatim relata.

2. Litterae encylicae **Rerum omnium** (excerpta) de S. Francisco Salesio, (26 ian. 1923). — *Annotatio* 23
11. A. Litterae ad Em.um Card. Vicarium Urbis de precibus pro pace (31 ian. 1923) 49
B. Litterae de dioecesibus dismembrandis, erigendis. (12 oct. 1922) . 49
C. Litterae de Vicariatu et Praefecturis Aplicis dividendis, erigendis. (23, 27 nov. 1922) 49
D. Litterae de Delegatione Aplica erigenda in Africa merid. (7 dec. 1922) 49
E. 1. Litterae erectionis Collegiatae (15-16 iul. 1922) . . . 50
2. » quibus ad dignitatem Basilicae minoris evehuntur variae ecclesiae (a. 1923) 50
F. Litterae de indulgentiis, privilegiis (2 feb. 1923) . . . 50
29. A. Allocutio consistorialis (23 maii 1923) 83
B. Beatificationes:
1. Theresiae a Iesu Infante (29 apr. 1923) . . . 83
2. Michaelis Garicoits (10 maii 1923) 84
3. Roberti Card. Bellarmini (13 maii 1923) . . . 84
C. Constitutio patroni (17 mart. 1923) 84
D. Dismembrationes, erectiones Vicariatuum, Praefecturae . . 84
E. Erectio Basilicae (13 apr. 1923) 84
F. Eretio collegiatae ad honorem (18 feb. 1923) . . . 85
G. Concessio palli (1 mart. 1923) 85
H. Restitutio abbatiae B. M. V. de Speinshart (24 mart. 1923) . 85
I. Ius erigendi sodalitates divini Infantis Pragensis (15 ian. 1923) . 85
K. Opera zeli: 1. Seminarium pro nigritis in America (5 apr. 1923) . 85
2. Opera zeli in Venezuela (25 apr. 1923) . . . 85
40. A. Litterae encyclicae de S. Thoma Aquinate. Oratio (29 iuli 1923) . 120

Pag.

B. Motu proprio erectio officii de Catechesi apud S. C. Concilii (29 iun. 1923) 122
C. Dismembrationes, erectiones dioecesium, Vicariatuum . . 122
D. Erectiones basilicarum 123
E. Varia pontificia documenta de vocationibus sacerdotalibus et religiosis 123
61. A. Allocutio consitorialis (20 dec. 1923) 163
B. Litterae de dioecesibus, provincia ecclesiastica erigendis . . 163
C. Litterae de Praefecturis Aplicis erigendis 163
D. Litterae de ecclesiis 164

S. C. S. Officii.

3. Litterae **Optime novit,** ad Ordinarios locorum de ieiunio eucharistico ante missam (22 mart. 1923). — *Annotationes* 29
4. Monitum de vigilantia in scriptores catholicos exercenda (15 mart. 1923). *Annotatio* 32
5. Responsa edita 22-23 nov. 1 dec. 1922 de confessario consulente dimidiatam copulam. — *Annotationes* 33
28. Declaratio de inquisitione circa phaenomena celebrata in religioso P. Pio a Petralcina O. M. (31 maii 1923) — *Annotatio* 82
54. Resc iptum de altari privilegiato pro agonizantibus (9 nov. 1923). — *Annotationes*. 138
55. Declaratio circa dispensationem a lege ieiunii eucharistici ante missam (2-3 maii 1923). — *Annotationes* 143
56. I. Decretum quo damnatur opus cui titulus « Manuel Biblique etc. »(12. 13 dec. 1923) 144
II. Epistola de isto Decreto ad R. P. Moderatorem supremum Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio (22 dec. 1923) . . . 145

Acta summatim relata.

12. A. Opera damnata 50
B. Sententia degradationis Thomae Sasso 50
30. A. Opera prohibita 86
B. Opus damnatum. 86
47. A. Monitum super factis quae P. Pio a Petralcina O. M. C. tribuuntur. 124
B. Degradatio Gerardi Cavallo 124

S. C. Consistorialis.

Acta summatim relata.

13. De cura Italorum migrantium 51
31. Abbatia S. Petri de Munster ex immed. subiecta unitur prov. Reginatensi 87
48. Iurisdictio et fines dioecesium 124
62. De sedibus episcopalibus 164
70. B. Nominationes 170

S. C. de disciplina Sacramentorum

8. I. Rescriptum de missa dicenda in mari sine ministro (24 dec. 1922) . 42
43. Decretum *Catholica doctrina*, de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consumato (7 maii 1923). — *Annotationes* 104

Acta summatim relata.

44. Regulae processus (excerpta). — *Annotationes* . . . 109

		Pag.
S. C. Concilii.		
6.	Rescriptum de translatione missarum extra dioecesim (14 ian. 1922). — *Annotationes*	37
41.	Litterae circ. de statutis capitularibus (25 iul. 1923). — *Annotationes*	99
57.	Resolutio de aestimatione titulorum pubblicorum quibus canones redimantur (23 ian. 1623). — *Annotationes*	149
Acta summatim relata.		
14.	1. De stallo chorali, causa	51
	2. De duello, Ratisbonem	51
32.	De benedictione fontis. Cremonem	87
49.	De valida paroeciae renuntiatione	124
63.	Responsum circa collationem mansionariatuum	164
S. C. de Religiosis.		
7.	Declaratio de professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa (29. 30 dec. 1922). — *Annotationes*	39
23.	Responsum de habitu transeuntis durante noviciatu (14 maii 1923). — *Annotationes*	67
27.	Decretum de monialibus Belgii et Galliae (23 iun. 1923). — *Annotationes*	76
42.	Decretum de tempore utili ad recurrendum contra decretum dimissionis Professi a votis temporariis (20 iul. 1923). — *Annotationes*	100
58.	Declaratio circa dispensationes super curriculo studiorum (27 oct. 1923). *Annotationes*	154
S. C. De Prop. Fide.		
10.	Monita Pont. Op. a Prop. Fide circa pecuniam collectam et transmittendam (6 ian. 1923).	46
45.	Litterae circulares (20 maii 1922) plura de missionibus commendantes (Textus italicus cum versione latina)	114
Acta summatim relata.		
15.	A. Vicariatuum Apost. dismembrationes, uniones	52
	B. Attributio Vicariatus Ap.lici	52
	C. Nominatio	52
50.	A. Mutatio finium	125
	B. Litterae de expositione Missionum Romae habenda	126
	C. Divisio Congregationis Instituti Veronensis in duas Cong. Decretum	
	E. R. D. Henr. Forves nominatus Praeses Op. a Prop. F. pro Scotia	126
64.	Erigitur Collegium pro missionibus Augustae Taurinorum. Decretum (10 iul. 1923)	167
S. C. Rituum.		
8.	II. Rescriptum de missa sine ministro (30 ian. 1920) — *Annotatio*	43
24.	Responsa 13 et 20 apr. 1923	
	I. Dubia de cereo paschali	68
	II. De translata sollemnitate SS. Cordis et de antiphona finali in horis can. — *Annotationes*	69
25.	Recentes formulae benedictionis nuptialis	
	I. Benedictio nuptialis extra missam	71
	II. Preces recitandae extra missam super coniuges, quando benedictio nuptialis non permittitur. — *Annotationes*	72

Pag.

59. Respnsa 26 oct. 1923, de ordinandis missis pluribus, v. g. in prima feria VI — *Annotationes* 157

Acta summatim relata.

16. A. Responsa de vers. *Fidelium animae;* de ultimo evangelio . . 52
B. Causae beatificationis, per viam cultus et non cultus . . 53
33. Causae beatificationis et canoniz. 88
51. A. Missa de SS. Corde in prima Feria VI 126
B. Causa beatificationis et canonizationis 126
65. Causa beaticationis et canoniz. Bernardette Souberons. . . 167

S. C. Pro negotiis ecci. straord.

Acta summatim relata.

17. Auctoritas Delegati Apost. Indiarum extenditur ad prov. Goanam . 54

S. C. de Semin. et de Studiorum Universitas.

67. Decreto 29 iun. 1923, confirmatur Universitas catholica in civitate Noviomagensi 167

S. C. Pro Ecclesia Orientali.

Acta summatim relata.

34. Indulgentia orationis pro salute Russiae (24 maii 1923) . . 88

S. Paenitentiaria Apost. (Sectio de indulg.)

60. Rescriptum 21 feb. 1923, cotidianam indulg. plenariam. concedens. Orationis formula. — *Annotationes* 160

Acta summatim relata.

68. Concessio indulgentiae adorantibus SS.mum (15 iun. 1923) - *Annotationes* 168

S. Signatura Apost.

Causae summatim relatae.

19. Romana, nullitatis matrimonii, quaestio incidens (25 nov. 1922) . 57

S. Rota Romana.

Causae summatim relatae.

18. A. De Competentia S. Rotae 54
B Causae anni 1922 quarum sola conclusio vulgatur. . . 55
35. Decisio 30 apr. 1923 in quaestione incidenti de competentia . . 88
69. I. Romana crediti, inter Coll. Graecum de Urbe et Coll. Germanicum (22 iun. 1923). — *Annotatio.* 168
II. Decisio, nullitatis matrimonii (13 dec. 1922) . . . 169
III. Mercurialis Pro-Decani Rotae (16 oct. 1923) . . . 170

Coetus S. R. E. Cardinalium a R. P. designatus,

9. Responsa de competentia SS. Cong. 7 dec. 1922. — *Annotationes* . 43

Pontificia Commissio C. I. interpretando.

26. Responsa 17 aug. 1919, de episcopo proprio ; incardinatione et absolutione a reservatis. — *Annotationes* 23

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

Quae monumenta *plene* excripsimus, hic *litteris italicis*, quae *summatim* relata sunt, hic litteris ordinariis indicantur.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1920	*30 ian.*	*Rescriptum*	*S. Rituum Congr.*	*43*	8 II
1922	9 ian.	Decisio	S. Romana Rota	55	18 B
»	14 »	»	»	56	18 B
»	*14* »	*Rescriptum*	*S. Congr. Concilii*	*37*	6
»	27 »	Decisio	S. Romana Rota	57	18 C 1
»	31 »	»	»	55	18 B
»	25 feb.	»	»	56	18 B
»	25 »	»	»	57	18 C
»	7 mart.	»	»	55	18 B
»	24 »	»	»	55	18 B
»	31 »	»	»	55	18 B
»	31 »	»	»	55	18 B
»	31 »	»	»	57	18 C 3
»	11 apr.	»	»	55	18 B
»	28 »	»	»	55	18 B
»	29 »	»	»	25	18 B
»	29 »	»	»	56	18 B
»	5 maii	»	»	55	18 B
»	5 »	»	»	57	18 C 4
»	17 »	»	»	55	18 B
»	18 »	»	»	55	18 B
»	2 iun.	»	»	57	18 C
»	10 »	»	»	55	18 B
»	30 »	»	»	56	18 B
»	1 iul.	»	»	56	18 B
»	1 »	»	»	56	18 B
»	1 »	»	»	57	18 C
»	3 »	»	»	55	18 B
»	3 »	»	»	56	18 B
»	8 »	Responsum	S. Cong. Concilii	51	14 1
»	9 »	Decisio	S. Romana Rota	57	18 C 7
»	12 »	»	»	55	18 B
»	15-16 »	Bullae	Pius Pp. XI	50	11 E
»	29 »	Decisio	S. Romana Rota	55	18 B
»	4 aug.	»	»	55	18 B
»	7 »	»	»	55	18 B

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1922	7 aug.	Decisio	S. Romana Rota	57	18 C
»	9 »	»	»	56	18 B
»	10 »	»	»	55	18 B
»	10 »	»	»	56	18 B
»	14 »	»	»	55	18 B
»	14 »	»	»	55	18 B
»	16 »	»	»	56	18 B
»	17 »	»	»	56	18 B
»	12 oct.	Bulla	Pius Pp. XI	49	11 B
»	18 »	Decisio	S. Romana Rota	55	18 B
»	*9 nov.*	*Rescriptum*	*S. Congr. S. Off.*	*138*	54
»	15 »	Decisio	S. Romana Rota	56	18 B
»	20 »	Decretum	S. Congr. de Prop. F.	52	15
»	22 »	Decretum	S. Congr. Rituum	53	16 B
»	23 »	Litterae	Pius Pp. XI	49	11 C
»	25 »	Sententia	Signatura Aplica	57	19
»	27 »	Litterae	Pius Pp. XI	49	11 C
»	28 »	Decreta	S. Congr. de Prop. F.	52	15
»	*1 dec. (22-23 nov.) Responsa*		*S. Congr. S. Off.*	*33*	5
»	2 »	Decisio	S. Romana Rota	57	18 B
»	4 »	Litterae	Pius Pp. XI	163	61 B
»	*7 » (13-27 nov.) Responsa*		*Peculiaris Coetu Card.*	*43*	9
»	7 »	Litterae	Pius Pp. XI	49	11 D
»	13 »	Decisio	S. Romana Rota	169	69 C
»	13 »	»	»	56	18 B
»	15 »	Decretum et sent.	S. Cong. S. Off.	50	12
»	15 »	Decisio	S. Romana Rota	56	18 B
»	18 »	Resc. et causae beat.	S. Congr. Rituum	52	16
»	19 »	Decisio	S. Romana Rota	55	18 B
»	23 »	»	»	55	18 B
»	*23* »	*Litterae enc.*	*Pius Pp. XI*	*1*	1
»	*24* »	*Reseriptum*	*S. Congr. de Sacram.*	*42*	8
»	*30* »	*Declaratio*	*S. Congr. de Religiosis*	*39*	7
»	30 »	Decisio	S. Romana Rota	55	18 B
»	30 »	»	»	57	18 B 9
1923	2 ian.	Breve	Pius Pp. XI	55	11 E
»	*6* »	*Monita*	*Pontif. Opus P. F.*	*46*	10
»	12 »	Breve	Pius Pp. XI	50	11 E
»	16 »	»	»	50	11 E
»	19 »	Responsum	S. Congr. Rituum	52	16 A
»	*23* »	*Resolutio*	*S. Congr. Concilii*	*149*	57
»	23 »	Breve	Pius Pp. XI	50	11 E
»	*26* »	*Litterae*	»	*23*	2
»	26 »	Communicatio	S. Congr. Consistor.	51	13
»	26 »	Responsum	S. Congr. Rituum	53	16 A
»	30 »	Decretum	S. C. pro Neg. eccl. extraor.	54	17
»	30 »	Decisio	S. Romana Rota	54	18

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1923	31 ian.	Litterae	Pius Pp. XI	49	11 A
»	2 feb.	Breve	»	50	11 F
»	3 »	»	»	50	11 E
»	10 »	Responsum	S. Congr. Concilii	51	14 2
»	10 »	»	»	164	63
»	11 «	Decretum	S. Congr. Rituum	53	16 B
»	*21* »	*Rescripium*	*S. Paeniten. Ap.*	*160*	60
»	22 »	Decretum	S. Congr. de Prop. F.	52	15 A
»	28 »	»	S. Congr. Rituum	53	16 B
»	28 »	Rescriptum	»	54	16 B II
»	15 mart.	Decretum	S. Congr. de Prop. F.	52	15 A
»	15 »	Monitum	S. Congr. S. Off.	32	4
»	19 »	Decretum	S. Congr. Rituum	54	16 B
»	*22* »	*Litterae*	*S. Congr. S. Off.*	*29*	3
»	5 apr.	Sententia degradat.	»	51	12 B
»	23 »	Litterae	Pius Pp. XI	164	61 D
»	2-3 maii	Decretum	S. Congr. S. Off.	143	55
»	11 iun.	Litterae	Pius Pp. XI	163	61 B
»	12 »	»	»	163	61 C
»	12 »	»	»	163	61 C
»	12 »	»	»	164	61 C
»	12 »	»	»	164	61 C
»	12 »	»	»	164	61 C
»	*15* »	*Rescriptum*	*S. Paenitent. Ap.*	*168*	68
»	22 »	Decisio	S. Romana Rota	168	69 1
»	19 »	Litterae	Pius Pp. XI	164	61 D
»	27 “	»	»	163	61 B
»	29 »	Decretum	S. C. Semin. et studiorum	167	67
»	10 iul.	»	S. Congr. de Prop. F.	167	64
»	23 aug.	Litterae	Pius Pp. XI	164	61 D
»	12 oct.	Decretum	S. Congr. Consistorialis	167	62
»	16 »	Decisio	S. Romana Rota	170	69 3
»	26 »	Decretum	S. Congr. Consistorialis	164	62
»	*26* »	*Responsa*	*S. Congr. Rituum*	*157*	59
»	*27* »	*Declaratio*	*S. Congr. de Religiosis*	*154*	58
»	30 »	Decretum	S, C. pro Neg. eccl. extraord.	167	66
»	*12 nov.*	*Epistola encycl.*	*Pius Pp. XI*	*129*	53
»	*12-13* »	»	*S. Congr. S. Off.*	*144*	56
»	18 »	Decretum	S. Congr. Rituum	167	65
»	20 »	Allocutio consist.	Pius Pp. XI	163	61 A
»	22 »	*Epistola*	*S. Congr. S. Off.*	*145*	56

INDEX INITIORUM (INCIPIT) MONUMENTORUM

Pag.

Catholica doctrina est, Decretum 7 maii 1923, S. C. de Disciplina Sacram. de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato. 104

Ecclesiam Dei, Epistola encycl. Pii Pp. XI, 12 nov. 1923, in trecentesimo natali S. Iosaphat 129

Iam inde, Declaratio S. C. de Religiosis, 29-30 dec. 1922. de professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa . . . 39

Optime novit, Litterae S. Officii, 22 mart. 1923, de ieiunio eucharistico ante missam. 29

Post datam, Motu proprio Pii Pp. XI, 20 apr. 1923, de quinquennalibus facultatibus requirendis a S. C. Consistoriali 65

Religiosae sanctimonialium, Decretum 23 iun. 1923, S. Congr. de Religiosis de monialibus Belgii et Galliae 76

Rerum omnium, Litterae encycl. Pii Pp. XI, 26 ian. 1923, de S. Francisco Salesio 23

Ubi arcano, Litterae encycl. Pii Pp. XI, 23 dec. 1923, de pace Christi in regno Christi quaerenda 1

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant, asteriscus annotationes significat

Acta S. Sedis, (10).

*** *L'alliance sacerd. univers. des amis du S. Coeur,* 176.

Alphonsus (S.). Delictum occultum, (20).

Arendt (S. I.). Opus, 91.

Arens (S. I.). Opus, 63.

Arregui (S. I.). Elenchus facultatum, (69).

Augustine (O. S. B.). De computatione anni studiorum (10).

*** *Au service de Jésus-Prêtre,* opus, 176.

Bastien (O. S. B.). Opus, 173.

Benedictus XIII. Ritualia (49), (122).

Benedictus XIV. Vic. et Praef. Apost. (4); Rituale Pauli V, 1572 (51); Matrimonii dissolutio, 107. Altare p vilegiatum, 140.

Bellarminus (Card.). Rituale Sancto (49).

Beringer-Steinen de Ss. Rosarii cc frater. (97); de altari priv. 141.

Bizzarri (Ill. D.). De monialibus, 7

Blat (O. P.). Computatto anni studi rum, (10).

Boudinhon (R. D.). Vice-Praeses op. F, 48.

Bourassa (Henri). Opus, 62.

Brassac (S. Sulp.). Opus damnatur, 14

Bucceroni (S. I.). De suffragiis pro r ligiosis, (62).

,ietanus (Card.). Excom. minor, (45).
:prara (Card.). Canonicatus, (8); Sollemnitates, (32).
ıstellanus (O. P.). Liber sacerdotalis, (42)*.
ıvalieri (R. D). Horae can. extra dioecesim, (29).
ıcchi (O. F. M.). Opus, 173.
ollectanea P. F. clausura mission. (1); Vic. Praef. Apost. (4); confirmatio, (12), (13); iuramenta in missionibus (102).
ıoper (Prof.). Opus, 175.
·eusen (S. I.). Indulta saecular. (19); dispositio bonorum noviciae, (56); professio temporar. (57).
Angelo (R. D.). Opus, 91.
De Herdt (R. D.) Horae can. extra dioecesim, (29), (30); distributiones in choro, (79); de oblig. chori, (86).
escamps (Senator). Opus, 61.
e Smet (R. D). Opus, 91.
:heverria (R. D.). Opus, 175.
ohemerides Liturg. (29).
alco (Prof. Univ.). Opus, 173.
allon (S. I.). Opus, 63.
anfani (O. Pr.). Opus, 173.
erreres (S. I.), de bonis usurpatis, (82).
orves (Rev.) Praeses Op. P. F. pro Scotia, 126.
ardellini (R. D.). Campanula in missa, (38).
avantus. Horae com. extra dioecesim, (29) * (30)*, campanula in missa, (39)*.
éniesse (R. D.). Opus, 175.
oyeneche (R. P.). Obligatio suffragiorum, (61), (62); professio morientis, (160).
ier P. (Soc. Verb. D) epist. pontif. honoratur, 85*.
regorius M. (S). Confirmatio per sacerdotem, (152).
Gregorius XIII. Ed. Rituale Sanctorii, (49).
Hanssens (S. I.). De formulis absolutionis (41), - (54).
Hautin. Suffragia religiosorum, (62).
Hostachy (R. P. Miss. de Salette). Opus, 175.
Iglesias (O. F. M.). Opus, 174.
Irish Theological Quarterly, 74*. (60) - Opus, 175.
Jaquet (O. M. C.). Opus, 62.
Jombart E. (S. I.): ingress. relig. ex metu (55); dimission. ex mutuo consensu, (59); erectio domus religiosae, (60).
Kelly (C. S. B.). Opus, 175.
Lacroix (S. I.). Suffragia religiosorum, (62).
Leo X. Liber sacerdotalis, (42).
Lichtenstein Petrus. Liber sacerdotalis, (46).
Loewenstein de Werthein, Praeses Consil. Nat. pro Germania, Pontif. Op. P. F. 48. 52.
Mercier (Card.), epist. pontif. honoratus, 96. 98.
Mir Miguel (R. D.). Op. damnata, 86.
Monitore eccl. 74. (123). 138*.
Moretti (R. D.) Opus, 174.
Nederlandsche Kath. Stemmen (Periodica), 33.
Noldin (S. I.). Applicatio missae, prout Deus vult, 142.
Palmieri (S. I.). De delicto occulto, (20).
Passerini (O. Pr.). De indulg. altaris, 140.
Paulus V. Rituale Sanctorii, (49).
Pauwels (S. I.), (29). (30). (34). (40). (41).
Pellizari (S. I.) Suffragia religiosorum, (62).
Prümmer (O. Pr.). Confirmatio pueri lat. a Graeco (13). Opus, 124.

Putzer (C. SS. R.). Anticipatio Matutini, (84). (85).
Quarti (R. D.). Horae. can. extra dioecesim (29) *. (30) *.
Reiffenstuel (O F. M.). Delictum occultum, (20).
* **Sanctorius,** Rituale (49).
Sanz Boronat (P.). Opus damnat., 50.
Sasso (R. D.). Degradatio, 50.
Suarez (S. I.). Suffragia religiosorum, (62).
Theodorus a Spiritu S. indulg. al
ris, 140.
Valuy (S. I.). Opus, 175.
Van der Stappen (Ill. D.). Horae ca
extra dioecesim, (29).
Vermeersch (S. I.). Opus, 91.
Vidal (S. I.). Opus, 173.
Wernz (S. I.). Matrim. per procura
rem, (67); irregularitatis effectus, (7
(74); Dissol. matrimonii, 107. 10
Zaccaria (R. D.). De ritualibus, (41
(43). (46) *. (51) *.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum

Abbatiae restitutio, 85.
Absolutionis forma, (41); — concessio, (19). (68). (72).
Abstinentiae dispensatio, (82).
Acatholicorum filii, (10).
Acta pro designatis archiepiscopis, episcopis, (71).
Adoratio SS. Euch., 168.
Agonizantium altare privilegiatum, 138 ss. Indulgentiae sodalitatis D. N. a Bona Morte, 50.
Altare privilegiatum, (96); — pro agonizantibus, (138); — portatile, (135); — consecrandum a sacerdote, (136).
Auditoris Legati Apostolici, facultates, (150).
Beatificationis causae, 53. 83. 88. 126. 167.
Belgium. Nominatio canonicorum, (8); — Litterae hortatoriae Pontif,, 10 ian. 1923, 96.
Benedictionis *papalis* concessio, (93); — fontium causa, 87; — nuptialis extra missam formula, 71.
Beneficiorum collatio, (72); — compositiones, (77). (79).
Bona *ecclesiastica* illicite possessa, (80); alienanda, (154).
Bona temporalia religiosorum, (56).
Caecus, caecutiens sacerdos pro missa, (139).
Campanula in missa, (35).
Canonicorum nominatio, (6); onera, 165; — ordo sedendi, 51.
Canonicus paenitentiarius, (13). 166; — theologus, 166.
Canonum redemptio ope titulorum, 145
Capitulum electionum, (15); — Captularia statuta condenda, 99. — Collationes mansionaratuum ab episcopo : causa apud S. C. Concilii, 164
Catechesi (de) officium, 122.
Catholica actio commendatur, 17. 83
Catholici scriptores. Patronus, 27; — invigilandi, 33.
Censurarum absolutio, (19). (68). (72)
Cereus paschalis, (121). 68.
Christi Regis professio Oratio ditat indulg. plenaria cotidiana, 159-162
Cisterciensium propria vocatio latdatur et confirmatur, 93.
Clausura in missionibus, (1). — e dspensatio, (145).
Clericus in aliena dioecesi, (14). (29) — vitet dissensiones, 96.
Clerus indigena. Opus pro ipso, (119) — regularis. Eius merita, 18.
Cognatio legalis, (126).
Collegii Urbani de P. F. alumni, (166)
Comae ascititiae concessio, (134).
Communio, non servato ieiunio, (140)
Commutatio breviarii, (84); — votorum, (88).
Competentia SS. Congregationum, 43 — Causa de competentia S. Rotae 54. 88.
Condonatio fructuum beneficii, (77) (79); — restitutionis, (90).
Confessarius ignorans reservationem (68); — consulens dimidiatam copulam, 33.
Confirmatio, (11); — permissa sacer-

doti, (131); Legato Apostolico, (149).
onfraternitatum erectio, aggregatio, (97). (113).
S. Congregationum competentia, 43.
onsilia varia de missionibus, 114-119.
onsilium an requiritur ad valorem, (6); — de copula dimidiata, 33.
ontemplativae et paenitentis vitae pretium, 93.
opula *dimidiata*, 33.
. Cor. Iesu cultus commendatus, 17. Missa in prima Feria VI, 126. 157.
ultus publici actus, (163).
)egradatio sacerdotis, 124,
)elegationes Apost. erectae vel mutatae, 49. 54. 167.
)elegatorum Apost. *facultates*, (69)-(98); (125)-(159); — reservatae episcopis, (150); — iurisdictio sacramentalis in navigatione, (150). Facultas concedendi ad tempus, quid, (151).
)elictum occultum, (19).
)imissio religiosarum, (58). (63); — recursus contra dimissionem, tempus utile, 100.
)ioeceses. Mutationes, 49. 87. 122. 123. 124. 163. 164.
)iscidia externa, 4-6. 135; — inter S. Sedem et Italiam, 21; — de lingua, clero vitanda, 97.
)ispensatio matrimonialis, (65). (155); — matrimonii rati et non consummati. Processus, 104-113; — irregularitatum, (73); — abstinentiae, (82); — ieiunii eucharistici, 29. (123). (140); — necessarii gradus academici, (86); — votorum, (88); — iuramenti, (89); — impedimentorum matrimonii, (125). (127). (129); — dotis (143), — clausurae, (146); — studiorum ante ordinationes, 154.
)omus *religiosa* in missionibus, (1); — reformanda, (142). *Domus* erectio, (1). (60).
Do is definitio, (162); — dispensatio, (143).
Duella « mensurae » Germaniae, 51.
Ecclesiae unitas promovenda, 134 ss.
Ecclesiae: *Basilicae*, 50. 84. 123. 164; — *Collegiatae* ad honorem, 50. 84.
Ecclesiarum *provisiones*, 58. 89. 127. 170.
Encyclicae SS. D. N. Pii Pp. XI *Ubi arcano*, 23 dec 1922, de pace Christi, 1-22; — *Rerum omnium*, ian 1933, de S. Francisco salesio, 23 ss; — *Studiorum ducem*, 28 iun. 1923, de S. Thoma, 120-122; — *Ecclesiam Dei*, 12 nov. 1923, de S. Iosaphat, 129-137.
Episcopi ordinaria potestas, (153); — facultates, (100); — iuramenta, (101); — in missionibus exteris electio, consecratio. Varia ad eius usum, (99)-(125); — epistolae (formulae), (104); — relationes quinquennales, (106). — vestes, (103).
Episcopus proprius ordinationis, 73.
Eucharistiae asservatio, (148); — cultus pro unitate Ecclesiae, 136 — adoratio, 168.
Facultates Legatorum Apost. (69)-(98). (125)-(159); — episcoporum, (100); — praesidis missionum, (155); — quinquennales, 65.
S. Franciscus Salesius, patronus catholicorum scriptorum, 29.
Fundationis lex, quid, 165.
Gallia. Nominatio canonicorum, (8); — **ae** moniales, 76.
Germaniae duella « mensurae », 51.
Gradus magisterii, (64). — dispensatus, (86).
Graecus puerum latinum confirmans, (11).

Ieiunium eucharisticum, ante communionem, (140); — ante missam, 29. (123). 143.
Illegitimi admissio in seminarium, (154).
Impedimenta ab ordinatione, (10); — matrimonialia, (125).
Incardinatio, 73-76.
Indultorum prorogatio, (91).
Indulgentiae viae crucis, (15); — orationis pro Russia, 88; — orationis ad S. Thomam, 121; — pro adoratione SS. 168; — plenaria cotidiana, 160; — — applicabiles ad defunctos, (98); — altaris privilegiati pro agonizantibus, 138, ss. — prorogatae, (91); — concessae, (92). (94). (95) (96). (97).
Indulgentiae, etc. sodalitatis Nostrae Dominae a B. Morte (Tinchebray), 50.
S. Infantiae opus, (120).
Internuntiorum Apost. facultates, (69)-(98); (125)-(159); — reservatae episcopis, (150); — iurisdictio sacramentalis, in mari et fluminibus, (150); — Facultas concedendi ad tempus, quid, (151).
S. Iosaphat laus, 131; — imploratio, 137.
Irregularitatum dispensatio, (73); — casus duelli " mensurae „, 51.
Italia et S. Sedes, 21. 22.
Italorum migrantium cura, 51.
Iuramenta episcoporum, (101); — exigenda ab aliis, in missionibus (107).
Iuramenti dispensatio, (89).
Iurisdictio in mari et fluminibus, 150.
Legatorum Apostolicorum facultates, (69)-(98); (125)-(159); reservatae episcopis, (150); — iurisdictio sacramentalis in navigatione, (150). — Facultas concedendi ad tempus, quid, (151).
S. Leonardus a Portu Mauritio, patronus s. missionum in Europa, 8[illegible]
Libri *prohibiti* licentia, (87); — et[illegible] sensui christiano contrarii, non laudandi, 32. — *Opera damnata,* 50. 86. 144. (cum adiunctis litteris, 145-149). — Minor gradus reprobationis, 86.
Lingua. Controversiae de —, 97.
Magister *aggregatus,* (64).
Maria *Mediatrix omnium gratiarum* 97; — pro unitate Ecclesiae implo[illegible]randa, 136.
Matrimonium, (65). — Impedimenta (125) ss. — ratum et non consummatum. Processus, 104-113. Sanatio in radice, (129). Causae, (111) 55. 57. 169. — Benedictio nuptialis extra missam, 71. — Preces supr[illegible] coniuges, 72.
Metus ingredientis in religionem, (55)
Missa votiva, (31). (139); — de requie[illegible] (138); — ante tempus, (137); — d[illegible] sollemnitate, (141); — Dominica[illegible] impeditae, (34); — Feria V, in Cen[illegible] Domini, (132); — in mari et flumi[illegible]nibus, (135); — in oratorio privato (133); — extra oratorium, (135); — sine ministro concessa, 42-43. Usus campanulae, (35). — secundum Urbis calendarium, (147); — non servato ieiunio, (123).
— **rum** condonatio, (75); — translatio extra dioecesim, (37).
Missiones. Erectio domus, (1); Clausura (1). — Pro-praefectus, (3). — Pro Vicarius (3). — Vicarius delegatus, (3). — Baptizandi aegroti, vesenes, (5). — Missionum conventus Lovaniensis, 98. — Missionum praesidis facultates, (155); — expositio Romae habenda, 126. — Varia consilia et indicationes pro Superioribus missionum exterarum, (99)-(121) pro missionibus, 114. 119. — Iura

menta in missionibus, (107). — Missionum collegium Taurinense, 167.
Modernismus moralis, iuridicus et sociális, 19.
Moinales Belgii et Galliae, 76.
Nuntiorum Apost. facultates, (69)-(98); (125)-(159); reservatae episcopis, (150); — iurisdictio sacramentalis in navigatione, (150). Facultas concedendi ad tempus, quid, (151).
Officium divinum extra dioecesim, (29); — in seminario, (30). — secundum Urbis calendarium, (147); — anticipatum, (83); commutatum, (84); — *Compositio* pro omissione, (77).
Oratorium privatum, (133); — Legati Apostolici, ex privilegio publicum, (148).
Ordinarius vetans parocho vel paenitentiario munus confessarii, (13).
Ordinationes. Studia requisita, (9). 154. — Impedimenta, (10); — a proprio Superiore religioso, (163); — Quisnam episcopus competens, 73.
Orientale *Institutum*, 135.
Orientis schisma. Varia in Enc. S. Iosaphat, 129 ss. Orientis condicio, 83.
Pallii concessio, 85.
Parochia religiosis commissa, (144)
Parochus, (13); — renuntians, 124.
Pax. Enc. de pace Christi, 1 ss. Preces pro pace indictae, 49.
Pensio renuntianti parocho tributa, 124.
Pii. Petri opus pro clero indigena, (119).
Pius X. Ex privilegio lumen ante eius sepulcrum, (164).
Pius da Pietralcina. De eo declaratio S. Officii, 82.
Postulantis professio in articulo mortis, (160).
Praefationes, (20).
Praefecti Apostolici honorifica, (115).
Praefecturae Apost. Mutationes, 49. 84. 125. 163. 163. 164.
Processus pro designatis archiepiscopis, episcopis, (71)
Procurator in matrimonio, (67).
Professio temporaria, (57); — in articulo morlis, (159). 39. — quaenam antiquior, (162).
Propaganda Fide(a) opus, (117). 46. 52. 126.
Pro-praefectus, (3). (109).
Pro-vicarius, (3). (109).
Recursus contra dimissionem tempus utile, 100.
Religionum duplex finis: nomen, (159). Congregationis religiosae divisio in missionibus, 126.
Religiosus post elapsa vota, (17); — anticipans matutinum, (83); — parochus, (144); — invalida nullitatis declaratione utens, (146).
Reservatio. Ignorantia, (68).
S. Rotae « Studium » commendatur, 170.
Rubricae, 52. 69. 71. 126. 157.
Russiae condicio, 83. 134.
Saecularizatio, (18).
Sanatio in radice, matrimoniorum, (129).
Sanctitatis commune officium, 24; — consilia, 24-27.
Scapularium impositio, (97).
Secretarii Legati Apostolici facultates, (150).
Seminarium pro *nigritis*, 85; — vocationium, 86. — Admissio filii illegitimi in seminarium, (154).
Simoniae realis poena, condonatio, (79).
Sodaliciorum erectio, (47). (113). 85; — commendatio, 16. — Sodalicium

a Transitu S. Ioseph, 138; — Dominae Nostrae a Bona Morte (Tinchebray), 50.
Sollicitatfonis crimen, (90).
Studia ante ordinationes, (9). 154.
Suffragia in capitulo, (15).
Suffragia pro defunctis, (61).
Superior Missionum. Varia, (99)-(125); — religiosus ordinans, (162).
Superstitiosi usus, (5).
Taxarum debitor, quisuam, 168.
S. Thomas. Doctor communis. Encycl. litterae, 120-122. — Oratio, 121.
Transitus religiosi, (16).
Universitas catholica Noviomagensis, 167.
Vestes episcoporum, (103).
Vestitus transeuntis Sororis, (16). 67. — episcoporum, (103).
Via Crucis erectio, (97). (115); — indulgentiae, (15).
Vicariatus Apost. Mutationes, 49. 52. 84, 122. 123.
Vicarius capitularis, in missionibus (3). (110).
Vicarius delegatus in missionibus, (3). (109).
Vicarius generalis, (109).
Visitatio canonica, (70).
Vocatio religiosa, sacerdotalis, ad instituendam iuventutem. Varia documenta, 123. 124. 86.
Votorum commutatio, (88).

ERRATA

Pag. 39, n. 7, l. 13 « per supradictum » *corrige* : per suprascriptum decretum
„ 51, n. 14, 2, l. 3 « vacabat » *corrige* : vacabant
„ 120, n. 46, l. 3 « 29 iulii » *corrige* : 29 iunii

N. B. — Monitore Ecclesiastico, 1924, p. 64, *retractans explicationem quam p. 308 dederat indulgentiae altaris privilegiati pro agonizantibus, et agnoscens, inter indulgentiam pro defunctis et indulgentiam pro agonizantibus, discrimen quod supra, p. 141, VI et p. 142, eius priori explicationi obiecimus, existimat nunc indulgentiam altaris privilegiati pro agonizantibus applicari omnibus agonizantibus dispositis pro quibus missa celebratur. Crescit inde votum nostrum ut perspicua declaratione dubium istud dissipetur.*

DATE DUE

Temporarily circulated from
Pacific School of Religion

GAYLORD

PRINTED IN U.S.A.

v.12 10231

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 7047